




1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

3.7

# HISTORIA
# PHILOSOPHIÆ

## VITAS, OPINIONES, RESQUE GESTAS, ET DICTA PHILOSOPHORUM SECTÆ CUJUSVIS COMPLEXA

*AUTORE*

## THOMA STANLEJO

*Ex Anglico sermone in Latinum translata, emendata, variis dissertationibus atque observationibus passim aucta,*

ET

*TRIBUS TOMIS*

DIGESTA.

## TOMUS TERTIUS.




VENETIIS, MDCCXXXI.
Apud Sebastianum Coleti.
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

# HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ
## PARS X.
## DE SECTA ELEATICA

### XENOPHANES.
#### CAP. I.
*Vita ejus.*

ELeatica secta ab *Elea* (sive *Velia*) magnæ Græciæ urbe, nomen obtinuit, quæ condita Cyri temporibus, Phocæensium colonia fuit. His enim ab Harpago obsessis pars noctu aufugit, quæ in istas Italiæ partes fuit delata. Hic urbem condidere, eamque *Eleam*, vel *Heleam*, vel *Hyelam* nominabant, appellatione vel ab *Elea* ducta, quod fluvii prælabentis est nomen, vel, ut quibusdam visum, a paludibus (quas ἕλη Græci dicunt) quibus cingitur.

Strabo. L. VI. init. p. 252. C.

Ex hac urbe Parmenides, Zeno, & Leucippus prodiere, qui cum in secta eminerent, ab eis *Eleatica* illa appellata fuit.

Primus tamen ejus sectæ autor Xenophanes fuit. *Eleatica* enim secta, ut habet Clemens Alexandrinus, a Xenophane Colophonio origines duxit, qui, juxta Timæum Hieronis, Siciliæ Regis, ætate floruit, & Epicharmi Poetæ. Apollodorus tamen quarta Olympiade natum, usque ad Darii, Cyrique tempora vivendo eum pervenisse, testatur. † Xenophanis discipulus Parmenides fuit, hunc Zeno audivit, eum vero Leucippus, & hunc Democritus est secutus. Democriti discipuli, Protagoras Abderita, Metrodorus Chius, & Diogenes Smyrnæus fuere, quorum postremum Anaxarchus audivit. Xenophanes, ut dictum jam fuit, Colophonius fuit, Dexii, vel ut Apollodorus habet, Orthomenis filius, Timoni laudatus, qui vocat

Clem. Strom. I. p. 301.

† de ejus ætate accuratius Baelius agit Lex. Crit. T. IV. p. 3032 B. sq. ubi de hoc ipso Clementis loco plura.

Laert. IX. 18.

*Turgentemque minus fastu, & mendacia Homeri*
*Ridentem.*

addo Sext. Emp L. I. Hypotyp. 33. Laert. l. c. Plutarch. Apophth. p. 175.

Pulsus patria, Zanclæ in Sicilia est moratus: (cum pauperie conflictatus est ita, ut duobus servulis alendis par haut esset.) Sunt, qui nullum habuisse dicunt præceptorem, alii Bithonem Atheniensem audivisse dicunt, alii Archelaum, quod verosimile est minus, Anaximandro enim, referente Sotione, coævus fuit. Elegias, & Jambos contra Homerum & Hesiodum scripsit, quæ de Diis scripserant, reprehendens. (Quod joco Hieronis in eum occasionem dedit, qui Xenophani, de pauperie conquerenti, quæ ne deos quidem servulos alere ei permitteret, respondit: Homerus vero, quem tu omni occasione perstringis, mortuus licet, amplius, quam decem mille alere potest.) Scripsit etiam de Colophonis ædificatione, & de Italica in Eleam colonia, versus ad duo millia. Strabo autem, quando Sillos ei adscribit metrice concinnatos, ipsi tribuisse videtur opus, Timonis, quod fuit, Sceptici errore ex eo fortassis orto, quod Dialogi forma secundus & tertius ejus operis liber scripti essent, in quibus Timon

Laert. IX. 20. Plut. l. c.

L. XIV p. 643. B.

Xenophanem de omnibus rebus percontatur, Xenophane respondentis partes tuente.*

l. II. p. 54.
(Παρῳδὰς sive, ut Menagius legit, παρῳδίας Xenophanis Athenæus allegat. Eas idem vir doctus partem Sillorum esse suspicatur.
Menag. ad Laert. IX. 18. Pollux. VI. 9.
Xenophanem vero *de natura*, citat Pollux, ex quo opere desumta esse Physica ipsius dogmata, quæ passim feruntur, apud Aristotelem, Ciceronem, Plutarchum, Sextum, Clementem Alexandrinum, Galænum, Stobæum, Censorinum, putat Cl. Fabricius,
l. c.
qui ex iisdem autoribus versibus heroicis scriptum fuisse id opus colligit, & ex eo suspicatur decerptum esse versum, ex χρονικοῖς ἔπεσιν allegatum Eustathio, ubi de iride agit.
ad Il. Λ' p. 759. ed. Rom.
Pro *Tragœdiis*, quas eum scripsisse ait Euseb. in Chronico, elegias substituendas, laudatus Menagius censuit.)

Laert. IX. 18.
Ipse vero sua publice cantabat poemata Xenophanes. Fertur & Thaleti, & Pythagoræ contraria docuisse, ut & nonnulla Epimenidi opposita. Floruit Olympiade
Id. c. 20.
LX. Referunt de eo Demetrius Phalereus, & Panætius Stoicus Anaxagoram imitatum filios suos propriis sepelivisse manibus. Fuit longævus maxime, de seipso enim ita loquitur:
c. 19.

*Lustra decem atque tria hæc &*
*bis hos desuper annos*
*Applausit dictis Græcia tota meis.*
*Natus eram tunc ipse annos quinque atque viginti,*
*Si possim de istis prodere vera modo.*

Male igitur calculum ducit Lucianus, annos nonaginta & unum eum vixisse affirmans. Nam quos ipse Xenophanes sibi tribuit, LXVII. & XXV. anni, summam conficiunt annorum XCII. Censorinus supra centum annos eum dicit vixisse.
In Macrob. T. II. p. 640.
de die Natal. c. XV. Laert. IX. 19.

Cum ei Empedocles diceret, virum sapientem se reperire non posse: verum id esse posse respondit, nam sapientem esse oportere, qui norit investigare sapientem. (Cumque timiditatem ipsi exprobraret nonnemo, cum quo tesseris ludere noluisset, fassus est, ad res inhonestas se timidissimum esse.) A Parmenisco & Pythagoricis *redemtum esse* ** Phavorinus refert.
Plut. de vitioso pudore p. 530. Laert. IX. 20.

Fuit & *alius* Xenophanes, Lesbius, Poeta Iambicus.
Laert. l. c.

## CAP. II.

### *Opiniones ejus.*

Omnia incomprehensibilia esse dixit, autore Sotione (*a*) † (Id quod Plutarchus (*b*) confirmat de Xenophane dicens: sensus fallaces contendit esse, unaque cum illis ipsam quoque rationem in omni-
*a* apud Laert. IX. 20.
*b* in Stromatis ap. Euseb. Præp. l. 8.

* Ad Sillos Xenophanis Eustathius quoque ad Iliad. B' p. 154. citat, eosque Heroico versu scriptos observare licet ex Schol. Aristoph. ad equites v. 403. Falli ergo hic Stanlejum, observatum Cl. Fabricio Bibl. Græc. L. II. p. 758.

** Stanlejus lectionem vulgatam πεπρᾶσθαι sequitur, quam varie tamen viri docti solicitarunt.

† Sotionem *falli* judicium est Laertii. Sed non satis liquet, an in eo falli dicat, quod incomprehensibilia omnia statuere dicat Xenophanem, an in eo, quod addit, *primum* eum ita statuisse, quod & Origeni affirmatum in philosophum, et. Bælius in Lexico posterius merito in dubium vocari posse dicit. Nam Platone teste in Sophista p. 170. alios quoque statuisse, quod una sit rerum omnium substantia, quæ ipsi, ut ex mox dicendis patebit, planissima est ad dogma ἀκαταληψίας via.

ōmnibus criminatur. Equidem Aristocles (c) solos sensus eum incusasse ait, in iis qui sensus, visaque omnia funditus repudianda, rationi uni fidem habendam opinantur, eum censens. Sed videntur rectius mentem ejus Sotion & Plutarchus repræsentasse, quod ex ipsis Xenophanis versibus colligas, passim a veteribus allegatis: (d)

c ap Euseb. Præp. l. & XIV, 19.

d ap. Sext. Empir. adv. Mathem. p. 146. 157. 208. Plut. de aud. Poet. p. 17. E.

*Nullus aperte vir scit, sed neque*
*vir sciet unquam,*
*De Diis & cunctis a me quæ dicta*
*fuerunt.*
*Namque licet sit perfectum, qui*
*dixerit illud,*
*Ipse tamen nescit, cunctis & opinio in his est.*

Hinc & Sextus Empiricus diserte eum in iis censet (e), *qui negant, dari criterium veritatis*. Equidem in *Acatalepticis* non ponit (f), qui negabant, quidquam comprehendere nos posse, sed tribuit tamen ei, quod doceat (g), nunquam rerum eam cognitionem nos assequi posse, quæ ad scientiæ evidentiam & certitudinem adscendat, sed semper intra probabilitatis terminos nos consistere. Unde nuper observavit vir doctus (h), causam non fuisse Ægidio Menagio (i), cur Sextum contra Sotionem suffragium ferre diceret. Origenis (k) testimonium his accedere possit, qui Xenophani tribuit, primum eum omnium ἀκαταληψίαν invexisse, allegatis ipsis illis, quos paulo antea exhibuimus, versibus. Vir doctus, cujus antea mentionem fecimus (l), doctrinarum Xenophanis nexum eum esse dicit, ut necessarios in hanc doctrinā incertitudinis desinat. Nēpe, ut ex Aristotelis schedа de Xenophane, Zenone, & Gorgia, de qua postea pluribus, patet, primo ex nihilo nihil fieri statuebat, hoc est, rem, quæ semper non fuit, nunquam existere posse. Hinc concludebat, quicquid est, id semper fuisse. Iam porro addebat, id, quod semper fuit, æternum est. Quod æternum est, est infinitum. Quod infinitum est, illud est unicum; si plura enim entia contineret, unum finiret alterum, adeoque infinitum non esset. Præterea aiebat, id, quod infinitum est, omni ex parte sibi ipsi est simile, si enim dissimile aliqua parte esset, non unum foret ens, sed plura entia. Denique unicum illud ens, æternum & infinitum, immobile & immutabile sit oportet. Si locum enim mutare posset, aliquid esset ultra illud, ipsumque adeo infinitum non esset. Si vero sine loci mutatione alterari posset, res, quæ semper non extitisset, existere inciperet, contra, res, quæ semper extitisset, desineret. Hoc autem fieri nequit: nam omne, quod ab æterno non fuit, & existere tamen incipit, ex nihilo produci oporteret: & quicquid initium non habet, id necessariam habet existentiam, ideoque non potest desinere esse. Hisce Xenophanis principiis atque conclusionibus, sensuum testimonium refragatur manifeste, nam generationes continuæ in rerum natura sibi mutuo succedentes probant, unum ens non esse hoc universum, sed continere res plures, easque mutabiles, quandoquidem reapse mutari deprehendantur. Hanc igitur ut amoliretur objectionem, sensibus fidem negabat, mutationes in universo omnes in speciem tantum fieri affirmans.

e l. c. p. 146.

f l. c. p. 156. 157.

g l. c. p. 157.

h Bayl. Lex. Crit. T. IV. p. 3041. B.

i ad Laert. IX 20.

k in Philosophum.

l Bayle l. c. p. 3043. A.

Sed, cum ita respondenti porro opponi potuerit, ea, quæ sensibus apparent, ita variare saltem non posse, si eadem semper anima nostra permanente, res extra nos positæ, in eodem semper statu permaneant: oportere igitur saltem, ut id ipsum in nobis, quod perceptiones illas recipit, quæ a Xenophane pro sensuum imposturis habentur, mutationis capax sit, & alterationis; atque adeo verum non sit, quod ille statuebat, nullam in hoc mundo locum habere mutationem; tum quidem nihil aliud, quod responderet, ei superfuisse manifestum est, quam rationem æque ac sensus fallacem, omniaque ei incomprehensibilia esse. Hæc secutus increpabat eorum arrogantiam, qui cum sciri nihil possit, audeant se scire dicere. Nihilominus multa ille dogmatice defendebat, qualia sunt ista: (Cic. Acad. Qu. L. IV. c. 39)

*Non semel humano generi Di cuncta dederunt:* (Stob. Serm. 29.)
*Monstravit sed longa dies meliora repertis.*

Atque inde est, quod Timon Scepticus ὑπάτυφον, h. e. *a fastu non penitus immunem*, eum appellet, quippe qui dogmaticorum persuasione ex parte laboret. (Laert. IX, 18.)

*Deum unum* esse dixit, incorporeum, æternum: substantiam eius globosam esse, nihilque cum hominibus eum commune habere: totum cernere, totumque audire; non tamen respirare. Simulque esse omnia, mentem, prudentiam, æternitatem. (Laert. IX, 19.)

*Maximus in genere est Divum atque hominum Deus unus,* (Clem. Al. Str. V, p. 601.)
*Qui nec corpore nec mente est mortalibus ullis.*
*Assimilis.*

Præterea Homeri & Hesiodi *de Diis fabulas* confutavit. Ut & descriptiones Deorum a Græcis concinnatas, humanæ formæ quod sint, humanisque obnoxii affectibus, unoquovis Deos simillimos sibi fingente, ita ut Æthiopibus atri & naso depresso, Thracibus fulvi, & cæsii, videantur. Simili ratione, quantum ad animos, Barbaris feroces creduntur, & crudeles, Græcis mitiores quidem, sed affectibus tamen obnoxii. (Laert. IX, 18.) (Clem. Al. Str. VII, p. 711. B.)

*Credunt mortales, divos generarier ipsos.* (Clem. Al. Str. V. p. 601.)
*Veste sibi similes, & voce, & corpore toto.*
(Idemque dixit:
*Quod si forte bovi detur manus atque leoni,* (Ibid.)
*Pingere queis possent; hominumque operarier artes,*
*Depingenda ab eis esset si forma Deorum.*
*Tales hi formas facerent, & corpora eorum*
*Talia, quale sibi corpus natura dedisset.*)

*Deum* hunc vel *unum*, esse *omnia* (a): universum vero hoc uno absolvi (b). Quicquid est, ab æterno est: fieri enim nequit, ut ex nihilo aliquid fiat. Mundus æternus est sine initio & fine. Quippe qui ingenitus sit (c) nempe primus Xenophanes definivit, omne, quod fiat, corruptioni obnoxium esse. (Atque hæc est illa doctrina Xenophanis, qua eo adductus non tantum fuit, ut nihil comprehendi posse, statueret, ut paulo antea fuit ostensum, verum etiam Spinosæ doctrinæ, quod una sit totius huius universi substantia, prælusisse videtur, ut nuper viris eruditis fuit observatum. (d)

a Cic. Acad. Qu. IV. 37.
b Aristot. de Xenophan.
c Laert. IX, 19.
d Baile Lex. Crit. art. Xenoph. Buddeo in Diss. de Spinosismo ante Spinoz.

e Laert. IX. Stob. Ecl. Phys. p. 52. *Mundos* infinitos, eosque immutabiles esse dicebat. (e)

f Laert. l.c. Quatuor vero dari elementa. (f)

*Stellas* ex nubibus incensis esse ortas, interdiu autem extinctas, noctu velut carbones iterum accendi. (g) Ortum enim stellarum atque occasum nihil aliud, quam accensionem atque extinctionem earum esse. Quæ vero in navibus appareant more siderum (h), quos *Dioscuros* vocant, nubeculas esse, ex motu quodam interfulgentes.

g Plut. Plac. Phil. II. 13. Stob. Ecl. Phys. p. 52.

h Plut. Plac. Phil. II. 18 Stob. l.c.

i Plut. lib. cit II. 20. Stob. Phys. p. 55. *Solem* ex igniculis existere (i), collectis ex humida exhalatione: vel nubem esse ignitam.

K Plut. II. 24. *Eclipsin* solis existere eo extincto (K): novumque solem accendi, quo oritur. Affirmat idem, totum aliquando mensem solem defecisse.

l Plut II. 25. m Cic. Acad. Qu. IV. 37. *Lunam* nubem esse constipatam (l). Imo, ut Cicero (m) testatur, habitari in luna dixit, eamque esse terram multarum urbium & montium.

(Dicentibus Mathematicis, orbem lunæ duodeviginti partibus maiorem esse, quam terram, stultissime credidit (n). Et, quod huic levitati fuit consentaneum, dixit, intra concavum lunæ sinum esse aliam terram, & ibi aliud genus hominum, simili modo vivere, quo nos in hac terra vivimus.)

n Lactant. L. III. c 23

*Solem* ad generationes rerum mundanarum & animantium requiri, nihil autem eo lunam conferre. (o)

o Stob. Phys c.

*Multos soles*, multasque lunas esse (p), pro variis terræ climatibus & Zonis; cumque sol nonnunquam in quandam terræ partem, nobis incognitam, incidat, tum quasi laborantem, defectum pati. Ac solem quidem recto cursu in infinitum procedere, verum in orbem moveri ob intervalli magnitudinem videri.

p Plut. Plac. Phil. II. 24. Stob. Phys. p. 56.

*Nubes* consistere cum a sole nubes sursum fertur. (q) q Laert. IX. 19.

*Terram* primo loco radices egisse in altitudinem infinitam. (r)

*Animam* spiritum esse, esse & plurima anima inferiora. (s) r Plut. de Plac Phil. III. 11.

Unum eum inter Philosophos esse, s Laert. IX. 19. Cicero ait, (t), qui Deos esse diceret, divinationem funditus tolleret. Plutarchus tamen ea parte cum Epicuro eum conjungit. (u)

t Cic. de Divin. I. 3.

u Plut. Plac. Phil. V. 1.

# PARMENIDES.

## CAP. I.

### Vita ejus.

**P**ARMENIDES Eleates fuit *Pyretis* filius (a), Xenophanis auditor, secundum Theophrastum in epitome Anaximandri. Xenophanem autem audiverit licet, placita tamen eius non est amplexus. Cum Ameinia quoque & Diocheta Pythagoræo versatus est, teste Sotione, paupere illo quidem, sed honesto viro ac bono, quem etiam impensius secutus est, & vitæ functo sacellum, tanquam Heroi, dicavit. Et genere vero, & opibus illustris Parmenides, non a Xenophane, sed ab Ameinia ad vitam privatam fuit adductus.

a Laert. IX. 21. Πύρητος. Stanleius tamen Pyretis habet.

Floruit ille Olympiade LXIX. (b).

b Laert. IX. 23.

Non sine causa igitur Platonem reprehendit Athenæus (c), Socrati coævum quod faciat.

c Athen. Dipnos. L. XI p. 505.

Leges civibus suis tulisse fertur, Speusippo teste in suo *de Philosophis* libro. (d)

d Laert. IX. 23.

Philosophiam & ipse carmine expressit (e) quemadmodum Hesiodus & Xenophanes, atque Empedocles,

e Laert. IX. 22.

Callimachus tamen nullum eum poema scripsisse dicit.

Fuit & *alius* Parmenides, Orator de arte illa qui fuit commentatus.

## CAP. II.

### *Doctrina ejus.*

Laert. IX, 22. Duplicem esse dicebat philosophiam, alteram ex veritate, ex opinione alteram: unde quodam in loco ait:

*Velim simul omnia noscas,*
*Et verum simplex, & pectore semper aperto.*
*Et male constantis sensum & suffragia vulgi.*

Rationis esse iudicium, sensus minus esse certos, unde ait:

*Nec tibi communis sensus persuadeat unquam*
*Quicquam, ut fallaces oculi, aut ut indices auris.*
*Aut lingua: at ratio dirimat discrimina rerum.*

Aristot. Phys. I, 2. 3. Omnium rerum *principium* unum esse, & id immobile quidem. Unum omnia, & ens infinitum esse, quicquid vero est praeter ens, id non ens esse, atque adeo nihil. Ens vero unum esse, quicquid ergo est praeter unum, id esse nihil, omnia igitur unum sunt.

Laert. IX, 22. Calidum & frigidum *principia* esse vel *elementa* rerum, ea ignem & terram esse dicebat: quorum illi causae efficientis, huic materiae partes assignabat.

Plut. Plac. I, 24. Stob. Ecl. Phys. c. 24. Nullam rem vel generari, vel corrumpi, sed speciem tantum eius rei nobis imponere.

Plut. Plac. II, 26. *Lunam* eiusdem cum sole splendoris esse, ab hoc tamen mutuam lucem accipere.

Plut. III, 1. *Viam lacteam*, densi & rari miscelam esse.

Primus *terram rotundam*, & in medio positam, affirmavit. Laert. IX, 21.

Primus item *terrae loca* habitata discrevit duabus, solstitialibus sub circulis quae iacent, *Zonis*. Plut. Plac. III, 11.

*Terram undique aequaliter distantem* statuit, aequilibrioque suspensam, ut causam non habeat, cur huc potius, quam illuc vergat: &, licet concutiatur, loco tamen non dimoveri. Ib. c. 15

*Homines ex limo* primum genitos esse, & ex calido & frigido ex quibus omnia componuntur, consistere. Laert. IX, 22. legit. Stanleius πηλοῦ pro ἡλίου

In *septentrionalibus mundi partibus mares prodiisse* primum, ab Empedocle ea parte dissentiens, statuebat, quippe quae densae maxime essent, in australibus vero feminas, eas enim esse maxime raras. Plut. Plac. V, 7.

Hodie vero *mares* uteri parte *dextra, feminas sinistra* concipi.

*Partem animae principalem* in pectore positam esse. Plut. Plac. IV, 5.

Ipsum primum observasse *vesperum & luciferum* stellam esse eandem, Phavorinus ait, quod tamen Pythagorae alios tribuere videas. Laert. IX, 23.

Idem Phavorinus, argumento eum usum ait, quod Achillem vocant, Zenoni ab aliis adscriptam. Laert. l. c.

## CAP. III.

### *De ideis.*

Doctrina, qua maxime inclaruit ea est, quam de ideis proposuit, a Platone explicata in dialogo, quem *Parmenidem* inscripsit, sive de ideis, cuius ista est summa.

Omnia *unum* sunt, & *multa*. *Unum* est idea originalis, *multa* vero singularia.

*Dantur ideae*, h. e. certae quaedam communes naturae, quae omnia

singularia includant, eorumque sunt causæ, a quibus & naturam & nomen sortiantur, atque istæ sunt ἐν species, multa existentiam habent, prout ex uno participaverint, in speciebus istis.

Species ita complectuntur omnia singularia, ut & coniungant ea, & distinguant. Gemina enim differentiæ specificæ vis est, & coniungendi, & discernendi.

Visibilia ostendunt potentiam unius illius: Singularia omnia reducuntur ad unum aliquod, hoc est, ad communia sua. Sicque adeo singularia neque subsistere, neque intelligi possunt, nisi in ista specierum communitate. Species igitur unum est, aliud, individua in eadem comprehensa.

Ideæ istæ gemina ratione subsistunt, in mente nostra tanquam notiones, & in rerum natura tanquam causæ. In mente nostra existunt, prout varie a nobis apprehenduntur, pro relationum diversitate. In rerum vero natura existunt, prout sunt formæ ideales, atque virtutem habent tam existentiam, quam nomen, largiendi. Omnia entia ad hanc ideæ unitatem reducuntur. Sicque adeo res insensibiles atque invisibiles illæ sunt. Suntque earum species, similitudo, dissimilitudo, unitas, multitudo, quies, motus, &c. res visibiles sunt, vel denominantur, similes, in quantum similitudinis participant, quæ est idea rerum similium. Magna vel parva, prout participant ex idea vel magnitudinis, vel parvitatis &c. idem de ipso homine tenendum, plura enim individua hominum talia sunt, quod ex idea humanitatis participent, quæ durat, cum individua humana in perpetuo fluxu posita sint, atque mutatione.

Eadem vis unius in ideis, in rebus etiam oratione comprehensis, observatur: Nam & ipsæ formam habent per seipsam, & a seipsa subsistentem: ita, ut naturam intelligibilium cogniturus, ad unitatem ideæ ea debeat revocare. Exempli gratia, si naturam rerum bonarum velimus intelligere, ita procedendum nobis est, ut ad ideam boni adscendamus, quæ ipsam formam boni absolvit, a qua omnia, quæ ex ea participant, habent, ut existant, & bona nominentur. Ut adeo duo sint distinctissima, forma rerum, quæ a seipsa subsistit, ipsaque res sive sensibiles, sive intelligibiles.

Idea duplex est, ἀυτὸ τὸ καλὸν ὃ ἐςι καὶ τὸ ἀγαθὸν, pulchrum quod idem est bonum, & omnes res, quas concipimus tanquam ideas. Prius illud est Deus, alterum sunt species rerum, in ordine naturæ.

Quantum ad secundas illas ideas attinet, unum est aliquod, quod est fundamentum omnium singularium, ex quo, tanquam ex filo quodam, tota quasi individuorum textura ducitur.

Una eademque species in pluribus individuis, divisim existentibus, penitus una est, neque a seipsa distincta, sed in seipsa tota una.

Multa, h. e. singularia, ita ex ideis suis participant, ut indivisibiles maneant ideæ, propriamque suam in seipsis essentiam retineant, supra singularia omnia: h. e. essentiam suam in seipsis habent, neque tantum meræ sunt relationes.

Ideæ mentis notiones sunt, & in

in mente nostra subsistunt, ita tamen, ut primario & a seipsis in rerum natura existant: ut adeo in mentibus nostris, non alia ratione notiones illæ subsistant, quam quatenus æternas illas naturæ formas referunt, h.e. non tanquam entia realia, sed tanquam similitudines & imagines entium. Ita ut ab hisce ideis, in seipsis subsistentibus, communicatio derivetur, cum notionibus mentis nostræ. Alias enim, si ipsæ ideæ, vel species totæ, in mente nostra existerent, notiones non essent notiones, neque ens esset ens: quandoquidem etiam res ipsæ diversimode percipiantur a diversis.

Præterea magna in rebus ipsis perturbatio non existere non posset, si ex hominum arbitrio novæ assidue formæ producerentur: quod fieri necesse esset, si mens humana eas posset formare, & si, quicquid mente sua concipit homo, species statim evaderet.

Vicissim ea ratione excellentissima omnium rerum scientia, quæ Deo inest, ipsi neganda foret inesse, cuius mens est omnium origo: ut absurdissimum non esse non possit, tribuere homini mentem, specierum creatricem, Deo vero, qui omnia gubernat, eam negare. Species igitur à mente humana non pendent: quin contra potius ab humana natura ignorantur. Genus vel essentia cuiusvis rei per seipsam est, neque in singularibus existit: sed horum fulcrum est, & fundamentum.

Præterea, nisi essent species rerum, magna scientiarum existeret perturbatio, illæ enim universalium sunt, cum nemo mortalium mente individua omnia complectatur. Infinitum certe esset, & confusioni obnoxium summæ, ea incedere via, ita, ut omnis philosophia & disputatio omnis veritate & certa scientia rerum, sit destituenda. Cum ratione contraria, in omni scientia expeditissima discendi via sit, ut particularia ad species suas reducantur, ut ita natura eorum & qualitates appareant.

Et *primariæ* quidem *ideæ*, archetypæ *proprietates* essentiales sunt sequentes.

*Primo*, multiplex non est, h.e. rebus creatis non est permista, quarum est principium, partibus enim & figura destituitur, quippe infinita quæ sit.

*Secundo*, motu destituitur omni & mutatione, semper immota & eadem.

*Tertio* ætatis & temporis est expers, quippe æterna, sine juventutis & senectutis vicissitudine, neque ulla ratione temporis particeps, nullis temporis circumstantiis obnoxia, omnia semper sibi præsentia habens.

*Quarto*, non est particeps eius essentiæ, per quam singularia esse dicuntur, sed potentiam & facultatem existendi omnibus singularibus confert, ipsa vero omnem excellit essentiam. Essentia multitudini rerum distribuitur, neque ea ullum ens, maximum, minimum, destituitur.

*Quinto*, prima identitas per omnes res, quibus potentiam & facultatem existendi largitur, diffunditur, ut multiplicitatem & infinitatem, quæ fere competit singularibus, limitibus unitatis circum-

scribat, ita, ut unum, quod in se infinitum est, neque partes habet, singularibus quasi terminetur.

Idearum *secundariarum*, quæ sunt causæ naturales, & primæ ideæ effecta, sequentes observantur proprietates,

*Primo*, illis æque ac primæ ideæ *unitas* competit, omnia enim, quæ ab iis continentur singularia, determinate ad classes suas reducuntur. In hoc vero a primaria idea differunt, quod unum in ideis secundariis vere *finitum* sit, initium habens, mediumque, & finem.

*Secundo*, penitus in singularibus subsistunt, non, quasi ab iis essentiam suam derivent, in divina enim mente existunt, in singularibus tamen *conspiciuntur*: ut si scire velis, quid sit humanitas vel species hominis, individua humana erunt inspicienda, in quibus species spectatur. Secundariæ ideæ in rebus sensibilibus sunt *ἐσχηματισμέναι figuratæ*.

*Tertio*, secundariæ ideæ sunt eædem, & diversæ: eædem in se ipsis: diversæ in singularibus, ideoque & quiescunt, & moventur, cum primariæ ideæ omnis mutationis sint expertes, in mediis rerum transeuntium vicissitudinibus.

In ordine naturæ *Unum* in specie est per seipsum, neque essentiam suam a singularibus derivat, sed est per se subsistens, quippe quod species sit, cuius virtute *multa* h. e. singularia omnia subsistunt.

*Quarto*, diversa, h. e. singularia ab uno procedunt, unum vero, quod in diversis conspicitur, essentiam suam ab aliquo tertio habet: h. e. individua existunt per hasce ideas secundarias, ita tamen, ut ideæ secundariæ a primaria essentiam suam habeant, pariter ac virtutem, qua singularibus existentiam largitur.

*Quinto*, ideæ secundariæ principiis contrariis agunt, ita tamen, ut contraria hæcce principia uno similitudinis vinculo coniungantur, unde tertium quoddam resultat. Ad productionem rerum naturalium tria concurrunt, duæ ἄψεις, & tertium, quod eas coniungit: ἄψεις sunt entia sese *contingentia* invicem; (h. e. res ipsæ naturales). Tertium est *analogia*, quæ inter reliqua duo intercedit, proportionumque earum similitudo. Ἄψεις dari nullæ possunt, nisi inter duas ad minimum res, neque aliquid producere sine tertio possunt, *combinatione*. Ἄψεις dissimilares esse oportet, ut unitas, & æqualitas introducatur.

*Sexto* ideæ *secundariæ* temporis expertes haut sunt, sed quicquid agunt, in tempore agunt: cum *primariæ* contra ideæ, ut dictum est antea, omnia sint præsentia. Res naturales in tempore existunt, & pereunt, species vero earum, sive ideæ, constantes sunt, & permanentes.

---

# MELISSUS.

## CAP. I.

### *Vita eius.*

MELISSUS Samius fuit, Ithagenis filius, discipulus Parmenidis, cum Heraclito etiam versatus, eo tempore, quo ita de eo Ephesii perperam sentiebant, ut olim de Democrito Abderitæ. Laert. IX. 24.

Fuit

* Fuit vir in republica gerenda egregius, & magnæ inter suos autoritatis, a quibus classi præfectus, & in pretio ob virtutem est habitus. Floruit juxta Apollodorum circa Olym. LXXXIV.

## CAP. II.

*Opiniones ejus.*

Aristot. Phys. I, 2, 3. PArmenidem secutus, *principium* rerum unum esse, & immobile, statuebat. Unum hoc omnia esse, Ens esse infinitum, ita arguebat: Id, quod factum est, principium habet: id, quod non factum est ergo, neque principium habet. Universum vero, sive hoc, quod est, factum non est, principium ergo non habet, imo nec finem. Infinitum ergo est: adeoque & unum, infinita enim plura dari repugnat: ergo & immobile erit, omnia enim occupat, neque quippiam est, a quo moveatur.

Laert. IX, 24. *Universum infinitum* esse, & *immutabile*, atque immobile, & unum, sibi ipsi simile, ac plenum, docuit.

Aristot. Phys. IV, 8. *Immobile* esse, hoc modo probabat, quoniam, si moveatur, vacuum admitti necesse sit, *Vacuum* autem in natura nullum dari.

Laert. l. c. Arist. de Cælo III, 1. *Motum* non esse, verum videri esse. Neque res generari, atque corrumpi, verum ita nobis tantum videri.

Laert. l. c. De *Diis* nihil definiendum dicebat, neque enim illorum certam dari cognitionem.

# ZENO.

## CAP. I.

*Vita ejus.*

ZENO Eleates fuit, *Pyrete*, juxta Apollodorum, patre natus, at ex rei veritate ille Parmenidis pater fuit: * Zeno vero natura Teleutagoræ, adoptione Parmenidis filius fuit, quem audivit, suique amantissimum habuit. Plato proceræ staturæ eum fuisse ait, & Eleaticum Palamedem appellat. Non philosophia autem tantum, sed & republica gerenda excellebat: scatentque præclara eruditione scripta ejus. Laert. IX, 25. Pyrethum vocat Stanl. Plato Parmen. p. 126. A.

Valerio Maximo teste, patriam egressus, in qua frui secura libertate poterat, Agrigentum, miserabili servitute obrutum, petiit, tanta fiducia ingenii ac morum suorum fretus, ut speraverit, & tyranno, & Phalaridi, vesanæ mentis feritatem a se diripi posse. Postquam deinde apud illum plus consuetudinem dominationis, quam consilii salubritatem, valere animadvertit; nobilissimos eius civitatis adolescentes cupiditate liberandæ patriæ inflammavit. Cuius rei cum indicium ad tyrannum manasset, convocato in forum populo, torquere eum vario cruciatus genere cœpit: subinde quærens, quosnam consilii participes haberet: At ille eorum neminem nominavit, sed proximum quemque, ac fidissimum tyranno suspectum reddidit: increpitansque Agrigentinis ignaviam ac timiditatem, effecit, L. III, c. 3.

* Hodie ap. Laert. legitur, [illegible] *sis, minus recte de eo sentientibus:* [illegible] *quo tempore etiam eum commendavit Ephe-* * Textus requirere videtur, ut ita suppleamus Stanl.

fecit; ut subito mentis impulsu concitati, Phalarim lapidibus prosternerent. Senis ergo unius equuleo impositi, non supplex vox, nec miserabilis eiulatus; sed fortis cohortatio, totius urbis animum, fortunamque mutavit.

Laert. lib. 1. Pyrrhonem vocat Icaum.

Laert. IX, 26. Sed aliter tamen quibusdam ista relata fuere. Satyrus enim, in sua de *Heraclide epitome*, dicit, eum, postquam contra Nearchum, vel, ut alii volunt, Diomedontem tyrannum conspirasset, deprehensum fuisse. Cumque adeo de conjuratis, armisque Liparam advectis, quæstionem subiret, omnes nominavit tyranno addictos, quasi conscii essent eius rei, ut ea ratione præsidio ipsum nudaret. Postea vero, in aurem tyranno se dicturum nonnulla simulans, mordicus eam apprehendens, non ante dimisit, donec ipse vulneribus confectus, concideret, eadem passus, quæ Aristogiton, qui Hipparchi, tyranni Atheniensis, tyrannide solum vertere est coactus. Demetrius refert, morsu eum tyranni nasum abstulisse. At Antisthenes ait, omnibus tyranni amicis nominatis, ab eo interrogatum, essetne alius quispiam? respondisse, esse omnino, tu enim civitatis es pestis: & ad præsentes conversum subiunxisse: *ignaviam vestram miror, qui tyranni ferre servitutem, solo metu eorum, quæ ego nunc patior, adacti, valeatis*. Quibus dictis morsu excissam linguam in tyranni faciem exspuisse ait, quo excitati cives, in tyrannum consurgentes, lapidibus eum obruerunt. Atque ita quidem proditum illis fuit: Hermippus vero ait, eum, in mortarium coniectum, contusum ita fuisse.

Plato Parmen. p. 1 seqq.

L. III, 4. 3.

Laert. Lo. c. 28. Inter alias virtutes, generoso contemtu fuit insignis, eorum, qui opibus & dignitate eminerent, Heraclito ea re similis. Quæ caussa fuit, cur patriam suam Eleam, quæ Hyele olim vocabatur, Phocæensiumque erat colonia, urbem cetera exiguam, sed quæ multos bonos viros genuisset, fastui & splendori Athenarum præferret, quas ut peteret, nunquam adduci potuit, sed plerumque in patria vixit.

Relatum est, eum, convitiis impetitum, vehementius excanduisse: cumque caussam interrogaretur, respondisse, *si maledicta æquo animo admittam, neque laudatus gaudio perfundar*. Floruit autem Olymp. LXXIX. Id. sect. 29

## CAP. II.

### *De Dialectica ab eo adinventa.*

Aristoteli, apud Diogenem Laertium, & Sextum Empiricum, est affirmatum, Zenonem Eleatam Dialectices fuisse inventorem, Rhetorices Parmenidem, quod & Galenus confirmat, inquiens: *Zeno autor Eristicæ philosophiæ perhibetur*. Verum nomina *Eristica* atque *Dialectica* posterioris ævi esse videntur. Si Laertium enim sequamur, successionem illius gentis philosophorum describentem, Euclides Megarensis, Parmenideam amplexus philosophiam, discipulis *Megaricorum* nomen dedit, qui *Eristici* postea, & postea Dialectici fuere vocati, nominis eius autore, Dionisio Carthaginiensi, eo, quod per quæstiones & responsiones dispu-

Laert. IX, 25. Sextus adv. Mathem. l. VII, pag. 191. Galen. Hist. Phil. Proem.

Laert. II, 106.

disputationes absolverent. Per Parmenideam autem philosophiam nihil aliud, quam Dialecticam eum intelligere, ex Sexto Empirico evincas, qui Parmenidem in Dialecticis non male versatum fuisse ait videri, eo, quod, ut Aristoteli visum, discipulus eius, *Zeno*, ea primus invenit.

Acad. qu. IV. 42. Hinc Ciceronem forte explices, qui eam ob causam Eleaticos philosophos, Megaricorum nomine videtur complecti, quorum, ut ait, fuit nobilis disciplina, cujus, ut scriptum invenio, princeps Xenophanes, quem modo nominavi: deinde eum secuti Parmenides, & Zeno. Itaque ab his Eleatici philosophi nominabantur. Post Euclides, Socratis discipulus, *Megaricus*: a quo iidem illi *Megarici* dicti, qui id bonum solum dicebant, quod esset unum, & simile, & idem semper. Hi quoque multa a Platone. A Menedemo vero, quod is *Eretrias* fuit, *Eretriaci* appellati. Hucusque Cicero.

## CAP. III.

### *Dogmata ejus.*

Aristot. de Zenone. IMpossibile statuebat, ut, si aliquid sit, id genitum sit, vel fiat, quod de Deo intelligebat. Nempe necesse est, ut, quicquid gignitur, vel ex similibus, vel ex dissimilibus gignatur. Ast neutrum istorum fieri potest. Simile enim non minus gignere simile, quam ab eo gigni existimes: quandoquidem in rebus similibus & æqualibus, omnia eundem ad se invicem respectum habent. Sed neque ex dissimili potest dissimile gigni, neque enim ex infirmiore fortius existit, neque ex minore majus, neque ex deteriore melius; vel ex non ente aliquid, id enim nulla ratione fieri potest. Hoc argumentum fuit, quo Deum æternum esse demonstravit. Si vero Deus entium omnium excellentissimum est, tum necesse esse aiebat, unus ut sit. Si duo enim essent, pluresve, omnium excellentissimum esse nequiret, cum unusquisque Deorum istorum, quippe similis ei, par ipsi excellentia sit futurus. Jam vero Deus, & potentia Dei talis est, ut gubernet, non gubernetur. Gubernat vero omnia, ita ut si aliquid eo præstantius existeret, Deus esse ipse non possit. Si autem plures essent, quorum meliores, alii deteriores essent, Dii esse non possent, Deus enim inferior esse, vel subjici, & gubernari haut potest. Neque, si æquales essent, entium omnium excellentissimum esset Deus: quod enim æquale est, nec melius esse potest, nec deterius eo, cui est æquale. Si Deus igitur est, isque si talis est, Deus ille unice debet esse unus: alias nec omnia, quæ vellet, facere posset, nam si plures essent, unus absoluta non posset valere potentia. Jam vero, cum unus sit Deus, porro affirmat, eum omni parte sibi similem esse, videndo pariter ac audiendo, & reliquorum sensuum quovis: alias enim partes Dei excellentissimæ haut essent, sed una alteram excelleret, id quod fieri repugnat. Cum omni vero parte similis sibi sit, rotundum esse oportet, neque enim parte una hanc, aliam parte altera figuram præ se ferre potest. Cumque adeo æter-

æternus sit, & unus, & rotundus, neque finitus est, neque infinitus. Infinitus non est, nam infinitum neque initium habet, nec medium, neque finem, neque aliam partem quamcunque: jam vero ens non potest esse tale, quale est non ens. Si multa essent, sese invicem essent limitatura. Verum *unum* neque non enti, neque pluribus simile est, nihil enim est, quo *unum* possit limitari. Porro cum tale unum sit Deus; neque moveri potest, neque immobilis est, immobile enim est non ens: quod neque per alterum aliquod transire, neque transiri ab altero potest. Vicissim, quæ moventur res, plures sint oportet: res enim unam in alia moveri necesse est. Jam si non ens non movetur; quemadmodum non ens nuspiam est; si item motus non datur, nisi inter plura; hinc consequi dicit ea, quæ moventur, duo ad minimum esse debere, vel plura uno: quod item non ens quiescat, id enim immobile est, unum vero nunquam quiescit, neque movetur, quandoquidem neque non ens est, neque multa. Sic affirmabat æternum esse Deum, & unum, & similem, & rotundum, nec infinitum, nec finitum, nec quiescentem, nec mobilem.

Præterea plures mundos esse affirmabat, vacuum dari nullum, naturam omnem consistere ex calido & humido, ex frigido & arido, quæ inter se commutentur. Hominem ex terra factum, animam eius ex quatuor istorum temperamento extitisse, nullo eorum prædominante. (Laert. IX. 29.)

Contra *locum* ita arguebat: Si quodlibet ens est in loco; locum eius loci dari oportet, & sic in infinitum. (Arist. Phys. IV. 3.)

*Motui* quatuor opponebat argumenta. *Primo*, nihil moveri, nam quicquid progreditur, id ad medium necessario devenire, antequam ad finem feratur. *Secundum* est, quod *Achillem* vocabant, quod lento gradu præcedentem rem, celerius mota res alia nunquam assequi possit. Rem enim, quæ subsequitur, ad locum deferri, a præcedente relictum, necesse est: & quod præcedit, continuo progreditur, æque ac id, quod sequitur. *Tertium* argumentum est: si unaquævis res quiescit, dum est in loco conveniente; quovis momento autem in loco conveniente est res quælibet; sequitur sagittam volantem immobilem esse. *Quartum*: si res moveantur, v. g. si pondera duo æqualia moveantur, unum a stadii initio, alterum a medio, eodem celeritatis gradu, tum dimidium tempus æquale toti esse, admitti necesse esset.

* Hæc argumenta diligentius explicavit in Lexico Critico P. Baelius, Artic. ZENON, ubi & de reliquis Zenonis rebus multo diligentius egit.

## LEUCIPPUS.

LEUCIPPUS Eleates fuit, secundum alios Abderita, imo sunt, qui Melium fuisse dicant, auditor fuit Zenonis. (Laert. IX. 30.)

Doctrinam eius ita repræsentavit Laertius: infinita esse omnia, & in se invicem commutari, atque universum illud, inane esse, ple-

plenumque, (h. e. atomis consta-rei, seu corpusculis,) mundosque fieri corporibus, in hoc inane incidentibus, & sibi invicem implicatis: ex quo motu, coalescentibus illis, natura siderum existat: Solem in circulo maiori circa lunam ferri; terram vehi, ac circa medium verti, figuramque eius tympano esse similem. Primus hic atomos principium rerum esse statuit. Hæc summa est eius doctrinæ, quæ jam explicanda per partes venit.

Universum quidem, ut diximus, infinitum ait. Huius partem plenam esse, partem inanem, & ista elementa ait, ex quibus infiniti mundi existant, & in quæ iterum solvantur. Sic autem fieri mundos: ex infinito per abscissionem, multa corpora, figuræ omnigenæ, in magnum vacuum ferri, eaque in unum coacta unam vertiginem efficere, secundum quam offendant in se invicem ac circumvoluantur modis omnibus, atque ita discernantur, ut seorsum similia, quæ sunt sui similia, petant. Ceterum cum pondere sint æqualia, neque ob multitudinem circulari motu ferri possint, exilia quidem ad exterius vacuum contendere, velut dissultantia: cetera consistere, & innexa, atque in se implicata invicem concurrere, atque primam quandam concretionem efficere rotundam. Hanc autem veluti membranam existere, continentem in se omnigena corpora; quæ dum secundum medii reluctationem circumvolvuntur; tenuem per gyrum membranulam fieri, juxta vertiginis tractum contiguis corporibus semper confluentibus. Atque ita fieri terram, dum juncta manent, quæ ad medium ferebantur. Ipsamque rursus exteriorem ambitum, membranæ instar augeri, juxta externorum influentiam corporum, & cum vertigine fertur, quæcunque attigerit, ea retinere. Ex his quædam complicata concretionem facere, primo quidem humidam ac luteam, exsiccata vero motu suo, quo cum toto circumaguntur: deinde incensa & ignita, siderum efficere naturam. Esseque solis circulum extimum; Lunæ terræ proximum, ceteris in medio horum positis, ac sidera quidem omnia ob celeritatem motus ignescere, solem vero inflammari a sideribus, lunam paululum ex sole ignis sibi usurpare. Solem autem, & lunam deficere, quod terra ad meridiem vergat; quæ vero ad septentrionem sunt, nivibus conspergantur, pruinis algeant, in glaciemque concrescant. Solem quidem raro deficere, lunam vero sæpe, quod sint impares eorum circuli. Enimvero, perinde ut generationem, ita & incrementa mundi, & diminutiones, & corruptiones ex quadam necessitate procedere. Hucusque Laertius. Reliquas eius doctrinas in Democrito referemus, qui plurima ab eo accepit.

---

# DEMOCRITUS.

## CAP. I.

*Patria, parentes, fratres, ætas.*

DEMOCRITUM Milesium quidam faciunt, receptior tamen sententia est, Abdera ortum esse,

esse, Thraciæ oppido (a), simplicitate civium celebri (b) quæ in proverbium abiit. Genus ei fuit nobilissimum (c), quod a fratre Herculis derivavit. Patrem ejus (d) Hegesistratum alii, alii Athenocritum, alii Damasippum (e) vocant. Democritus trium fratrum minimus fuit, reliqui duo Herodotus (f) fuere, & Damasus, vel, ut Suidæ (g) audit, (& Laertio h) Damastes.

Natus est Democritus juxta Appollodorum in Chronicis, Olympiad. LXXX. (i), quod & ipse confirmat, quando in *parvo diacosmo* (k) de se ait, juvenem se fuisse, jam sene Anaxagora, cui XL. annis integris ætate cesserit. Natus vero est Anaxagoras primo anno Olympiad. LXX. quadragesimus igitur inde annus in annum primum Olympiad. LXXX. incidit. Repudiandus ergo Thrasyllus (l), qui natum esse affirmat anno tertio Olymp. LXXVII. anno uno Socrate majorem.

Plinio (m) Agellioque (n) traditum, belli Peloponnesiaci tempore maxime eum floruisse: CCC post urbem conditam, ut Plinius ait, annis, CCCXXIII. annis juxta computum Agellii. Unde patet, quod Agellius addit, quibusdam temporibus iisdem cum Socrate eum vixisse, & forte, quod ait Laertius (o), cum Archelao, discipulo Socratis, & cum Oenipode, ejus enim meminit: quemadmodum & opinionis *de uno*, quam Zeno & Parmenides amplexi sunt, facit mentionem, eosque sua ætate maxime celebres fuisse ait, Protagoræ item, qui omnium consensu, ut addit Laertius, Socratis æqualis fuit. Consentit cum his rationibus etiam istud, quod *parvum diacosmum* DCCXXX. annis post Trojam captam scripsisse dicitur. Secundum Eratosthenem enim, a Troja capta ad Olympiadem I. anni numerantur CCCCVII, quibus adde CCCXXIII. annos, ad conficiendam summam annorum DCCXXX. sic enim devenies ad Olympiadem LXXXIV.

a Laert. IX. 34. — b Cic. ad Attic. IV. 16. — c Abderit. ep. ad Hippoc. — d Laert. l. c. — e Ælian. IV. 20. — f Laert. l. c. (35. Plin. H. N. XVIII. 35. — g in Democr. — h c. l. 39. — i Laert. c. 41. — k ap. Laert. l. c. — l Laert. l. c. — m Plin. H. N. XXX. 1. — n Agellius XVII. 21. — o Laert. IX. 41.

## CAP. II.

*Prima ejus institutio & præceptores.*

DEmocritus, ut Valerius Maximus ait, divitiis censeri poterat, quæ tantæ fuerunt, ut pater eius Xerxis exercitui epulum dare ex facili potuerit. Addit Laertius, Herodoto teste allegato, Regem, gratitudinis studio, Magos quosdam & Chaldæos apud eum reliquisse, locum fortassis Herodoti respiciens, ubi refert, Xerxem, in Asiam redeuntem, Abderam venisse, Abderitas vero convivio eum excepisse, quibus ille aureum sceptrum, & tiaram auro intextam, donaverit. Quin & vulgo ab Abderitis iactari, primum eum locum fuisse, ubi solverit, Zonam, ex quo Athenis profugerat, (quod minus verosimile Herodoto videtur,) tantum ejus fuisse pavorem. Est autem Abdera Hellesponto propior, quam Strymonius sinus, navem itaque hic ille conscendit. Ita Herodotus. Ab hisce Magis atque Chaldæis prima litterarum rudimenta Democritus accepit, a quibus, ipsis pueritiæ annis, Theologiam accepit, & astronomiam.

Posthæc Leucippum est sectatus, sed & Anaxagoram eum audi-

Val. Max. VIII. 7. Ext. 4. — Laert. IX. 34. — Herod. L. VIII. — Laert. l. c. — Laert. l. c.

audivisse tradunt. Phavorinus tamen in varia historia refert, de Anaxagora Democritum dixisse, non ejus esse, quas tradiderit de sole & luna, doctrinas, sed longe antiquiores, ab eo autem furto surreptas. Pariter ejus de mundi hujus creatione, & mente, sententias explodebat. Quomodo igitur, Phavorinus inquit, quod visum nonnullis, discipulus ejus extitit?

Nec minoribus dubiis obnoxium est Athenas susceptum ab eo iter, ubi, teste Valerio Maximo, compluribus annis moratus, omnia temporum momenta ad percipiendam, & exercendam doctrinam conferens, ignotus illi urbi vixit, quod ipse in quodam volumine testatur. Addit Laertius: ipsum ob gloriæ contemtum agnosci noluisse, Socratemque novisse, ipsi tamen fuisse ignotum: unde de seipso dixit: Athenas veni, sed nemo me novit. Thrasyllus ait, si in genuinis Platonis Dialogis sint *Rivales*, hunc esse collocutorum eum, cujus nomen latet, & qui præter duos illos, qui de Oenipode & Anaxagora sunt sollciti, de philosophia cum Socrate confabulatur: Cui dicit, quinque certaminum victori simillem philosophum esse. * Et certe (sic pergit Thrasyllus) talis erat, in Physicis enim, Ethicis, Mathematicis, scientiis liberalibus, & omnibus artibus versatissimus fuit. Sed Demetrius Phalereus in sua pro Socrate apologia dicit, nunquam Athenas Democritum venisse. Et hoc quidem Laertius multo majus esse dicit, quod urbem adeo illustrem contemnere potuerit, qui dare lucem loco, quam ab eodem accipere mallet.

L. VIII. c. 7.

a IX. 36.

* Quid Magnenus sibi velit, ista tanquam ab Anaxagora de Democrito ad Socratem dicta allegans (Democr. redivivo p. 28) ego quidem nescio. Stanl.

Certius est, Pythagoræorum aliquem eum audivisse. Thrasyllus affirmat, Pythagoræos eum esse imitatum, ipsiusque Pythagoræ meminisse, & admiratum virum esse in scripto quodam nomine ejus insignito. Omnia ab eo accepisse videtur, eumque audivisse poterat existimari, modo ne temporum repugnaret ratio. Glaucus tamen Rhegiensis, istorum temporum scriptor, affirmat, Pythagoræorum non neminem preceptorem illum habuisse. Apollodorus Cyzicenus Philolao coævum eum existimat. Duris ait Arimnestum eum audivisse, Pythagoræ filium.

Laert. IX. 38.

ap. Porphyr. vit. Pythag. p. 181.

Adeo autem a teneris strenue bonis litteris operatus est, ut teste Demetrio, ad domum exiguam in horto secesserit, ibique seipsum incluserit, cumque aliquando bovem eo pater adduxisset, quo rem sacram perageret, cumque alligasset, diu rei, quæ gereretur, ignarus fuit, donec illum pater admoneret, atque de bove ipsi quid faciendum sit, exponeret.

Laert. IX. 36.

## CAP. III.

*Itinera ejus.*

MOrtuo parente, tres fratres hæreditatem adiuere. Democritus, natu minimus, portionem eam, quæ parata pecunia constaret, preoptavit, quæ, licet minima esset, longinquas peregrinationes meditanti esset convenientissima. Quamvis autem minima parte contentus fuerit, dolum tamen id illi interpretabantur. Testatur autem Demetrius

Laert. IX. 35.

C. talenta ipsius partem excessisse, omnem vero hanc summam consumsit, non patriæ, quod Valerio Maximo est relatum, donavit. Eo vero spectat, quod Cicero ait: patrimonium eum neglexisse, agros deseruisse incultos, nihil quærentem aliud, nisi beatam vitam.

L. VIII. c. VII. Ext. 4. Cic. de Fin. V. 29.

Laertius, Demetrio & Antisthene testibus allegatis, refert, in Ægyptum eum ad sacerdotes esse profectum, geometriæ discendæ causa, in Persiam item ad Chaldæos, atque ad mare rubrum. Sunt, qui cum Gymnosophistis in India dicant versatum, & in Æthiopiam profectum esse, variamque harum gentium sapientiam didicisse. Cum Ægyptiis, ut ipse affirmat, annis vixit LXXX.

Laert. IX. 35. adde Ælian. V. H. IV 20. Suid. Δημόκρ. Clem. Strom. I. p. 304. A.

Ob hæc ipsa, vero, ut Ælianus ait, Theophrasto fuit commendatus, quippe qui itineribus suis meliora, quam vel Menelaus collegerit, vel Achilles: illi enim perinde ac Phœnicii mercatores hinc inde oberrabant, atq; opes conquirebant: ea enim itinerum, terra marique susceptorum, causa iis extitit. Neque proinde ipse de se dixit Democritus: *Inter omnes meæ ætatis homines plurimas peragravi terras, maximeque remota investigavi, plurimasque sive aeris, sive terræ observavi varietates, doctissimos vero homines audivi, neque in componendis ad demonstrandum lineis quisquam adhuc me superavit, ne inter ipsos quidem Ægyptios illi, qui ARPEDONAPTÆ audiunt.*

Ælian. Var. IV. 20.

Clem. Al. l. c.

## CAP. IV.

*Vita Abderæ transacta, postquam ex itinere rediisset, & respublica ab eo administrata.*

Ex itinere reducis tenues facultates fuisse, Laertius ait, quippe qui omne patrimonium suum consumsisset. Damasten itaque, fratrem, quod necessariis laborare videret, humaniter susceptum aluisse. Ubi vero prædixisset nonnulla, quibus responderet eventus, ab eo tempore tanquam Deum quendam in honore eum plerique habuerunt. Præterea, cum lex esset, ut sepultura in patria negaretur ei, qui sua omnia consumsisset: Democritus quidem, id intelligens, ut ne invidorum quorundam, & sycophantarum pateret calumniis, Antisthene teste, *diacosmum* suum *magnum* populo prælegit, (erat autem illud scriptorum ejus excellentissimum.) Ea re D talentorum munus promeruit, statuamque præterea ex ære. Hucusque Laertius.

Laert. IX. 39.

Prædictionum harum duo exempla suppeditat Plinius: Ferunt, inquit, Democritum, qui primus intellexit, ostenditque cum terris cœli societatem, spernentibus hanc curam ejus opulentissimis civium, prævisa olei caritate ex futuro Vergiliarum ortu, magna tum vilitate, propter spem olivæ, coemisse in toto tractu omne oleum, mirantibus, qui paupertatem & quietem doctrinarum ei sciebant inprimis cordi esse. Atque, ut apparuit causa, & ingens divitiarum cursus, restituisse mercede anxiæ & avi-

H. N. L. XVIII. c. 28.

dæ dominorum potentiæ, contentum ita probasse, opes sibi in facili, cum vellet, fore.

Ll. XVII. 35. Sed en alterum quoque. Metente fratre ejus, Damaso, ardentissimo æstu, oravit, ut reliquæ segeti parceret, raperetque desecta sub tectum, paucis post horis sævo imbre vaticinatione approbata. Addit Clemens Alexandrinus: Strom. VI. p. 631. D. ex stellis eam factam esse conjecturam: atque fidem quidem ei habentes, fructus collegisse, in areis enim nondum eos fuisse *, quippe æstas cum esset.

Laert. IX. 39. Hisce & aliis ejus generis prædictionibus tantam apud plerosque autoritatem est consecutus, ut ab eo tempore divinis eum prosecuti honoribus fuerint. Dicitque Cle- l. c. mens, σοφίαν, h. e. *sapientiam* inde eum appellatum esse, Ælianus *Philosophiam* dictum ait, ut olim λόγος Protagoras vocabatur. Imo tan- Var. Hist. IV. 20. Suid. Δημόκ. tam ei sapientia autoritatem conciliavit, ut rerum summam Abderitæ ei committerent.

C A P. V.

*Secessus ejus.*

Laert. VIII. 38. Cum vero ingenio esset ad contemplationes maxime proclivi, neque adeo dignitatis in civitate splendore delectaretur, iisdem sese subduxit, atque, referente Antisthene, variis circa phantasiam experimentis operam navavit, h.e. circa impressiones rerum, quæ facultati imaginatrici sese offerunt, non ipsam illam facultatem, sæpe in solitudine atque sepulcris vitam ducens. Addit Lucianus, sepulcro extra moenia inclusum, die φιλο- noctеque scriptioni ibi vacasse: ψευδ. adolescentibus vero nonnullis ei illudentibus, eumque ut terrerent, lemures simulantibus, vestes indutis nigras, larvasque, mortuorum capita referentes, atque eo habitu circa eum desultantibus, nihil ea re motum fuisse, neque eos respexisse quidem, sed continuata scriptione, *desinite tandem ineptire*, dixisse: adeo ei persuasum fuisse, nihil animas esse, postquam ex istis corporibus discessissent.

Deligebat vero loca hujusmodi, quæ solitudine & obscuritate contemplationi conducerent maxime: meminitque Agellius in monimen- XVI. 7. tis historiæ Græcæ (hodie non obviis) scriptum esse, luminibus oculorum sua sponte eum se privasse, quia existimaret, cogitationes, commentationesque animi sui, in contemplandis naturæ rationibus vegetiores & exactiores fore, si eas videndi illecebris & oculorum impedimentis liberasset. Id factum ejus, modumque ipsum, quo coecitatem facile solertia subtilissima conscivit Laberius descripsit, sed causam voluntariæ coecitatis finxit aliam, vertitque in eam rem, quam tunc agebat:

*Democritus Abderites, Physicus, Philosophus.*
*Clypeum constituit contra exortum Hyperionis,*
*Oculos effodere ut posset splendore æreo.*
*Ita radiis solis aciem effodit luminis.*

*Malis*

* Leg. ἐν τοῖς ἅλωσιν οὐκέτι ὄντων Stanlei. Nempe apud Laertium legitur ἐν ταῖς ἅλωσιν ἔτι ὄντων. Quod bene se habet: ἅλων enim Græcis area est sub diu, in qua reponebantur fruges, donec triturarent, & diversa est ab ἀποθήκη, in qua reponuntur, & asservantur.

*Malis bene esse ne videret civibus.*

Prior autem ratio ab Agellio allegata, factum nempe id esse, ut contemplandis naturæ rationibus vacaret, a Cicerone quoque, Plutarcho, atque aliis adducitur; *Democritus*, inquit Cicero, *luminibus amissis, alba scilicet & atra discernere non poterat: at vero bona, mala, æqua, iniqua, honesta, turpia, utilia, inutilia, magna, parva, poterat: & sine varietate colorum licebat vivere beate, sine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri animi etiam aciem adspectu oculorum arbitrabatur.*

Plutarch. lib. π. τῶ λυπρα γυεσ. p. 521. C. Cic. Tusc. V. 39.

Aliam præterea causam allegat Tertullianus: quod mulieres sine concupiscentia adspicere non posset. Cicero tamen, alio loco, de toto illo negotio ita loquitur, ut de eo illum dubitare pateat, neque sine causa, ut ex sequenti patebit narratione.

Apolog. c. 46. Cic. de Finib. V. 29.

## C A P. VI.

**Democriti cum Hippocrate conversatio.**

CUm rerum omnium externarum negligentissimus Democritus, in speluncis & solitudinibus, vitam ita traduceret, Abderitæ atrabile eum ad furorem usque, laborare existimavere. Confirmabat eorum opinionem, quod quacunque occasione in risum effunderetur. Quamobrem ex principibus civitatis suæ Amelesagoram miserunt, Hippocratem qui conveniret, Principem medicorum, apud Coos degentem, cui istas litteras perferendas tradidere.

Senatus Populusque Abderitarum S. Hippocrati.

" Nunc maxime urbe nostra in periculo versatur vir noster, o Hippocrates, qui & præsenti tempore, & futuro, semper gloria urbis fore sperabatur. (Neque nunc, o vos dii omnes, nobis invideatur!) Hic præ multa, quæ detinet ipsum sapientia, ægrotat, ut timor non vulgaris sit, si Democritus mente motus fuerit, revera urbem nostram Abderitarum pessum ituram esse. Etenim oblitus omnium, & primum sui ipsius, vigilans & noctu, & interdiu, & singula parva ac magna deridens, & totam vitam nihil esse putans, vitam transigit. Ducit aliquis uxorem, alius mercaturam exercet, alius concionatur, alius imperat, alius legatum agit, eligitur, abrogatur, ægrotat, vulneratur, moritur: at hic ridet omnia, dum alios mœstos ac tristes, alios gaudentes videt. Quin & de his, quæ apud inferos sunt, hic vir perscrutatur, & hæc scribit, & idolis aerem plenum esse dicit, & volucrum voces intentis auribus explorat, & sæpe noctu exsurgens solus cantilenas sensim canenti similis est, & se aliquando in rerum immensitatem proficisci dicit, & Democritos similes esse sibi ipsi innumerabiles, & corpus una cum mente perdens vivit. Hæc timemus, o Hippocrates, ob hæc perturbati sumus. Quapropter nos serva, & patriæ nostræ consulturus cito adsis: neque nos contemseris. Nam neque ita viles sumus; & in nobis testimonium situm est. Ob ipsum enim conservatum, & gloriam, & pecunias, & doctrinæ famam consequeris: quanquam doctrinæ ratio multo potior apud te est, quam fortunæ. Atta-

Oppl Hippocr. T. II. p. 902.

men & hujus bona multa ac lucu-lenta tibi a nobis obvenient. Etenim animæ Democriti gratia, etiam si urbs aurum esset, non nostræ voluntati responderet, aut quacunque tandem re illi carendum esset. Leges nostras putamus ægrotare, o Hippocrates, leges prævaricari. Adsis, optime vir, curaturus virum insignem: non medicus, sed conditor, sacratiorem tota Jonia murum nobis circumdabis: civitatem, non virum curabis: & senatum ægrotantem, & ne claudatur, periclitantem, aperies. Ipse legislator, ipse judex, ipse princeps, ipse servator, & horum artifex advenies. Ob hæc te expectamus, o Hippocrates, atque hæc etiam fient, ubi veneris. Una civitas non ignobilis, imo tota Græcia rogat te, serva corpus sapientiæ. Quin potius ipsam apud te legationem agere puta doctrinam, ab hac prævaricatione liberari supplicantem. Cognata equidem res est omnibus, velut apparet, sapientia. Verum his, qui propius ipsam complexi sunt, velut nobis, etiam longe amplius. Et sicut probe nosti, gratificaberis etiam futuro seculo, si non destitueris Democritum propter veritatem, cujus primas se laturum esse sperat. Tu enim & genere, & arte conjunctus es Æsculapio. Hic vero Herculis est ex fratre nepos. A quo est & Abderus, quemadmodum omnino audisti, cujus cognomen urbs nostra refert. Quare etiam illi grata fuerit Democriti sanatio. Quum igitur videas, o Hippocrates, & populum, & virum insignem, ad stupiditatem diffluentem; festina, rogamus, ad nos. Heu ut etiam bona redundantia morbi existunt! Quantum enim Democritus ad summam sapientiam generose pervenit, tantum nunc pariter periclitatur, ne mentis stupore & stoliditate affligatur. At reliquum vulgus Abderitarum, quod mansit absque eruditione, communem sane sensum habet. Imo nunc prudentiores sunt ad sapientis morbum judicandum, qui prius desipuerunt. Adsis igitur cum Æsculapio patre. Adsis cum Herculis filia, Epione. Adsis cum Æsculapii filiis, qui ad Ilium militarunt. Adsis nunc, Pæonias afferens morbi medelas. Nunc terra radicibus & herbis, & auxiliaribus floribus, insaniæque medicamentis fœcunda est. Ferme igitur nunquam fertilius producent, neque terra, neque montium cacumina, quam nunc proferunt ea, quæ pertinent ad Democriti sanitatem. Vale. „

Quibus ita Hippocrates respondit:

*Hippocrates S. P. Q. Abderitarum S.*

“ Civis vester Amelesagoras venit in Co, & erat tunc in illa die Virgæ assumtio & annua festivitas, ac publicus (velut nostis) conventus, & pompa sumtuosa fiebat, qua mos est eos, qui deo dicati sunt, ad Cyparissum deducere. Quandoquidem autem & ex verbis, & ex adspectu, Amelesagoras festinare videbatur, credens, velut erat, rem ipsam urgere: epistolam vestram legi, & admiratus sum, quod ob unum hominem, velut si unus homo esset ipsa civitas, turbati estis. Et beati profecto sunt populi, qui sciunt bonos viros

viros sua esse munimenta, & non turres, neque muros, sed sapientium virorum sapientia consilia. Ego vero, qui credo artes quidem esse deorum dona, homines autem naturæ opera (& ne ægre feratis, viri Abderitæ) non vos puto, sed ipsam naturam me vocare, ad conservandum ipsius opus, quod periclitatur, ne præ morbo collabatur. Quare præ vobis ego nunc, naturæ ac diis obediens, festino ægrotantem Democritum sanare: si quidem sane & hoc morbus est, & non potius error vobis tenebras offundit: id quod opto. Atque utinam sit hoc uberius vestræ benevolentiæ signum, quod etiam ad suspicionem turbamini. Argentum autem mihi venienti, neque natura, neque Deus promittere poterit. Quare neque vos, viri Abderitæ, cogatis: sed liberæ artis etiam opera libera esse sinatis. Qui vero mercedem capiunt, hi scientias servire cogunt, velut captivas facientes ipsas ex priore libertate: deinde, velut verisimile est, mentiri etiam poterint, velut de magno morbo; & negarint, velut de parvo: & polliciti non venerint, & rursus venerint non vocati. Misera est profecto humana vita: quoniam per totam ipsam intolerabilis avaritia, velut hybernus ventus, distributa est, ac penetravit. Ad quam utinam potius omnes medici convenissent, quo graviorem insania morbum curarent: quoniam, quum morbus sit, & affligat, etiam laudatur. Ego vero arbitror etiam animæ morbos omnes vehementes esse insanias, quæ opiniones quasdam ac imaginationes rationi inducunt. A quibus qui per virtutem depurgatus est, sanus evadit. Quod si ego omnino ditescere voluissem, viri Abderitæ, non utique decem talentorum gratia ad vos proficiscerer: sed ad Magnum accessissem Persarum Regem, ubi totæ civitates, humanis opibus refertæ, mihi obtigissent: sanassem autem illic ipsorum pestem. Verum denegavi, inimicam Græciæ regionem a malo morbo me velle liberare. Et ego, quantum in me fuisset, Barbaros expugnassem. Habuissem autem ignominiam ipsas a Rege divitias, & opulentiam patriæ inimicam. Hæc vero mihi adfuissent, velut ei, qui urbium Græciæ devastator esset. Non puto divitias esse lucrum undiquaque quæsitum. Magna enim sunt sacra virtutis, quæ a justitia non occultantur, sed manifesta existunt. Aut non æquale peccatum esse putatis, hostes servare, & amicos mercede sanare. At non hoc modo se res nostræ habent, o Abderitæ. Non capio fructum ex morbis, neque libenter audivi, Democritum mente motum esse. Qui, sive sanus est, amicus est: sive ægrotat, curatus magis amicus erit. Audio autem ipsum gravibus ac solidis moribus præditum esse, & urbis vestræ ornamentum. Valete „

Huic itineri se parans Hippocrates ad amicum suum scripsit, *Dionysium*, eum, ut rei familiaris ipso absente curam gereret, rogans. Ad *Damagetum* item,

Epistola Hippocr. p. 910. Ib. p. 911.

ut navis comparandæ curam gereret: nec non ad *Cratevam*, ut simplicia medicamenta ad se mitteret. Die vero, quæ adventum ejus apud Abderitanos præcedebat, Æsculapium in somnio vidit, suo quidem auxilio non opus futurum, Hippocrati dicentem, modo feminæ, quam ipse adduxisset, sequi auspicia velit: eam vero ut Hippocrati tradidit, disparuit. Femina ea pollicebatur suam in ædibus Democriti præsentiam ad proximam diem. Nomen vero ab Hippocrate interrogata, *Veritatem* se esse professa est: digitoque aliam feminam monstrans, quæ eam sequebatur, *Opinionem* esse dixit, quæ apud Abderitas domicilium fixerit. Hoc somnium Hippocratis fuit. Ut insequenti vero die Abderæ acceptus fuit, ipse Damageto, amico suo, sequentibus litteris explicavit.

ib. p. 911.

Ib. p. 913.

*Hippocrates Damageto S.*

« Hoc erat illud, Damagete, quod conjectabamus: non insanit Democritus; sed super omnia sapit, & nos sapientiores effecit, & per nos omnes homines. Remisi autem tibi, amice, revera Æsculapeam navem: cui cum solis signo etiam sanitatis insigne apponito. Nam revera secundo numine vela fecit: & illa die in Abderam navigavit, qua scripseram ipsis, me perventurum esse. Omnes igitur ante portas congregatos invenimus, nos, velut verisimile est, expectantes, non viros solum, sed etiam mulieres: insuperque senes & pueros, (per Deos,) tristes, itemque infantes. Atque hi quidem sic habebant, velut ob Democritum insanientem. Ille vero sincere tunc in philosophando excellebat. Postquam autem me vidissent, visi sunt mihi paululum ad seipsos rediisse, & bonas spes ostentabant. At Philopœmen me ad hospitium ducere gestiebat, & hoc ab illis comprobabatur. Ego vero, o viri Abderitæ, inquam, nullum mihi majus operæ pretium est, quam Democritum videre. Illi vero hoc audito, collaudarunt, & gavisi sunt, & compendio duxerunt me per forum, partim sequentes, partim præcurrentes, alii ab utraq; parte: Serva, clamantes, auxiliare, medicare. Et ego adhortabar ipsos, ut confiderent, quod fortassis nihil sit mali: aut, si quid esset, modicum id esset, & correctu facile, confisus horis anni Etesiis. Et simul hæc dicens ibam: Neque enim procul erant ædes: imo neque tota civitas. Aderamus igitur: propinquæ enim muro erant, & me placide eo deducunt. At retro turrim collis erat altus; longis ac densis populis nigris umbrosus, unde Democriti habitacula conspiciebantur. Et ipse Democritus sub ampla ac humillima platano sedebat, in veste crassa, citra humeros desinente, solus, discalceatus, super lapidea sede, valde pallidus ac macilentus, promissa barba. Juxta ipsum vero a dextra, tenuis aqua, per declivem collem decurrens, leniter resonabat. Erat autem delubrum quoddam super illum collem, quantum equidem conjectura assequor, Nymphis dicatum, sponte enatis vitibus circumdatum. Ipse vero cum multo ornatu super genibus librum

librum habebat, Sed & alii quidam ex utraque parte adiacebant: accumulata erant etiam animalia multa, per totum resecta. Et ipse aliquando concitate incumbens scribebat, aliquando quiescebat, diu multumq; se continens, & secum ipso meditans. Deinde non longe post, his peractis, exsurgẽs deambulabat, & viscera animalium inspiciebat, & depositis ipsis digressus, rursus desidebat. At Abderitæ circumstantes me, tristes, & non procul a lacrymantibus oculos habentes, Vides, inquiunt, Hippocrates, Democriti vitam, quam insanit, & neque, quod vult, novit, neque, quod facit? Et quidam ex ipsis adhuc amplius ostẽdere volens ipsius insaniam, alta voce ploravit, instar mulieris, ob filii mortem lamentantis. Deinde rursus cum gemitu ejulavit, personam agens viatoris, qui aliquid ex his, quæ portabat, amisit. Verum Democritus, cum hæc audisset, partim ridebat, partim cachinnis explodebat, & nihil amplius scribebat. Caput autem frequenter concutiebat. Ego vero: vos, inquam, o Abderitæ, hic manete: ipse verò, ubi & verbis, corpori viri propior factus fuero, videroque, ac audiero, cognoscam affectionis veritatem. Et, hæc locutus, placide descendebam. Erat autem locus ille asper ac declivis. Itaque vix me suffulciens penetravi. Cum autem appropinquassem, incidi in ipsum, nescio quid, quasi ex numinis afflatu, & cum concitatione, scribentem. Stabam igitur isthic, expectans tempus quietis ipsius. Ipse vero paulo post, intermisso scribendi impetu, & stylo scriptorio deposito, respexit ad me accedentem. &: Salve, inquit, hospes. Et ego: Plurimum & tu, inquam, Democrite, vir sapientissime. At ille, verecundans, arbitror, quod non nomine me compellasset: Te autem, inquit quo nomine vocabimus? Ignorantia enim tui nominis causa erat, cur te hospitem appellarem. Hippocrates, inquam, Medicus, est mihi nomen. Is vero, Asclepiadarum, inquit, nobilitas, & magna sapientiæ tuæ in re medica gloria multum celebris, etiam ad nos pervenit. Quid autem negotii, o amice, te huc perduxit? Imo potius, ante omnia, conside. Vides autem, quod hæc sedes, foliis instrata, non est iniucunda, viridis adhuc, ac mollis, & ad insidendum lenior invidiosis fortunæ sellis. Cum autem consedissem, rursus inquit: Privatumne, aut publicum negotium agens huc pervenisti? Dic aperte, nam nos, quantum poterimus adiuvabimus. Et ego: quæ vera causa est, inquam, tui gratia huc venio, ut virum sapientem conveniam. Habet autem causam patria cuius legatum ago. Ille vero: hospitio itaque, primum utere nostro. Ego vero per omnia virum pertentans, etiamsi iam mihi manifestum esset, ipsum non insanire, Philopœmenem, inquam, nosti, civem vestrum? Etiam inquit, valde Damonis filium dicis, qui habitat apud Hermaidem fontem? Hunc ipsum, inquam, cuius ego sum ex patribus peculiaris amicus. At tu, Democrite, potiore me hospitio excipe, & primum sane, quid sit hoc, quod hic scribis? dicito. Ille vero, ubi paululum se continuisset: de insania, inquit. Et ego, o rex Iupiter, inquam, opportune profecto scribis,

con-

contra civitatem. At ille; qualem inquit, civitatem, Hippocrates? Ego vero: nihil, inquam, o Democrite, sed haut scio, quomodo hoc verbum mihi excidit. Verum quid de insania scribis? Quid enim, inquit, aliud, quam quid sit, & quomodo in hominibus generetur, & quomodo allevetur. Nam animalia hæc, quæ vides, inquit, huius gratia reseco, non quod odio habeam opera Dei, sed bilis naturam ac sedem quærens. Nosti enim quod hæc furoris hominum causa est, ubi nimium redundarit. In omnibus equidem a natura inest: sed in quibusdam minus, in quibusdam amplius. At immoderatio ipsius morbi sunt, ipsa velut materia, aliquando bona, aliquando mala subiacente. Et ego, per Jovem, inquam, o Democrite, vere hæc, & sapienter dicis. Quare beatum te iudico, qui tanta quiete frueris. Nobis autem, huius ut participes simus, non permissum est. Interrogante vero illo, cur, Hippocrates, permissum non est? Quoniam, inquam, aut agri, aut res domesticæ, aut liberi, aut usuræ, aut morbi, aut mortes, aut famuli, aut nuptiæ, aut eiusmodi quædam, opportunitatem nobis commodam eripiunt. Hic sane vir ille ad solitam adfectionem delatus est, & valde effuse risit, ac cachinnatus est. De cetero vero quiete agebat. Et ego: Quid vero, inquam, Democrite, rides? utrum bona, quæ dixi, aut mala? Ille vero adhuc magis ridebat. Et Abderitæ de colle id videntes, partim capita sua cædebant, partim frontem: alii vero capillos evellebant. Nam, velut postea dixerunt, ampliorem, quam alias solitus esset, risum effuderat. At vero, inquam, sapientum optime, Democrite, cupio causam huius tuę affectionis cognoscere: quo risu ego tibi dignus visus sum, aut ea, quæ dixi: ut hoc cognito, a causa desistam, aut tu reprehensus, intempestivos risus coerceas. Ille vero: o Hercules, inquit, si me reprehendere potes, curationem perficies, qualem nullam unquam, o Hippocrates. Et quomodo non reprehendaris, o optime? Aut non absurdum te esse putas, tum rides hominis mortem, aut morbum, aut mentis emotionem, aut insaniam, aut atram bilem, aut cædem, aut aliud quid peius? aut vice versa, nuptias, aut festivitates, aut liberorum procreationem, aut mysteria, aut magistratus, aut honores, aut aliud quid omnino boni? Nam quorum misereri oportet, ea tu derides, adeo, ut neque bonum, neque malum apud te sit discretum. At ille, hæc quidem, inquit, recte dicis, o Hippocrates: sed non novisti risus nostri causam. Ubi vero cognoveris, satis scio, quod meum risum, meliorem legatione medelam, ac curationem tuæ patriæ, & tibi ipsi sis ablaturus, aliosque prudentiores sis redditurus. Et pro hoc fortassis me vicissim medicinam docebis, ubi cognoveris, quanto studio circa res, nullo studio dignas, versantes, & ea, quæ nullius pretii sunt facere conantes, omnes homines vitam consumunt risu digna tractantes. Ego vero, dic, inquam, per deos, nunquid universus mundus ægrotare se non animadvertit? & non habet

bet, quo legationem dimittat ad sui curationem? Quid enim extra ipsum esse poterit? Ille vero excipiens: Multæ, inquit, sunt mundorum infinitates, & nequaquam, o amice, divitem naturam maligne extenues. At hæc quidem, inquam, Democrite, suo tempore docebis. Vereor enim, ne forte, dum infinitatem recenses, ridere incipias. Scias autem nunc, de tuo risu, rationem vitæ te reddere debere. Ille autem torve me intuitus: duas, inquit, risus mei causas esse putas, bona, & mala. Ego autem unum hominem rideo, dementia quidem plenum, rectis autem actionibus vacuum, in omnibus consiliis pueriliter ac stulta se gerentem, & nullius utilitatis gratia labores numquam absolvendos tolerantem, fines terræ & infinitos recessus ex immodicis cupiditatibus penetrantem, argentum & aurum quærentem, & nunquam ab his acquirendis interquiescentem: sed semper circa plura adipiscenda tumultuantem, quo ipse inferior non sit, & neque pudefiat, si non felix appelletur. Rideo item ipsum eo, quod hiatum terræ effodit, manibus eorum perquirens, qui partim a laxa irruente terra oppressi sunt, partim diutissime in hac necessitate detenti, in supplicio, velut in patria, permanent, argentum & aurum inquirentes, vestigia pulveris ac ramenta perscrutantes, arenam aliam aliunde eruentes, & terræ venas exscidentes, ad opulentiam semper glebas conflantes, ex matre terra hostilem terram, quum tamen eadem sit, facientes, & hanc admirantes pedibus calcant. Quanto vero risu dignum est, quod ærumnosam & occultam terram amant manifestam contumelia afficientes? Alii vero canes emunt, alii equos: alii multam regionem circumscribentes, propriam sibi inscribunt: & multis imperare volentes, neque sibi ipsis imperare possunt. Vxores ducunt, quas paulo post eiiciunt. Amant, deinde odio habent. Cum magna cupiditate liberos generant: deinde adultos eiiciunt. Quæ est illa vana ac absurda diligentia, nihil ab insania differens? Bellum intestinum gerunt, quietem non amplectentes. Reges alios deponunt, alios surrogant; occidunt homines. Terram fodientes, argentum quærunt. Argento reperto, terram emere volunt. Emta terra, fructus vendunt: fructibus divenditis, rursus argentum accipiunt. In quot mutationibus versantur? in quanta malitia? Dum opes non habent, opes expetunt: dum habent, occultant, dissipant. Rideo, dum improbes agentes video. Rideo, dum improbe agentes video. Intendo risum, dum infeliter agentes cerno. Veritatis enim leges transgrediuntur: contentionis studio hostilem inter se litem habent, & cum fratribus, & parentibus, & civibus: atque ad hæc, pro ejusmodi opibus, quarum nemo, ubi mortuus est, dominus est, se mutuo occidunt: illicitam vitam degentes, amicorum ac patriæ penuriam contemnunt. Res indignas & inanimatas divitiarum loco habent: pro universa opulentia statuas emunt, quoniam effiges ita expressa est, ut loqui videatur: eos vero, qui vere loquuntur, odio habent. Res insuper non faciles expetunt.

Nam

Nam continentem habitantes, mare cupiunt. Et rursus, cum in insulis sunt, continentem desiderant, & omnia pervertunt ad propriam cupiditatem. Et in bello quidem fortitudinem laudare videntur. Vincuntur autem quotidie a petulantia, ab avaritia. Ex omnibus affectionibus ægrotant. Thersitæ vero vitæ omnes sunt. Cur vero meum risum reprehendisti, o Hippocrates? Non enim quispiam suam ipsius dementiam, sed alius alterius deridet: hi quidem ebrios, cum ipsi sibi sobrii esse videntur: alii vero amantes, quum ipsi graviore morbo laborent: alii navigantes, alii eos, qui circa agriculturam occupati sunt. Non enim concordant neque artibus, neque operibus. Ego vero, hæc quidem, inquam, vera sunt, Democrite, neque alius aliquis convenientior sermo esse poterit, ad mortalium miseriam declarandam: verum ipsæ res sanciunt necessitatem, & domesticæ dispensationis, & navium fabricationis, reliquæ item vitæ, in qua necesse est hominem esse. Non enim ad otium natura ipsum genuit. Ex his autem rursus ambitio effusa multorum recte sentientem animam decepit, qui omnia quidem recte ac serio agere student, velut re certa ac stabili futura: Non autem ita validi sunt, ut obscuritatem prævidere possint. Si enim quis, o Democrite, vxorem ducens, separationem aut mortem timeret: quispiam liberos educans, ipsorum interitum: imo neque in agricultura, & navigatione, & regno, & magistratu & omnibus, quæ sunt in vita, ullus unquam de errore præsumsit, sed unusquisque horum bona spe alitur, deteriorum vero ne meminit quidem: nunquid igitur risus tuus his minime convenit? At Democritus, valde, inquit, tardo ingenio præditus es, & longe a sapientia mea abes, o Hippocrates, qui tranquillitatis & perturbationis modum non consideras præ ignorantia. Si enim hæc ipsa prudenti mente disponerent: & ipsi facile liberarentur, & meum risum levarent. Nunc autem, velut rebus in vita firmis, dementes illi superbiunt, ob ratiocinationis expertem mentem inordinatum impetum suum ægre discentes. Sufficiens enim admonitio ipsis esset, omnium rerum vicissitudo, quæ subitis mutationibus irruit, de repente omnigenam circumrotationem inducit. At ipsi, velut hæc firma sit ac stabilis, obliti affectionum, assidue incidentium, aliter alias ea, quæ tristitiam inferunt, cupientes, & quæ non conferunt, quærentes, multis calamitatibus involvuntur. Si vero quis iuxta propriam facultatem omnia facere cogitaret, stabilem sane vitam custodiret, se ipsum cognoscens, & sui ipsius comparationem clare considerans, & non cupiditatis studium in infinitum extendens sed opulentam naturam, & omnium nutricem, per sufficientiam intuens. Quemadmodum autem in optimo corporis habitu affectionum periculum manifestum est: ita successuum fortunæ magnitudo periculosa est. Insignes autem palam in infelicitatibus conspiciuntur. Alii vero, velut proximorum facta non videntes, a propriis malefactis pereunt, tam manifesta, quam obscura non prævidentes, quum longam vitam exemplum habeant eorum, quæ fiunt, & quæ non fiunt, ex

qui,

quibus etiam futurum considerare oportebat. Hæc sunt, quæ mihi risus materiam præbent. O dementes homines, pravitatis pœnas pendentes, avaritiæ, insatiabilitatis, inimicitiæ, insidiarum, doli, invidentiæ, (difficile est enumerare multiplices malorum versutias: sunt enim infinitæ) & in his dolosis versutiis vicissim conversantes, & maligne sentientes. At virtutis apud ipsos modus est, id quod deterius est. Mendacii enim studium exercent, voluptatem consectantur, legibus non obedientes. Quidam vero ex ipsis prævidentiam in hominibus esse negant, ut qui neque visus, neque auditus, participes sunt. Solus autem sensus hominis, *recta intelligentia* lucidus, & præsens, & futurum prævidet. In omnibus displicentiam habent, & rursus ad eadem accedunt: abnegata navigatione, navigant: reiecta agricultura, rursus agrum colunt: eiecta uxore, aliam inducunt: genitos sibi liberos sepeliunt, & his sepultis, alios generant, ac rursus educant. Senectam optant: ad ipsam autem pervenientes, gemunt, in nullo rerum statu, constantem mentem habentes. Principes ac Reges privatum prædicant: privatus autem regnum appetit. Qui reipublicæ magistratum gerit, artificem laudat, velut extra periculum constitutum: artifex autem illum, velut per omnia potentem. Rectam enim virtutis viam, puram, & planam, ac inoffensam, non vident, quam nemo ingredi audet. Feruntur autem in contrariam, difficilem, & tortuosam, per aspera incedentes, lapsantes ac offendentes: plerique vero excidentes, anhelantes, velut si quis persequatur, litigantes, modo posteriores existentes, modo præcedentes. Et quidam ipsorum petulanti alieni cubilis corrumpendi amore ardent, per impudentiam inducti, alios avaritiæ morbus infinitus consumit, alii mutuo insidias struunt, alii ab ambitionis studio in aerem sublati, per malitiæ gravitatem in profundum perniciei præcipites deferuntur. Quidam destruunt, deinde rursus ædificant: largiuntur, deinde pœnitentia ducti, amicitiæ iura tollunt; malefici per inimicitiam cognationis, ita bello competentes. Et horum omnium causa est avaritia. Qua in re hi a pueris ludentibus differunt? apud quos consilium quidem iudicio caret: quod vero se forte fortuna obtulit, id iucundum est. At vero in desideriis quid brutis animantibus reliqui faciunt; quam quod intra sufficientiam feræ ipsæ se continent? Quis enim leo aurum in terram occuluit? Quis taurus uberioris alimenti gratia depugnavit? Quam pardalim unquam insatiabilitas cepit? Sitit quidem aper, sed usque ad aquæ appetentiam. Lupus autem, devorato necessario alimento oblato, quiescit. Si dies ac noctes coniungat homo, non sentit convivandi satietatem. Et annuarum quidem tempestatum ordo, terminus est brutis ad coitum: at homo perpetuo insano libidinis œstro stimulatur. Quæso te, Hippocrates: non ridere debeo plorantem propter amorem, eo, quod commodo suo exclusus est? Maxime vero, si quis periculorum contemtor fit, & per præcipitia, aut pelagi pro-

profunditates feratur, risum non extendam? Non ridebo autem eum, qui navem multis mercibus onustam demersit, deinde mari indignatur, quod ipsam plenam submersit? Ego quidem nequaquam mihi ridere videor. Vellem autem potius aliquid molesti contra ipsos excogitare. At neque medicinam pro his esse oportebat, neque aliquem Pæonia pharmaca præparantem: atque huius rei documentum præbeat tibi tuus ille progenitor, Æsculapius, qui, dum servaret homines, fulminis ictus gratiam accepit. Non vides, quod etiam ipse mundus odio in homines plenus est? Infinitas enim contra ipsum afflictiones accumulavit. Totus homo ex nativitate morbus est. Dum educatur, inutilis est, & alienum auxilium implorat: dum crescit, protervus, insipiens, pædagogo opus habens. Dum in vigore est, audax est. Dum decrescit, miserabilis, ubi labores suos imprudenter recolit ac iactat. Ex maternis enim uteri inquinamentis talis prodiit. Et propterea alii indignatione ac immodica ira pleni, in calamitatibus ac pugnis versantur: alii semper in adulteriis, & corrumpendis puellis: alii in ebrietatibus: alii in rerum alienarum cupiditatibus: alii in suis prodigendis. Utinam facultas esset nobis, universorum habitationes revelare, & nullum rerum ipsis velamentum dimittere, atque ita ea, quæ intus aguntur, videre: videremus utique alios edentes, alios vomentes, alios suppliciis torquentes, alios pharmaca miscentes, alios insidias construentes, alios supputantes, alios gaudentes, alios plorantes, alios amicos accusantes, alios propter ambitionem amentes. Quanquam sint quædam actiones profundiores, quæ in animo occultantur. Et ex his quidam sunt juvenes, quidam senes: petentes, negantes: pauperes, opulenti: fame pressi, luxu gravati, sordidi, vincti: alii deliciis diffluentes, famulitium magnum alentes: alii trucidantes, alii sepelientes: alii ea, quæ habent, contemnentes, & speratis possessionibus inhiantes: alii impudentes: alii parci, alii inexplebiles; alii occidentes, alii vapulantes: alii superbientes, alii vana gloria elati. Ex ex his aliqui apud equos spectatores consistunt: aliqui apud viros, aut canes, aut lapides, aut ligna, aut æs, aut picturas. Et aliqui legationibus, aliqui militiæ, aliqui sacerdotiis præsunt. Et alii coronas gestant, aliqui armati sunt, aliqui occiduntur. Singuli vero ex his feruntur, partim ad pugnam navalem, partim ad militiam, partim ad rusticationem: alii ad onerarias naves, alii ad forum, alii ad concionem, alii ad theatrum alii ad fugam, alii alio. Et rursus, quidam ad voluptatem, deliciasque, ac intemperantiam, quidam ad otium ac socordiam. Cum igitur hoc indignas ac infelices animas videamus, quomodo non vitam ipsarum, eiusmodi intemperantia præditam, risu exsibilarimus? Quin & valde timeo, neque medicinam tuam ipsis placere. Nam præ intemperantia omnia ipsis displicent, & insaniam sapientiam putant: profecto suspicor, pleraque in scientia tua palam contumelia affici, aut propter invidiam, aut propter ingratitudinem. Ægrotantes enim, simul ut servantur, causam

Diis

Diis aut fortunæ attribuunt. Plerique vero suæ naturæ hoc adscribentes, benefactorem odio habent, & parum abest, ut indigne ferant, si debitores esse putentur. Sed & plerique artis ignorantiam in seipsis habentes, & imperiti existentes, id, quod melius est, purgantur. Inter stupidos enim fiunt suffragia, & neque ægroti attestari volunt, neque ejusdem artis artifices testimonium præbere: invidia enim obstat. Non autem inexpertus es tu talium nugarum: imo probe scio, ob hæc te sæpe in memorabilibus afflictionibus accersitum fuisse, & neque causam, aut invidiam, libenter derisisse. Veritatis enim neque cognitio ulla est, neque ullum testimonium. Hæc autem cum diceret, subridebat; & mihi, o Damagete, divina specie apparebat, & velut qui priorem suam formam exuisset. Et ego: o magnifice Democrite, inquam, magna xenia & hospitalitatis tuæ munera, in Co mecum auferam. Multa enim me sapientiæ admiratione implevisti. Discedo enim veritatis tuæ præco, qui humanam naturam investigasti ac considerasti. Quum autem mentis meæ medelam a te acceperim abeo nunc, tempore hoc expetente, itemque corporis curatione. Cras vero, & deinceps, hoc loco rursus conveniemus. Atque hæc locutus, surrexi. Et ille paratus erat me sequi. Cum vero quidam accederet, haut scio, unde, tradebat ipsi libros. Et ego concitatius festinavi, & ad Abderitas, in specula me expectantes, Viri, inquam, pro legatione vestra ad me, magna sit vobis gratia. Vidi enim Democritum, virum sapientissimum, qui solus potentissimus est, homines prudentes facere. Hæc habui, Damagete, quæ de Democrito, valde magna animi lætitia, tibi recensere volui. Vale.„

Hæc sunt, quæ de Democrito refert Hippocrates. Neque istum conciliata inter eos amicitia finem habuit, sed postea quoque continuata fuit, ubi in patriam rediisset Hippocrates, quemadmodum ex duabus eorum epistolis patet. Prior Democriti est ad Hippocratem, his verbis concepta.

*Democritus Hippocrati felicitatem.*

„ Accessisti ad nos, velut insanos, o Hippocrates, veratrum nobis daturus, persuasus a viris stolidis, apud quos labor virtutis insania judicatur. Tunc autem de mundi dispositione, & de polis, ac astris cœlestibus scribebamus. Cum vero horum naturam cognovisses, quod omnia valde commode essent creata, & quod procul ab insania ac desipientia abessent: meum quidem ingenium laudasti: desipientes autem, & crudeles, ac furiosos, illos judicasti. Nam quæ simulacris per aerem vagantia nos decipiunt, quæ sane mundus esse comprehenduntur, & vicissitudinem habentia, creata sunt: ea mens mea, naturam perscrutata, vere in lucem produxit. Cujus rei testes sunt libri a me conscripti. Oportebat igitur te, o Hippocrates, cum viris, ejusmodi moribus præditis, minime congredi, ac conversari, quorum mens superficiaria, & inconstans est. Si enim ab illis persuasus, mihi, velut insano, veratrum bibendum dedisses, prudentia insania facta fuisset: & artem tuam reprehendissent, velut quæ insaniæ

saniæ fuisset causa. Veratrum enim sanis datum, menti tenebras offundit. Insanis autem valde prodesse consuevit. Arbitror equidem, si non deprehendisses me scribentem, verum recumbentem, aut forte deambulantem & mecum colloquentem, & nunc quidem indignantem, nunc vero ridentem, ob ea, quæ mente revoluam, & familiaribus me alloquentibus non attendentem, sed cogitationi instantem, & mirum in modum speculantem: putasses sane Democritum, juxta oculorum judicium, ex his, quæ vidisses, insaniæ imaginem præ se ferre. Oportet igitur Medicum non solũ affectiones judicare, sed etiam res ipsas: & rhythmos ac consonantias ut plurimum indagare: & utrum incipiat morbus, aut medium teneat, aut desinat, prescrutari: & differentia, ac anni tempore, & ætate observata, affectionem curare: itemque totius corporis naturam considerare. Ex his enim omnibus facile morbum invenies. Porro remisi ad te de insania tractationem conscriptam. Vale. „

*Hippocrates Democrito felicitatem.*

„ Artis medicæ recta facta, o Democrite, plerique e vulgo hominum non omnino laudant. Verum Diis sæpe attribuunt. Si vero natura reluctata perdiderit eum, qui curatur: medicos reprehendunt numen prętereuntes. Et ego sane mihi videor, majorem reprehensionem, quam honorem artis me assecutum esse. Ego enim ad finem Medicinæ non perveni, etiamsi jam senex sim. Neque ipsius inventor Æsculapius: sed & ipse in multis a seipso dissensit, quemadmodum nobis scriptorum libri tradiderunt. Proinde epistola a te ad nos missa, veratri medicinam reprehendebat. Inductus equidem sum, o Democrite, velut insanienti veratrum daturus non perscrutatus, qualis quis tandem esses. Ubi vero tecum congressus, cognovi, non, per Iovem, desipientiæ opus, sed ferme omni laude ac commendatione dignum; valde laudavi ingenium tuum, optimumque naturæ ac mundi interpretem te judicavi. Eos vero, qui me induxerunt ad te, velut insanientes reprehendi. Nam ipsi medicamento opus habebant. Quandoquidem igitur casus nos in idem conjunxit, recte feceris, si ad nos frequentius litteras dederis, & libros a te conscriptos impertiveris. Misi autem etiam ipse tibi de veratri usu libellum. Vale. „

Hinc est, quod Democriti discipulum Hippocratem quidam dicant, in quibus est Cornelius Celsus. Sane multum in philosophicis Hippocratem profecisse, tum ex colloquiis ejus, tum scriptis communicatis, epistolę illę affatim testantur.

## CAP. VII.

### *De morte Democriti.*

AD senectutem pervenit ultimam (*a*). Laertius (*b*) centum annos superasse dicit, distincte magis CIV. annum eum attigisse; Phlegon (*c*) dicit, & Lucianus (*d*), Censorinus (*e*) ad CVIII, Hipparchus (*f*) ad CIX. pervenisse aiunt Dicitque Laertius (*g*), senio deficientem eum obiisse: Phlegon (*h*), quod alimenta deessent: modum, quo esse desiit, ita exponit Hermippus (*i*): Cum senio jam deficeret, & fini vitæ appropinquare videretur, solicitam maxime id sororẽ ejus habebat, ne Cerealia sacra

a Cic. de senect. c 7.
b Laert. IX, 39.
c Phleg. de Longæv. 6. 11.
d Lucian. de Longæv. t. 640. Al.
e Censor. de die nat.
f apud Laert. IX, 43.
g Id l. c.
h Phleg. l. c
i ap. Laert. l. c.

mors

mors ejus interturbaret, metuentem: at eam bono animo esse Democritus jussit, panes modo calidos ut quotidie sibi afferret, praecipiens: hos vero naribus admovens ita vitam prolongabat, donec festi dies tres praeteriissent: quo facto sine dolore animam exhalavit, publicis sumtibus elatus (k).

k Laert. IX, 36.

## CAP. VIII.

*Scripta ejus.*

Laert. IX, 45.

THrasyllus, qui scripta Platonica per tetralogias digesserat, Democritea quoque eadem ratione digessit.

id. 46.

ETHICI ARGUMENTI fuere

*Pythagoras*. *

*De affectu sapientis*. **

*De rebus apud inferos*.

*Tritogenia*, (vel quod omnia humana numero ternario contineantur. ***

*De probitate* seu virtute,

*Cornu Amalthea*.

*De tranquillitate mentis*.

*Commentaria*, sive de domibus, Oeconomicus. †

Ἐυεστώ, sive felicitas, opus Thrasylli aetate non extans.

(*Institutiones*, (ὑποθῆκαι) ††)

conf. Athen. IV. p. 168. Suid. in τρίτογ. Proclus ap. Alex. Mor. ad Jo. XI, 19. Euseb. Praep. XIV, 27.

PHYSICA.

*Diacosmus magnus*, libris comprehensus XII. * Eum Leucippo tribuit Theophrastus. Ast affirmat Antisthenes, Democritum publice tanquam opus suum recitasse, ejusque nomine ab Epicuro quoque, in epistola ad Herodotum, allegatur. ** Hocce fortassis opus est, ad quod Cicero alludit, inquiens: Quid loquar de Democrito? quem cum eo conferre possumus, non modo ingenii magnitudine, sed etiam animi? qui ita sit ausus ordiri: *Hac loquor de universis*. Nihil excipit, de quo non profiteatur. Quid enim esse potest extra universa?

Laert. l. c.

Lucull. c. 23.



* Ex scripto eo allegat quaedam Laert. IX. 38. de Pythagora, ea ἐν ἐπωνύμῳ συγγράμματι extare dicens, ubi male interpres, *in aequivoco opere* vertit, vertere debebat: *in opere, quod Pythagora nomine insignitum est*. adde Jonsium p. 24.

** Hoc idem cum praecedente facit cl. Fabricius Bibl. L. II. c. 23. p. 763. nescio, quo fundamento.

*** Apud Laertium est; *Quod tria ex ea existant, quae omnia humana continent*, quod clarius exponitur apud Eustath. ad Il. θ' p. 576. & Tzetz. ad Lycophr. v. 519. *Tritogeniam* hunc librum seu de Prudentia appellantes, quae haec tria progeneret prorsus praeclara, ut recte consulant homines, ut recte eloquantur, & ut recte agant.

† Hoc opus cum duobus praecedentibus ita repraesentat Laertius: Ἀμαλθείας κέρας, περὶ εὐθυμίης, ὑπομνημάτων ἠθικῶν. Menagius in codice Regis conjuncta ultima invenerat hoc modo: περὶ εὐθυμίης ὑπομνημάτων ἠθικῶν. Cl. vero Fabricius Bibl. l. haec omnia conjungenda, & sequenti etiam apud Laertium cum iis copulanda censet hoc modo: Ἀμαλθείας κέρας ἢ περὶ εὐθυμίης, ὑπομνημάτων ἠθικῶν. ἡ γὰρ εὐεστὼ οὐχ εὑρίσκεται. *Cornu copiae, sive Commentariorum Ethicorum de animae tranquilitate libri VIII*, nam liber IX, cui titulus εὐεστώ, non amplius extat. In iis quoque librum περὶ τέλους fuisse putat, quem allegat Clem. Al. Strom. II. p. 417. observat idem, laudare vel respicere hoc opus de εὐθυμίᾳ Ciceronem L. V. de fin. & Plutarchum ac Senecam in libris de animi tranq. Praeclarum vero fragmentum servasse Stobaeum Serm. Cl.

†† Putat praeterea Magnenus, librum scriptum a Democrito esse λόγος ἔργου σκιή, confutatus Menagio ad Laert. IX, 37.

* Opus illud XII. libris comprehendi, neque Laertius, ex quo haec allegat Stanlejus, neque alius quisquam ex veteribus dicit, non Athenaeus IV. p. 168. nec Suidas, quibus id opus allegatur.

** Ita Menagius quoque ad Laert. sed nihil tale in epistola illa reperitur.

Laert. l. c. — *Diacosmus parvus*, (*Descriptio mundi*,) vel, ut ipse Democritus in epistol. ad Hippocratem vocat, de mundi dispositione.

Laert. l. c. Senec. Qu. Nat. XII, 3. Laert. Fulgent. Mythol Phy L. III, 7 — *De Planetis*, quos plures, quam septem esse, eo tractatu probavit.

*De Natura I.*

*De Natura hominis*, sive de carne, II. Hippocrati dedicati.

Arist. de An. I, 2. Tertull. de An. c. 12 ..Χυμῶν — *De mente & sensibus*, quos duos conjungentes nonnulli *de anima* inscripserunt, (neque enim dubitavit Democritus, idem esse animam sensitivam & mentem.)

*De saporibus*, (qui legitur inter scripta Hippocratis, quamvis genuinus Democriti fœtus is quidem esse, merito dubitetur.

*De coloribus.*

περὶ τῶν διαφερόντων ῥυσμῶν Arist. Met. I, 4 — *De differentibus figuris* (atomorum, ut Menagius docet, qui illud opus ab Aristotele in Metaphysicis, respici observat.).

*De mutationibus figurarum*. Hic & præcedens liber forte pertinuere ad naturam & qualitates, quæ juxta ipsum ex varia Atomorum dispositione, pro figurarum, quibus gaudent, diversitate, pertinuit.

Κρατυντήρια sive de mistione rerum antea memoratarum. ***

Laert. Suid. Sext. Emp. adv. Math. p 163. — *De spectris*, sive de providentia, (quo libro formas rerum, quas videmus, divinitate præditas esse, disputavit, ut ex Cicerone, Plutarcho, Augustino docet in *Bibliotheca Graca* cl. Fabricius.)

*De Pestibus* (Gassendus legit περὶ λογικῶν pro περὶ λοιμῶν, i. e. de Logicis) Canon. 1. 2. 3. †. — L. II, c. p. 266.

*De effluviis.* ††

Extra CERTAM CLASSEM POSITI. — ἀσύντακτα

*Causæ cœlestes.*

*Causa Aeria.*

*Plana causa & superficiales*: forte de rebus, ex atomis planis consistentibus, his enim opponuntur, quæ mox sequuntur. — Magnenus. *plana causa* vid. ejus interpretationem p. 16.

*Causa de igne*, & his, quæ sunt in igne, talia ex rotundis atomis consistunt.

*Causa de sonis.*

Causæ de seminibus plantarum & fructibus. (*a*)

Causæ de animalibus, III, (ex quibus referre videtur Aristoteles, quæ habet de aranearum telis in animalium Historia (*b*) Ex tribus his libris unus de Chamæleon te egisse videtur, Plinio (*c*) allegatus: quamvis indigna Democrito judicet Gellius (*d*), quæ ex eo Plinius allegavit. (*e*)

*Causa mixta.*

*De lapide* (*f*), (non Philosophorum, ut Borrichio visum, sed de lapidibus in genere, quorum naturæ investigandæ plurimum operæ impendisse Democritum, ex Petronio, Seneca, & Plinio Fabricius observat. (*g*) Ad hanc classem Scriptorum Democriti, cum

(*a*) adde Pl. H N. XIV, 2. XXIV, 17. XXV, 1. 2. Petron. p. 12. Martian. Capell. L. II, p 27. Pseud Diosc. & Apulei. de Herb.
(*b*) Arist. IX 29.
(*c*) Plin. H. N. XXIIX, 18.
(*d*) Gell X, 12.
(*e*) Fabric. Bibl. Gr. I. c.
(*f*) Borrich. Medic. Herm p. 69.
(*g*) L. c.

*** Ap. Laert. legitur κρατυντήρια ὅπερ ἐστὶ ἐπικρατικὰ τῶν προειρημένων. Interpretatus est Stanlejus ἐπικρατικὰ quasi esset ab ἐπικρατέω. Scaliger legebat ἐπικυρωτικὰ. Menagius vero ex Cod. Reg. restituit ἐπικυρωτικὰ, ἐπικυροῦν vero *judicio confirmare* notat; ut isto libro confirmari priores intelligantur.

† Verba Laertii sunt περὶ λοιμῶν κανὼν α' β' γ'. Vix dubium esse videtur, ex Gellio restitui debere περὶ λοιμῶν καὶ λοιμικῶν κακῶν Noct. Attic. IV, 13. vid. & Columell. XI, 3. ut non dubitem, reiiciendas esse aliorum emendationes, Menagio ad h. l. memoratas.

†† In Græcis est ἀπορρημάτων. Interpretes vertunt: *Ambiguorum* liber, quasi esset ἀπορημάτων. Stanleius vertit, quasi esset ab ἀπορρέω, sed ita ἀπορρευμάτων, vel tale quid esset legendum.

cum eodem viro docto referas, Laertio prætermissum librum.

*De Ideis.*

i P. in. ap. Fabric. l. c. *De metallorum natura.* (i)

MATHEMATICA.

Περὶ διαφορᾶς γνώμης, vel de contactu circuli & sphæræ.

k) Ex his unum faciunt Meurs. & Fabric. (*De Geometria.*

(*Geometricum.* (k)

*Numeri.*

*De lineis surdis ac solidis, II.*

*Ἐκπετάσματα.*

*Annus magnus* vel Astronomia.

l ad Solin. p. 741. *Parapegma.* Hoc Salmasius (l) cum priore conjungit, *legens: annus magnus vel parapegma astronomia.* Est vero *parapegma*, ortum & occasum stellarum exhibens, æqui noctiorum item, solstitiorum, & similium.

laudata Salm. ad Apollon. ll. Epist. Democr. ad Hippocr. *Examen & comparatio Clepsydræ.*

*Uranographia.*

*Geographia.*

*Polographia.*

*Actinographia.*

MUSICA.

*De Rhythmis & Harmonia.*

*De Poesi.*

*De elegantia carminis.*

*De litteris consonis & dissonis.*

respicit. Dio Prus. Or. 53. *De Homero*, sive versuum & dictionum rectitudine.

*De cantu.*

*De vocibus* vel onomasticum.

MECHANICA sive de artibus.

*Prognostica.*

προγνω. c. 1. *De Diæta*, sive Diætetica, seu medicinæ regula.

*Causa de intempestivis & tempestivis.*

*De Agricultura* vel Geometricum. *

*De pictura.*

*Tacticum*, & de armis.

His nonnulli ex Commentariis Laert. l. c.

eius sequentia addunt:

*De Sacris in Babylone litteris*, quem librum Clemente Alexandrinum respicere est verosimile. Democritus, inquit, Babilonios discursus, doctrinam morum concernentes, litteris consignavit: dicitur enim scriptis suis sententias pyramidis Acicari ** inseruisse. Strom. l. p. 303 & ex eo Euseb. Praep. X, 4

*De his, quæ sunt in Meroe, Sacris litteris.*

*De Historia.*

*Chaldaicus sermo.*

*Sermo Phrygius.*

*De febre*, & de his, qui ex morbo tussi agitantur.

(*Legales causa.*)

*Chernica* sive Problemata: quæ forte sunt Plinii *Chirocineta*, vel Vitruvii *Chirotoneton*, qui addit: in eo annulo usum Democritum esse, signantem cera ex milto, quæ esset expertus. * Plin. XXIV, 17. Vitruv. III, 9.

Reliqui, qui sub nomine eius circumferuntur, libri, autore Thrasyllo, partim ex Scriptis ejus excerpti sunt, partim aliorum manifeste sunt autorum, cuius generis fortassis sunt: ap. Laert.

*Liber de Herbis*, a Plinio memoratus. H. N. XXV, 2. XXX, 1.

Liber, quo *Apollobechen Coptiten*, Apollo-nium Coptidum ex vulg. corruptis legebat Steph.



* Pro γεωμετρικὸν apud Laert. γεωργικὸν legendum esse Meursius in Biblioth. Gr. & Menag. ad Laert. monent: meminit enim γεωργικῶν Columella XI, 3. & Fulgent. L. II, Mythol. p. 145. Eundem respicere librum Varro I, 2, & Isidor. Orig. XVII, 1, videntur.

** Achaicarus vocatur Straboni L. XVI, p. 762. Plura de ejus columna Reines. Var. Lect. p. 97. & 381. Et Lemonius in Obs. ad V. S. p. 346.

* Salmas. ad Solin. p. 1100. χειρόκμητα legit; & interpretatur apud Laert. & Vitruv. Borrich. de Hermete p.

*ten*, *& Dardanum e Phœnice* illustravit, unde Magices peritum fuisse Democritum, colligit. Verum(*a*) Gellii ille reprehensionem incurrit quod vana adeo, atque intoleranda auribus, Democrito adscripserit.

a Gell. X, 12.

(ὑπομνήματα plurima, quibus Medicæ continebantur curationes, sub ementito Democriti nomine comparuisse, *Doli* Mendesii cum sint, queritur Columella (*b*): sed apud eum *Boli* rescribendum pro *Doli*, ut patet ex Suida. (*c*)

b L. VII. c. 5.
c Suid. v. Βῶλος

*Liber de Elephantiacis.*

Cæl. Aurelian. Tard. Pass. IV, 1.

*De morbis convulsivis.* (*d*)

d Id. acut. Pass. III, 14.

*Physica & mystica de arte sacra*, sive Chemica Democriti cum Synesii ac Pelagii commentariis, latine edita sunt Patavii 1572. 8°. Græce in variis Bibliothecis occurrunt, quod opus spurium esse viri docti agnoscunt, allegati Fabricio in Biblioth. In scholiorum ad hoc opus Græcorum Synesii initio tribuuntur Democrito Libri alii quatuor.

L. II. p. 770.

*De auro*,

*De argento*,

*De lapidibus.*

*De purpura.*

*Aphorismos medicos* scribere eum voluisse, sed non potuisse, legitur apud Oribasium, in præf. ad commentarium in Aphorismos Hippocratis quem latine tantum Io. Guinterius Andernacus edidit.

Fabric. l. c.

*Democriti ophthalmicum* agnoscit Menagius, sed infelici nixus coniectura, qua apud Gerbertum epist. IX. pro *Demosthene*, qui medicus fuit Bithynus, Democritum substituendum esse, suspicatur.

ad Laert. IX, 48.
Fabric. l. c.

*Epistola Democriti* ad Hippocratem passim editæ, & Suidæ commemoratæ, ac pro genuinis venditatæ, suspectæ sunt Scaligero.)

epist. CCCVI.

Aristoxenus autor est, Platoni in animo fuisse, cremare omnia Democriti scripta, eoque consilio plurima eius scriptorum illi collecta fuisse: dissuadentibus tamen facinus Amycla & Clinia, Pythagoricis, consilium mutasse.

Laert. IX, 40.

## CAP. IX.

### *De rebus naturalibus ex mente Democriti.*

Eleaticam hic sectam perfecit & consummavit, principia secutus eorum, qui ipsum præcesserunt, Leucippi inprimis. En tibi eius doctrinam.

### SECT. I.

#### *De principiis rerum, atomis, & vacuo.*

Omnium rerum *principium*, *Atomi* sunt (*a*): (plenum (*b*)) & *inane*, quorum illud est ens, hoc non ens(*c*). Ens plenum est, & solidum, non ens vacuum, & rarum, ens non magis esse, quam non ens, neque corpus magis esse, quam vacuum. Hæ vero sunt causæ, & materia rerum.

a Arist. Phys. I, 6.
b Cic. Lucullo c. 37.
c Arist. Metaph. I, 4.

*Corpora* vel ex *Atomis* consistere oportet, vel ex nihilo. Si enim dividi potest quodvis corpus, reipsa divisum illud esse supponamus: sic enim vel *atomi* vel nihilum relinquatur oportet. Ex nihilo vero nihil fit, & in nihilũ redit nihilum. (*d*)

d Arist. l. c. Laert. IX, 44.

Neutrum horum *principiorum* ex altero fit, sed ipsum commune corpus est principium omnium, magnitudine solum partium differens atque figura. (*e*)

e Arist. Phys. III, 4.

Suntque infinita ambo, numero *atomi*, *vacuum* magnitudine. (*f*)

f Arist. de gen. & cor. I, 1. & de cœlo. III 4. Laert IX 44.

*Atomorum proprietates* duæ sunt, figura & magnitudo(*g*); figura quidem infinitæ sunt (*h*), angulares non

g Arist. de gen. & corr. I, 1.
h Laert l. c.

---

70. χειροτεχνήματα. Zosimus Chemicus Ms. G. χειροτμήματα. vid. Fabric. Bibl. Gr. L. II, p. 769.

non angulares, rectæ, rotundæ (i), quædam læves sunt, asperæ aliæ, quædam hamulatæ, aliæ curvatæ, & quasi aduncæ. (k)

i Arist. Phys. I, 5. k Cic. Nat Deor. I, 24.

Quantum ad *magnitudinem*, adeo exiguę sunt, ut oculis haut pateant, (l), soliditas ea est, ut individua sint (m) neque pati, aut alterari queant. †

l Philop. ad Arist. Phys. I, 1. m Cic. de Fin. I, 6.

Hisce *duabus Atomorum*, juxta Democritum, *proprietatibus*, *tertiam* ab Epicuro additam dicit Plutarchus (n), *pondus* nempe. Aristoteles tamen observat, Democritum *Atomo Atomum* graviorem credidisse, pro ratione molis, qua se invicem superent. (o)

n l. c. o de Gen. & corr I, 8

Omnibus vero aliis *qualitatibus atomi* destituuntur, neque albæ natura sua, neque nigræ, neque dulces, neque amaræ, nec calidæ, nec frigidæ.

Cicero (p), qui *autorem* huius de *atomis* doctrinæ facit *Democritum* uno loco, alio *Leucippo* eum honorem tribuit, addens (q) in hoc similem eum *Leucippo* fuisse, in reliquis uberiorem. Sed neque *Leucippi* illud inventum fuisse videtur; *Moscho* Phœnicio enim id Posidonius tribuit, quem ante bellum Troianum vixisse affirmat Strabo. (r) Sed a *Pythagora* forte Eleatici id accepere, quæ Aristotelis (s) sententia esse videtur: Omnia, inquit, quæ sunt numeros quodammodo esse docent, nam expresse licet id minime dicant, hæc tamen eorum est sententia. Atque hinc esse credere par est, quod Pythagorica, *monadum* appellatione *atomos* Automedon designaverit. (t)

p de fato c. 17. q Acad. Qu. IV, 37. r l. XVI, p. 757. D. s de cœlo III, 4. t Anthol. L. I, 15, p. 32.

## SECT. II.

*De motu atomorum in vacuo, per quem omnia fiunt.*

ATomi illæ (a), sive prima corpora, assidue in infinito inani * moventur, in quo nihil summum, nec infimum, nec ultimum, nec extremum.

a Arist. de cœlo III, 4. Cic. de Fin. I, 6.

*Motus* ille initium non habet; sed ab omni fuit æternitate.

Estque *motus* ille *unius generis* tantum, obliquus semper, qua parte a Democrito Epicurus abit, duplicem motum admittens, directum nempe, & motum declinationis.

Stob. Ecl. Phys. I, 17.

Corpuscula in hac regione vel spatio impingunt, vel resiliunt & separantur, vel coniunguntur invicem, quo genere collisionum & agitationum res omnes formantur: atque ita quicquid aut est, aut fit, naturalibus fit, aut factum est, ponderibus & motibus.

Cic. Acad. Qu. IV, 38.

Sic omnia *necessitate* quadam existunt, quandoquidem rapidissimus atomorum motus, quem necessitatem ille appellabat, causa est omnium rerum creationis. Hæc necessitas *fatum* est, & justitia, & providentia, quæ mundum condidit, quæ nihil aliud est, quam resistentia, latio, & percussio materiæ.

Laert. l. c. Stob. Phys. c. 8.



† Plutarch. Plac. I, 15. Laert. IX, 44. Magnenus ista de vulgaribus interpretatur elementis, igne, aqua, terra p. 41. 42. tanquam Democrito ita visum addens: Atomis mutabiles esse figuras; Quod non minus paradoxe probat ex Aristotele p. 42.

* Magnenus a Democr. per inane aerem intelligi dicit, quod Aristotelis, Galeni, Virgilii testimoniis probare conatur. p. 37. & 42, qui tamen contrarium affirmarunt.

## SECT. III.

### *De generatione, corruptione, alteratione, & qualitatibus compositorum.*

Arist. Metaph. l. 4. Phys. l. 4. ELementa, ut diximus, vel principia omnium rerum, sunt duo, *plenum*, & *inane*. Unum eorum *ens est*, alterum *non ens*. *Plenum* & solidum *ens* est, *Inane* & rarum est *non ens*. *Ens* non magis est, quam *non ens*, neque *corpus* magis est, quam *vacuum*. Hæ causæ sunt, & materia entium.

Aristot. Metaph. l. 4. Et quemadmodum qui affirmant, rem unam esse in substantia, variam in suis affectionibus, rarum & densum principia harum affectionum constituunt, ita Leucippus quoque & Democritus affirmant, *differentias* ceterorum causas esse. *Differentias* hasce tres esse dicunt: *figuram*, *ordinem*, *situm*. Ens enim *differre* dicunt solo ῥυσμῷ *figura* & διαθιγῇ *ordine*, atque τροπῇ *situ*. A & N differunt *figura*, N & A *ordine*, Z & N *situ*.

Arist. de Gen. & Corr. l. 2. Ita *figuras* supponunt, ex quibus *alterationem & generationem* deducunt: *Generationem* quidem & corruptionem per congregationem & segregationem atomorum, alterationem vero per ordinem & situm.

ibid. Porro quemadmodum existimabant, verum id omne esse, quod sensibus apparet, res vero sensibus apparentes, sibi adversas invicem esse, & numero *infinitas* observabant; ita *infinitas* esse credebant atomorum *figuras*, ut adeo ex varia compositi transmutatione eadem res sibi *contraria*, adeoque *alia* res videri possit, atque diversa plane appareat, admistis quibusdam minutis corpusculis transmutata: qua ratione transmutata res plane *alia* videri queat: Sic nempe comœdiam & tragœdiam ex iisdem litteris componi.

Hinc est, quod Plutarchus, aliique affirmant, qualitates Democritum repudiasse: statuentem, colorem νόμῳ, album νόμῳ, dulce νόμῳ, calidum νόμῳ, frigidum νόμῳ, & omnes qualitates νόμῳ esse, id quod vulgo interpretantur, secundum tritissimum vocis usum, *lege esse*. Magnenus ita rem explicat: certa naturæ lege, atque proportione inter agens & patiens evenire, ut eadem res dulcis sit uni, quæ alteri amara videatur. Vir magnæ doctrinæ, Petrus Gassendus, metaphoram hic agnoscit: ut quemadmodum justitia, injustitia, decorum & turpe, laudabile & culpabile, in actionibus humanis a legum constitutione pendent; ita & albedo ac nigredo, dulcedo & amaritudo, calor & frigus rerum naturalium, a vario positu & ordine atomorum esse intelligantur. Unde patere ait, quid Laertii sibi velint verba: ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων ἀτόμους καὶ κενόν, τὰ δ' ἄλλα πάντα νενομίσθαι, Atomos & vacuum omnium rerum principium esse, *cetera omnia lege sanciri*. Ita Gassendus. adv. Colot. p. 1110. D. Democr. Rediv. p. 436. Animadv. p. 235.

Verum νόμος, quod, ut Suidas ait, πολυώνυμος λέξις, h. e. *varii significatus vocabulum* est, τῇ ἐτεῇ hic opponi videtur: quo sensu Laertius id explicat per νενομίσθαι, unde derivatum videtur. Νενομίσθαι vero exponit per δοξάζεσθαι: ita enim fortassis distinguendus textus fuit, τὰ δ' ἄλλα πάντα νενομίσθαι, δοξάζεσθαι *cetera omnia censeri*, *vel existimari*: ita, ut posterius ver-

bum

hum glossa sit, & explicatio prioris, neque ex mente Democriti, quem peculiarem verborum usum affectasse, patet ex vocibus ῥυσμὸς, διαθιγὴ, τροπὴ, σὺς) nihil aliud sit, quam δόξα. Hac ratione, ἐτεῇ & νόμῳ exposuisse videtur, ut ens *reale* enti *rationis* scholæ opponunt: quasi diceret, nihil est, quod revera existat, nisi *Atomi & inane*, alia omnia *quoad nos* tantum, hoc est, opinione nostra existunt. Hoc uberius confirmat notabilis Galeni locus, qui fusius eam rem explicat, ita fere docens:

l. 1. de Elem. c. 2. Primum rerum elementum qualitatis est expers, neque albedine, neque nigredine, nec dulcedine, nec amaritudine, nec calore, nec infrigore, nec alia qualitate ulla a natura instructum. Color νόμῳ *opinione* existit, existit *opinione* amaritudo, dulcedo *opinione* existit. ἐτεῇ. *Vere* autem Atomi & inane sunt, secundum Democritum, qui omnes qualitates sensiles ex atomorum putat esse concursu, quantum ad nos quidem, qui eas sentimus, revera enim, & in sua natura nihil album esse, vel flavum, vel rubrum, amarumve, aut dulce. Νόμῳ scilicet idem est ei, quod ἐτεῇ, quod est: *opinionetenus, & in respectu ad nos, non reapse, & ex intrinseca rei natura*, id ab altera enim parte ἐτεῇ vocat, voce ab ἐτεὸν derivata, quod *verum* significat. Summa igitur eius sententiæ hæc est: homines opinantur vel putant, (νομίζονται) esse aliquid albedinem, nigredinem, amaritudinem, dulcedinem: si rei vero spectamus veritatem, (ἓν) *unum*, & (μηδὲν) *nihil*, *atomi & inane* sola existunt. Omnes atomi exigua sunt corpuscula, qualitatum expertia. Inane regio est, vel spatium, in quo omnia ista corpora sursum deorsum perpetuo motu feruntur: vel sibi implicantur mutuo, vel incurrunt in se invicem, vel resiliunt, vel separantur invicem, vel concrescunt, qua ratione omnia constituunt composita, & nostra in primis corpora, eorumque & passiones, & sensus. Hucusque Galenus.

Solus Democritus, contra omnium Philosophorum sententiam, affirmavit, *idem* esse & *simile* agens atque patiens. Concipi enim non posse putabat, quomodo res *dissimiles* & diversæ agere in se invicem possent. Imo, si quæ in se invicem agant *diversa*, ideis non quatenus sunt *diversa*, verum quatenus aliquid *simile* habent, evenire. Arist. de Gen. & Corrupt.

Lamina ferri aquæ innatat, quoniam atomi ignem constituentes, quæ ex aqua adscendunt, atomos magis planas rerum etiam graviorum sustinent: quæ vero arctiori spatio contrahuntur, submergi solent, quoniam pauciores sunt, quæ eis resistant, atomi. At ipse sibi obiicit, hoc idem multo magis in aere obtinere debere: solvitque obiectionem, non in unum ferri dicens σῦν, per σῦν vero motum corporum adscendentium intelligit. Arist. de Cœlo. IV. 6.

*Liquida* res evadunt, vel ratione contraria concrescunt, conversione vel contactu. Arist. de Gen. & Corr. I, 2.

## SECT. IV.

### De Mundo.

MUndi in infinito inani dantur *infiniti*, secundum omnes circumstantias (a): horum nonnulli inter se non solum *similes*, sed undique perfecte & absolute ita *pares* sunt, ut inter eos ne minimum quidem intersit. (b) Hi vero omnes & *generantur*, & *corrumpuntur*. (c)

a Plut. Pl. II, 1.
b Cic. Ac. Q. l. IV c. 17.
c Laert. IX 44.

*Mundus anima* est expers (d), *rotundus* (e), exterius *veste* indutus, stellis quasi intertexta. (f)

d Plut. Pl. II, 3.
e Stob. Phys. I, 19.
f Laert. I. c.

*Atomis* rapidissimo, prout diximus, motu per universum agitatis, omnia *oriuntur*, ignis, aqua, aer * & terra.

Laert. I. c.

*Igni* cum Leucippo, figuram rotundam tribuebat, *aerem* vero, *aquam*, & reliqua magnitudine sola & parvitate distinguebat, quoniam natura eorum est *panspermia*, sive universalis elementorum aut atomorum disseminatio.

Aristot. de cœlo III, 4.

## SECT. V.

### De Cœlis.

SOl & Luna ex lævibus componuntur corpusculis, vertigine circumactis. Plutarchus Democritum cum Anaxagora sensisse ait, solem lapidem esse planum, igni candentem. Addit Laertius, de Anaxagora eum dixisse, non ipsum esse inventorem doctrinæ, quam de sole & luna tradidit, sed antiquiores, quibus eam doctrinam sit suffuratus.

Laert. IX, 44.
Plutarch. II, 20.
Laert. IX, 34.

*Sol* Democrito magnus videtur, quippe, ut Cicero ait, homini erudito, in geometriaque perfecto.

Cic. de Fin. I, 6.

*Luna* igneum est firmamentum; planities continens, montesque, & valles.

Plut. Plac. II, 25.

*Sidera* isto locavit ordine: primo fixas stellas, tum planetas, post solem, Luciferum inde, & lunam.

Id. II, 15.

Omnes *stellæ* ab oriente versus occidentem moventur. Dixit &:

Plut. II, 16.

*Quanto quaque magis sint, terram sidera propter,*
*Tanto posse minus cum cœli turbine ferri.*
*- - - - ideoque relinqui*
*Paulatim solem, cum posterioribus signis,*
*Inferior multo quod sit; quam fervida signa,*
*Et magis hoc lunam.*

Lucret. L. V, v. 622.

Anaxagoræ sequebatur de *cometis* sententiam, quod sint plures planetæ una apparentes, qui propius ad se invicem accedentes, unum corpus constituere videantur.

Arist. Meteor. I, 6.

## SECT. VI.

### De Aere, Terra, Aqua.

CUm in angusto inani multa sunt corpuscula, sequitur *ventus*. At contra quietus & placidus aeris status est, cum in multo inani pauca sunt corpuscula: Nam quemadmodum in foro aut vico, quamdiu paucitas est, sine tumultu ambulatur: ubi turba in angustum cucurrit, aliorum in alios incidentium rixa fit: sic in hoc, quo circumdati sumus, spatio, cum exiguum locum multa corpora impleverint, necesse est, alia allis incidant, & impellantur, ac repel-

Seneca Qu. Nat. V, 2.

* Nescio, quid sibi velit Magnenus p. 42. inquiens: aeris ab eo non fit mentio, tanquam de elemento proprie dicto, Quibus totum caput secundum primæ eius disputationis nititur.

repellantur, implicenturque, & comprimantur, ex quibus nascitur *ventus*, cum illa, quæ colluctabantur, incubuere, & diu fluctuata, ac dubia, inclinavere se. At ubi in magna laxitate corpora pauca versantur, nec arietare possunt, nec impelli.

Plut. de Plac. IV, 13.

*Terra* initio quidem sursum ferebatur (*) ob parvitatem & levitatem, successu autem temporis densata, atque degravata, subsedit. *Firmitatis* vero ejus causa est latitudo ipsius. (a) Disci enim instar habet, in medio cava (b): neque dividit, sed operit aerem infimum, quemadmodum patet in corporibus latioribus, quæ vento non facile moventur, sed firmiter hærent. Eo nempe modo & terra propter latitudinem suam *aeri* inhaeret, cumque locum, quo cedat, non inveniat *aer*, qui ei recipiendo idoneus sit, infra subsidet, ut aqua in vasis, quæ illam ambiunt. *Aerem* vero magnum sustinere pondus posse, variis argumentis probatur.

a Arist. de coelo II, 13. b Plut. de Plac. IV, 10.

Quoniam vero iste *aer* versus austrum est imbecillior, inde evenit, quod terra, mole aucta, eo declinet. Partes enim septentrionales minus esse temperatas, australes temperatas magis, unde plures & pulchriores fructus producunt.

Plut. Plac. III, 12.

*Terra motuum* causam, aquæ imputat. Terra enim aquis plena, & pluvias preterea aquas recipiente, majori copia profusas, terræ motus inde existit. Pluribus enim aquis affluentibus, cum recipere omnes non valeat terra, cavernis ejus vehementius incumbentes, motum terræ ciet, imo & ad loca inania a plenis illis pertracta, in illo itinere, motus causa existit.

Plut. Plac. III, 15.

Arist. Meteor. II, 7.

*Mare* decrescit semper, tandemque deficiat oportet.

Arist. Meteor. II, 3

*Nili* exundatio nivibus liquefactis, in partibus septentrionalibus, sub tropico æstivo, debetur. Ex vaporibus nives condensantur, quæ versus austrum, & partes Ægypti, actæ ab Etesiis spirantibus, in magnas copiosas pluvias solvuntur, quibus lacus æque ac Nili alveus implentur.

Plut. Pl. IV, 1.

## SECT. VII.

### *De Generatione viventium.*

HOmines ex aqua & limo primum geniti: quæ Epicuri quoque sententia fuit.

Censor. de die Nat. c. 4.

*Sexuum diversitas*, ut masculi sint alii, alii feminæ, in utero* existit, non ex calore quidem, & frigore, sed prout huius vel illius partis semen, a parte mares feminasque distinguente, profectum prævaluerit: vel prout huius vel illius partis semen locum prius occupaverit.

Aristot. Gen. Anim. IV, 1. * ὑστέρᾳ enim forte legendum

*Infans* in utero ore nutrimenta accipit, quæ causa est, quod statim, ubi in lucem editus fuerit, mammam arripiat.

Plutarch. Plac. V, 16.

## SECT. VIII.

### *De Anima.*

ANimam ignem quendam, & calorem esse, Democritus statuebat. Cum infinitæ enim sint atomorum figure †, rotundas ignem absol-

Arist. de anim. I, 2.

---

* Apud Plut. legitur πιλοῦσθαι nullo sensu: Stanleius πιλοῦσθαι legisse videtur.

† Forte legendum ἀπείρων γὰρ ὄντων τῶν σχημάτων τῶν ἀτόμων. onf. Aristot. de gen. & corr. & rel. locis supra sect. I. citatis.

absolvere, atque *animam*, eam enim figuram ad permeandum universum, maxime compositam esse, ut & ad reliqua movenda, ipsa a-tiam anima hac ratione in motum adacta. Ita ipse nempe cum Leucippo, animam hoc esse statuit, quod motum animalibus impertitur. Hinc est, quod vita respiratione definiatur. Quando enim id, quod corpora ambit, eadem comprimit, easque figuras, quæ motum animantibus præbent, expellit, quia nec ipsæ quiescunt, succursum auxiliumque ab aliis ejusdem generis ingredientibus, per respirationem accipiunt: id nempe eas, quæ sunt in animalibus, impedit, quo minus expelli possint, cum ipsæ propellant illud, quod comprimit. Omnia animalia (respirant (*a*)) atque, quamdiu id faciunt, *vitam* continuant.

a Arist. de respir. c. 2.

*Mortalis* est *anima*, & cum corpore perit. (*b*)

b Plut. Plac IV, 7.

*Duæ* animæ *partes* sunt, *altera* in pectore posita, quæ rationalis est: *altera* irrationalis est, & per totum corpus diffunditur (*c*).

c Plut. Plac. IV, 4.

Vnum vero cum anima *mens* est, idemque. (*d*)

d Arist de anim. l. 1.

Plures sunt *sensus*, brutorum animantium, Deorum, hominum rationalium. (*e*)

e Plut. Plac. IV, 10.

*Sensus* & *intellectus* sunt ab imaginibus oblatis, quæ a solidis corporibus, certisque figuris dimanant (*f*), qua ratione & in speculo imago formatur. (*g*)

f Plut. Plac. IV. 8.
g Id. IV, 14.

Omnes *sensus*, teste Aristotele, *tangibiles* esse, omnemque sensationem contactu, vel impulsu organi peragi statuebat. Porro *albedinem* lævitatem esse dicebat, luce a superficie læviore versus oculum reflexa, albumque colorem exhibente. *Nigredinem* asperitatem esse, eadem luce, a superficie aspera reflexa, nigredinem repræsentante. Sic &

Arist de sens. & sensit. c. 4.

*Sapores* ad figuram referebat. Atomos enim rotundas, molis quæ sint, organi dispositioni convenientis, *dulcem* efficere saporem; majores *acidum*, multangulas, neque rotundas omnino, *acerbum*: acutas, conicas, & incurvas, neque tenues, neque rotundas, *acrem*. Rotundas vero, & tenues, angulosasque & incurvatas, *acrimoniam* saporis efficere; angulosas, distortas, æquilateras, *salsedinem*: rotundas, læves, distortas, neque latas, *amaritudinem*, tenues, rotundas, neque latas, *pinguedinem*.

Theoph Li de odorib.

*Mens* idem cum *anima* est, ex lævibus atque exiguis corpusculis constans. Pars principalis caput occupat totum. (*a*) Imaginum, quæ *idola* nominat, incursione cogitamus (*b*), & somniamus. (*c*)

Laert. IX, 44.
a Plut. Plac. IV, 5.
b Cic. de Fin. l. 6.
Plut Pl. IV, 8.
c Plut Plac. V, 2.

## SECT. IX.

### De Diis.

Mihi quidem, inquit Cicero, Democritus nutare videtur in natura *Deorum*. Tum enim censet, imagines, divinitate præditas, inesse universitati rerum: tum principia, mentesque, quæ sunt in eodem universo, *Deos* esse dicit: tum animātes imagines, quę vel prodesse nobis solent, vel nocere: tum ingentes quasdam imagines, tantasque, ut universum mundum complectantur extrinsecus. (*a*)

a Cic de Nat Deor. l. 43.

Sextus Empiricus hoc fere modo ejus sententiam explicavit. Dantur certæ quædam *imagines*, quæ hominibus adveniunt, quarum

Adu. Mathem. p. 311. C.

aliæ prosunt, aliæ nocent. Hinc etiam precatur, ut sibi obveniant simulacra, ratione prædita: ea autem esse magna & ingentia, & difficulter quidem interire, neque minus tamen interitui esse obnoxia: significare autem hominibus futura, ratione utentia, & voces emittentia. Unde ea visione apprehendentes veteres, Deos esse existimarunt: cum præter hæc non sit alius Deus, qui habeat naturam, in quam non cadat interitus.

Cicer. de Div. I, 3. Præsensionem rerum futurarum comprobabat, censebatque, sapienter instituisse veteres, ut hostiarum immolatarum inspicerentur exta, quorum ex habitu atque ex colore, tum salubritatis, tum pestilentiæ signa percipiantur: nonnunquam etiam, quæ sit vel sterilitas agrorum vel fertilitas futura.

Id c. 57.

## CAP. X.

### *Ethica.*

Laert. IX, 45. *Finem* vel *bonum* ultimum εὐθυμίαν esse statuit; non voluptatem, ut a quibusdam, mentem ejus non recte percipientibus, est traditum, sed mentis statum securum, neque metu, superstitione, vel alio quocunque affectu distractum atque turbatum.

Sententiarum ejus, ad doctrinam morum spectantium, sequentes Stobæus, aliique, nobis servarunt.

Stobæus serm. II. init. *Addicta pravis mens ad insidias patet,*
*Intenta nempe quæstibus semper suis,*
*Et temere credit, & ruit cæco impetu.*

Ib. p. 32. fin. Facile est *laudare*, ac *vituperare*, quæ non decent; utrumque vero mali ingenii est.

*Sapientia* nihil admirata, nihil non meretur, summo honore digna. Id. serm. III. p. 38.

*Utilium* ac *inutilium* termini sunt jucundum & injucundum. Id. ib.

*Prudentia* est, futuram injuriam præcavere, *indolentia* vero, quod factum est, non ulcisci. Ib. p. 40.

*Magna gaudia* ex præclarorum facinorum spectaculo oriuntur. Ib. p. 41.

E *bonis mala* nascuntur hominibus; si qui bona non recta ratione regere, neque facile ferre noverunt. serm. IV. p. 55.

*Legi*, *principi*, & *sapientiori* cedere, decorum est. serm. VI. p. 65.

(*Optimum homini*, vitam agere animo utplurimum læto, rarissime tristato, quod fieri poterit, si voluptates non in perituris rebus locentur. Ib.

*De turpibus* factis vel loqui dedecet. Ibid.

Mensam pretiosam *fortuna* apponit, frugalem & contentam *temperantia*. Ibid.

Patris *temperantia* optima liberorum est institutio.) Ib. p. 66.

*Temperantia*, quæ jucunda sunt, auget, & voluptatem majorem facit. Ibid.

*Diurni somni* corporis turbationem, aut animæ mœrorem, aut pigritiam, aut imperitiam produnt. Ibid. p. 62.

*Coitus* brevis est apoplexia, ex homine enim homo prosilit. ibid.

(*Fortitudo* dispendia minuit.) serm. VII. p. 82.

*Fortis* est, non qui hostes superat modo, sed & voluptatibus superior qui existit. Sunt tamen, qui civitatibus imperent quidem, feminis tamen pareant. Ib. adde serm. VI. p. 78 & serm. XVII. p. 157.

(*Justitiæ* laus & gloria mentis fiducia est, & animi bonus status: *injustitiæ* autem fuga calamitatis est terminus.) serm. VII. p. 88.

*Bonum* est, *injuriam* non tantum serm. IX. p. 104.

tum non facere, sed facere ne velle quidem.

( Soli Deo chari sunt, *iniurias* qui oderunt.)

serm. X. p. 130. ib. p. 131. *Divitiæ*, malis acquisitæ artibus, infamiam augent.

( *Improba lucra* sunt iactura virtutis. )

p. 132. Spes *mali lucri* iacturæ initium est.

ib. ( Nimia *pecuniarum* pro liberis *coacervatio*, est avaritiæ prætextus, proprium ingenium detegens.

ib. p. 133. *Cupiditas* plurium præsentium iacturam facit, ut Æsopicæ illius canis.

serm. XII. p. 134. f. XIII p. 146. *Vera* sunt dicenda, ubi id præstat.

Melius est *domestica vitia* culpare, quam aliena.

ib. p. 147. *Libertas in dicendo* ingenuitati propria est: sed occasionis diversitas periculum habet.

serm XIV. p. 149. f. XVI. p. 151. *Recte facta collaudare* honestum est, mala vero laudibus evehere, adulterini animi, ac impostoris est.

( Qui *parci* præter modum sunt, instar apicularum operantur, tanquam perpetuo victuri.

ib. *Parcorum filii*, indocti qui sint, perinde ac agyrtæ, super nudos gladios saltu se coniicientes, si uno defecerint, neque locum, quo pedibus niti debebant, tetigerint, male dispereunt. Difficile vero est, uno non excidere, at solum vestigii pedis spatium eis relinquitur. Sic vero & isti, si a paterno exemplo parcitatis desciverint, perire solent.

ib. *Parsimonia* & *esuries* bona sunt, at *impensa* etiam quandoque est bona; est ergo viri prudentis, probe discernere.)

f. XVII. p. 192. Bene composito est animo, qui de rebus absentibus non *tristatur*; *lætatur* autem præsentibus.

*Dulcium*, quæ rarissima sunt, maxime delectant. ib. p. 158.

Si quis *modum* excesserit, ei iucunda maxime molestissima evadent. ib.

Pro *sanitate* vota Diis faciunt mortales, penes seipsos eam esse ignari; at ipsi, luxu suo illi adversantes, libidinibus suis male eam amittunt. serm. XIIX. p. 165. ib.

Qui *ventris voluptates* sequuntur, edendo, potando, Veneris illecebris tempus fallentes, breve omnino delectationis tempus habent, id nempe tantum, quo edunt ac bibunt, curę vero multæ sequuntur. Semper etenim earundem rerum desiderio torquentur, & cum, quæ appetunt, sunt consecuti, confestim transit voluptas, quippe quæ nihil in se boni, præter momentaneam habet delectationem, ut mox rursus iisdem eos indigere necesse sit. serm. XX. p. 174.

*Iracundiam* impugnare difficile est: Viri autem est, ratione præditi vincere ipsam. f. XXII. p. 188.

In *infamiam* desinit, qui cum superiore contendit.

*Iuramenta*, necessitate adacti quæ præstitere, non servant homines improbi periculo superato. serm. XXIIX. p. 196. ib. XXIIX. p. 202.

( *Voluntarii* labores involuntariorum patientiam reddunt faciliorem. ib.

*Labor* continuus consuetudine fit seipso levior. ) ib.

Plures *exercitatione* quam *natura*, boni evadunt. ib.

( Perpetua *cunctatio* imperfectas reddit actiones. p. 206.

Omnes *labores* otio existunt iucundiores, quando illa consequuntur

tur

tur, quorum gratia laborant mortales, vel consectatos se sciunt. *Frustrationi* vero, cum spei non respondet eventus, unum est remedium, si omnia reliqua non minus ærumnosa sint, & laboriosa.

serm. XXXII. p. 212. XXXVI p. 218. XXXVIII, p. 220. *Malum*, etiamsi solus fueris, neque feceris, neque dixeris: Teque ipsum magis, quam alios, hisce reverere.

*Avaritia* quædam est, solum loqui velle, neque alios audire.

*Bonum* aut esse, aut simulare oportet.

Ib. Quibus *bene compositi sunt mores*, illis tota etiam vita bene constituta est.

f. XXXVIII p. 224. *Malos* reprehendentes vir bonus non curat.

Ib. (*Invidus* seipsum tanquam hostem offendit.)

Ib. *Leges* non prohibuissent quemvis pro suo arbitrio vivere; nisi unus ad iniuriam inferendam alteri, esset, proclivis. Etenim invidia seditionis parit initium.

serm. XL. p. 232. *Peregrinatio* vitæ frugalitatem docet: offa quippe, & in gramine lectus, famis ac laboris dulcissima sunt remedia.

*Sapienti* quævis terra patet: animæ namque fortis universus mundus patria est.

serm. XLIII. p. 242. *Lex* hominum vitam iubet demereri beneficiis: id autem præstare potest, si ipsi ea suscipere voluerint: obedientibus enim vim & virtutem suam declarat.

Ib. *Seditio intestina* utrique parti nocet: nam & victoribus, & victis eadem pernicies incumbit.

Ib. *Concordia* cum alias magna facinora, tum a civitatibus bella confici possunt: secus, hautquaquam.

s. XLIV. p. 272. *Imprudentibus* regi magis, quam regere prodest.

*Iustitia* est, ea facere, quæ fieri oportet: *iniustitia* autem facienda non facere & declinare. Ib.

*De animalium cæde*, sic se res habet: Ea, quæ nocent, vel nocere possint, qui occiderit, pro innocente habendus est, imo occidi ea præstat, quam non occidi. Ib.

Interficienda sunt omnia, quæ præter jus & fas nocent: taliaque qui occiderit, eum toto mundo privilegiis studii sui, iustitiæque, & fortitudinis, ac possessionis, frui decet. Ib. p. 279

Ut de *feris & serpentibus* nobis inimicis scriptum est, sic etiam adversus *homines* faciendum mihi videtur; nempe, ut hostis ubivis gentium secundum patrias leges occidatur, si nulla lex obsit. Aliquando enim lex prohibet, & sua quibusque sacra, fœdera & iuramenta sunt. Ib.

*Furem* qui occiderit vel ipse, vel interficere iusserit, pro innocente habendus est. Ib.

Grave est a deteriore *regi*.

*Iniuriam* patientes, pro virili sunt defendendi, & minime negligendi. Hoc enim iustum, & bonum est, contrarium vero iniustum, & malum. f. XLV. p. 304. ser. XLVI. p. 310.

*Damnandi*, non absolvendi sunt, qui aliquid dignum exilio, aut vinculis, aliave pœna committunt. Si quis vero temere absolverit, lucri aut voluptatis gratia, injuste facit, & injustitiam ei cordi esse, est necessarium. Ib.

*Iustitiæ* & virtutis maximam partē habet, qui honorat honore dignos Ib.

Ne magis alios homines *reverearo*, quam *teipsum*: neque magis delinquas, si nemo, quam si omnes sint resciturі. Teipsum maxime revere, & hanc animo tuo legem consti- Ib.

constitue, ut nihil absurdum committat.

ib. Homines *male*, quam *bene factorum*, magis sunt *memores*: atque ita fieri fas est. Sic, qui depositum reddit, commendari haut meretur, at reprehensionem imo pœnam meretur, qui non reddit. Idem in Principe obtinet, qui, non ut male faciat, eligitur, sed ut bene faciat.

ib. (Fieri nequit ea, qua sumus conditione, ut *principes* injustitiam non committant, licet optimi quoque fuerint: & rel.)

s. XLVII. p. 323. *Imperare* natura proprium est præstantiori.

s. XLIX. p. 326. (*Metus* adulationem parit, non benevolentiam.

Serm. LI. p. 355. *Audacia* principium est actionis, at fini fortuna dominatur.

s. LXII. p. 383. s. LXIII. p. 397. *Servis*, ut partibus corporis, alio ad aliud utere.

*Amatorium* crimen ipsa, quæ amatur, diluit.

*Mulier* multo, quam vir, promtior est ad astutias & malignitatem. (*a*)

a Serm. LXXIII. p. 437. *Sermo parcus* ornat *mulierem*: neque tamen minus vestitus quoque ei ornamento esse parcitas. (*b*).

b Serm. LXXIV. p. 440. ib. *Parere mulieri*, extremum est dedecus *viro*.

Serm. LXXVI. p. 451. (Periculo plena *liberorum* est *educatio*: bene enim si res cedat, multum solicitudinis affert, & curarum; si male, alium dolorem summum trahit.)

p. 452. Non probo *liberorum propagationem*: multa enim & magna in eorum possessione discrimina animadverto, & molestias plurimas, jucunda vero pauca, tenuia, exilia.

ib. Viro locupleti, mea quidem sententia, consultum fuerit, amici alicujus filium sibi adoptare, talem quippe habituro, qualem desideraverit: licet quippe eligere pro arbitrio, & talem; qui idoneus, maximeque similis sibi videatur. Vides, quantum intersit. Adoptanti filium ex pluribus & optimis eligere datur, & cujus ingenio maxime delectetur. Gignenti autem multa pericula imminent cum talem, qualis natus erit, habere necesse sit.

Necessaria hominibus *liberorum* videtur *procreatio*, naturæ instinctu, pariter & antiquissima institutione, ut in brutis etiam animalibus est manifestum. Omnia enim, naturæ secuta ductum, sobolem sibi parant, quamvis nullam inde sperare detur utilitatem. Nempe non sine labore fœtum educat, & nutrit, prout potest unumquodvis, & in minimis quoque ejus curam gerit, & dolet, si quid patiatur. Et talis omnium animatorum est indoles, hominum vero omnium maxime, quippe qui fructum etiam ex prole percipere possint. Ibid.

*Pecudum præstantia* in bono corporis habitu, *hominum* in morum probitate, est posita. (*a*)

Quemadmodum, in ulceribus pessima gangræna est, ita in *morbis animi* avaritia, quæ fatiari non possit. (*b*). a Serm. LXXXVI. p. 494.

*Pecuniarum usus* cum prudentia ad liberalitatem exercendam est utilis, & populum adiuvandum: publica vero stultitia publica est largitio. (*c*).* b Serm. XCII. p. 506. c Serm. XCIV. p. 512. * Stanl. vertebat: qui stulte pecuniis utitur, is, ut omnium illas fiat præda efficit. ib.

*Pecunias comparare* malum non est, multo pessimum autem est injuste id facere.

*Paupertas* & *divitiæ* indigentiæ & saturitatis nomina sunt: quamobrem Serm. XCVII. p. 522.

brem neque dives dicendus est, qui indiget, neque qui non indiget, pauper.

ib. Si *multa desideres*, plurima etiam tibi pauca videbuntur.

ib. *Pauca appetere*, facit, ut divitiis pauperies æquipolleat.

f. XCVIII. p. 533. *Quærentibus bona* non obtingunt, mala etiam non quæsita.

ib. (Homines propter *conscientiam* vitæ male transactæ, perpetuis perturbationibus, terroribusque exagitantur, mendacia interea de terroribus post mortem fingentes.)

ib. p. 534. *Vitam humanam* imbecillam, ac temporaneam esse, est agnoscendum, imo multis adversis, atque perplexis negotiis esse implicitam (ut ei mediocritate rerum possidendarum consulatur, & a necessariis mensuram miseria accipiat.)

ferm. CIII. p. 557. *Fortunatus* est, qui, exigua possidens, hilaris vivit: infortunatus, qui inter magnas opes tristatur.

ib. p. 558. *Tranquillus* qui esse cupit, eum multa vel privatim, vel publice agere non oportet, neque suscipere quidquam, suas quod superet vires; ita vero sui gerere curam, ut omnem, qui sese obtulerit, fortunæ excessum declinet, neque plura admittat, quam quibus ferendis par valeat esse. Præstat enim, ut nobis conveniant ea, quibus fruimur, quam abundantia eorum.

ferm CIV. p. 559. Gravior *publica* est quam *privata calamitas*, nullam enim illa subsidii spem relinquit.

f. CXI. p. 581. *Spes sapientum* potest impleri, at impossibilis *stulti spes* est.

ib. *Insipientium spes* præter rationem sunt.

f. CXIII. p. 582. Quibus gaudio sunt *proximorum infortunia*, illi fortunæ casus omnibus communes esse, non intelligunt, quodque ipsis proprium dicatum non sit gaudium.

*Robur* & *forma corporis* bona sunt; senectutis autem flos est temperantia atque prudentia. (*a*)

*Senex* & ipse *juvenis* olim extitit, an *juvenis* vero *senex* futurus sit, incertum est. Bonum itaque, consummatum quod est, futuro omnino est præferendum. (*b*)

*Senium* omnimoda est imperfectio, omnia habet, omnibus indiget. (*c*)

Homines quidam, *natura mortalis* ignorantes *dissolutionem*, sibi vero vitæ infeliciter actæ conscii, omne quod vivunt tempus, misere turbantur, & metuunt, multa sibi falso post mortem eventura fingentes. (*d*)

Democriti quoque sententia fuit (*e*): *Actionis imago est sermo* (*f*).

Ex *publicis officiis* & *principum gratia* multa succrescere ornamenta statuebat, quæ gratiam & decus huic vitæ concilient. (*g*)

Dicebat item naturam in profundo *veritatem* penitus abstrusisse. (*h*)

Sine *furore* quenquam *Poetam* magnum esse posse, negabat. (*i*)

Moralibus ejus addas licet, quod a Iuliano Imperatore de eo relatum est (*K*), Darium nempe, uxorem emendatissimæ formæ acerbissime lugentem, cum verbis solari non posset, ad vitam eam se esse revocaturum pollicitus est, si ei rei necessaria vellet suppeditare. Darius ne ulli rei parceret, hortabatur, quæ id efficere, ut posset, inserviret. Exiguo interjecto tempore, omnia sibi, uno excepto, ad manum esse dixit, quæ

*a* ferm. CXVI. p. 586.
*b* ibid.
*c* ferm. CXVII. p. 592.
*d* ferm. CXXI. p. 603.
*e* Laert. IX 37.
*f* Magnenus male pro titulo libri accepit, verum quid res sit, patet ex Plutarcho de educatione liber T. II. opp. p. 9. F.
*g* Plut non posse suav. vivi p. 1100 B
*h* Cic Acad IV, 10.
*i* id Divin. I, 37.
*K* Epist. XXXVII. p. 413. A.

eo spectarent, id vero se comparare quidem non posse, at facile id Darium comparaturum, omni Asiæ qui imperet. Interrogans igitur Darius, quid sit, quod Rege excepto, nemo possit alius comparare? responsum a Democrito tulit, si trium hominum nomina, quos nullus unquam perturbaverit animi mœror, sepulchro defunctæ inscribere valeat, eum fore, ad hanc vitam ut redeat. Ea re perturbato Dario, cum nemo inveniatur, cui mœroris in hac vita nunquam sit oblata occasio, Democritus (ita enim solebat,) risu diffundebatur, inquiens: Potesne, ergo, mortalium imprudentissime, tanta plorare fiducia, solus quasi sis ipse, cui unquam aliquid obtigit afflictionis: cum invenire tamen non possis, omnes hominum pervestigando ætates, mortalium ullum, cui sua non ferenda calamitas fuerit?

# PROTAGORAS.

## CAP. I.

*Patria ejus, parentes, & occasio, ex qua philosophiæ studia primum amplexus est.*

PROTAGORAS Abderita, Artemonis filius fuit, vel, ut Apollodorus & Dinon aiunt, Mæandrii: Teium fuisse Eupolis memoriæ prodidit. Eum baiulum aliquando fuisse, Epicurus tradidit, atque ea occasione Democriti favorem meruisse. Adolescens, ut est apud Gellium, victus quærendi gratia in mercedem missus, vecturas onerum corpore suo factitavit. De proximo igitur rure in Abderam oppidum caudices ligni plurimos, funiculo brevi circumdatos, portabat. Tum forte Democritus, civitatis eiusdem civis, homo ante alios virtutis & philosophiæ gratia venerandus, cum egrederetur extra urbem, videt eum cum illo genere oneris tam impedito, ac tam incohibili, facile atque expedite incedentem: & prope accedit, & vincturam, posituramque ligni, scite periteque factam, considerat, petitque, ut paululum acquiescat. Quod ubi Protagoras, uti erat petitum, fecit, atque ibidem Democritus acervum illum, & quasi orbem caudicum, brevi vinculo comprehensum, ratione quadam quasi geometrica librari, continerique animadvertit: interrogavit, quis id lignum ita composuisset: & quum ille a se compositum dixisset, desideraverit, uti solveret, ac denuo in modum eundem collocaret. At postquam ille solvit, ac similiter composuit: tum Democritus animi aciem, solertiamque hominis non docti, demiratus, Mi adolescens, inquit, cum ingenium benefaciendi habeas, sunt maiora, melioraque, quæ mecum facere possis: abduxitque eum statim, secumque habuit, & sumtum ministravit, & philosophiam docuit, & esse eum fecit, quantus postea fuit.

Laert. IX, 50.

51.

Gell. V, 3.

## CAP. II.

*Doctrina & scripta ejus.*

PRimus dixit, *duas* esse omnium rerum *rationes*, invicem *contrarias*, quo genere argumentandi & ipse primus est usus. Laert. IX, 51.

Librorum suorum aliquem ita est exorsus: Πάντων χρημάτων μέτρον. id. ib. Arist. Metaph. X, 6.

*Omnium*

*Omnium rerum modus & mensura* homo est, earum, quidem, quæ sunt, ut sunt, quæ vero non sunt, tanquam non sint. Per mensuram vero (μέτρον) intelligit κριτήριον, per χρήματα, πράγματα res, ut adeo mens eius sit, hominem κριτήριον *rerum* omnium esse, *entium* quidem, in quantum sunt, *non entium*, in quantum non sunt. Posthæc vero peculiaria esse cuivis phænomena, sive *rerum apparentias* affirmat. (a)

a Laert. l. c. adde Sext. Emp. adu. Math p. 148 & Hypotyp. Pyrrhon l. 32.

*Materiam* in *fluxu* esse dixit (b) ipsa autem assidue fluente, adiunctiones pro ablationibus fieri, & sensus transmutari ac variari, & pro ætatibus, & pro aliis corporum constitutionibus.

b Sext. Empiric. Pyrrh. Hyp l. 32.

ibid. Dicit etiam, *rationes* omnium apparentium subiectas esse in *materia*: adeo, ut *materia*, quantum in seipsa, omnia esse possit, quæ omnibus apparent: homines autem alio tempore alia percipere, pro ut diverse se habent. Eum enim, cuius sana est, & integra corporis constitutio, ex iis, quæ in materia sunt; illa percipere, quæ integra & sana constitutione qui sunt, percipere possunt. Eos autem, quorum secus se habet constitutio, ea percipere, quæ apparere hominibus talis constitutionis possint. Estque in ætatibus, & in somno, aut vigilia, & in unaquaque specie habituum eadem ratio. Est ergo homo criterium rerum, quæ sunt; omnia enim, quæ apparent hominibus, ea sunt, quæ vero nemini apparent, ea neque existunt.

Laert. IX, 51. *Animam* ipsissimos sensus esse dicebat, ut Platoni quoque relatum, in Theæteto, omniaque esse vera.

ibid. Alium quendam librum suum ita exorsus est: De *Diis* quidem statuere nequeo an sint, necne. Sunt enim plurima, quæ id scire prohibeant, summa nempe rerum incertitudo, & vitæ humanæ brevitas. Ob hoc autem principium operis, exilio mulctatus ab Atheniensibus est, librique illius in foro cremati sunt, sub voce præconis, a singulis, qui illos habebant, investigati.

Primus pro *mercede* minas centum exegit. Ipseque, æque ac Prodicus Ceus, orationes prælegendo quæstum faciebat. ib. 52.

Primus *temporis partes* discriminavit, viresque opportunitatis exposuit, orationum item certamina instituit, & sophismata his, qui contentionis studio delectantur, proposuit, omissis rebus, in vocibus ludens, & leve illud ac superficiale & contentiosum differendi genus inducens: Vnde de eo dictum Timoni est:. ib. 52. ib. 54.

> *Protagoras mixtus, simul & contendere doctus.*

*Socraticum genus disputandi* primus abrogavit, *Antisthenisque* primus sub examen vocavit *argumentum*, quo demonstrare nititur, *contradici non posse*, ut Plato ait in Euthydemo. Primus item epichiremata thesibus opposuit: ib. 53.

*Orationem* primus in *quatuor species* divisit: *precationem*, *interrogationem*, *responsionem*, & *praceptum*. Alii *septem* eum statuisse dicunt: *Narrationem*, *interrogationem*, *responsionem*, *praceptum*, *enunciationem*, *precationem*, *appellationem*, quas partes *fundamenta orationis* vocavit. Alcidamas tamen *quatuor* eum *species* fecisse dicit: *affirmationem*, *negationem*, *interrogationem*, *appellationem*. ib 54.

 Pri-

Primum ex libris suis librum *de Diis*, cujus initium paulo ante retulimus, recitavit Athenis, in Euripidis ædibus, vel, ut aliis proditum, in ædibus Megaclidæ: alii in Lyceo id factum dicunt, Archagora, Theodori filio, discipulo ejus, librum recitante. Accusatus a Pythodoro fuit, Polyzeli filio, qui fuit ex quadringentis. Aristoteles tamen ab Evathlo accusatum testatur.

IX. 55. Scripta ejus Laertius sua ætate sequentia dicit extitisse:

*Ars contentionis.*
*De Lucta.*
*De disciplinis.*
*De Republica.*
*De ambitione.*
*De virtutibus.*
*De constitutione Reipublicæ.* *
*De rebus apud inferos.*
*De his, quæ non recte ab hominibus geruntur.*
*De præceptis.*
*Causa de mercede.*
*Contradictionum libri duo.*
*(De ente, sive de natura.* (a)

* περὶ τῆς ἐν ἀρχῇ καταστάσεως inter præ Laertii vertitur: de statu rerum in principio.

a Porph. ap. Eusebh. X, 3.

Hæc scripta ejus. Plato Dialogum, a se scriptum, ejus nomine insignivit.

## CAP. III.

*Mors Ejus.*

Laert. IX, 55. Relatum Philochoro est, eo in Siciliam navigante, navem, qua vehebatur, periisse, idque confirmare Euripidem dicit, in *Ixione*. Quidam illum in via defecisse ajunt, iter facientem, nonagesimum postquam attigisset annum. Apollodorus septuagenarium decessisse ait, postquam XL. annis Sophisticam exercuisset, Olympiade vero floruisse LXXXIV. Laertii sequens in ipsum est epigramma: 56.

*Te quoque, Protagoram, redeuntem fertur Athenis*
*Iam vetulum media mortem obiisse via.*
*Cecropis urbs linqui potuit, tu Palladis arcem*
*Linquere, sed linqui Styx violenta nequit.*

---

# ANAXARCHUS.

ANAXARCHUS, Abderita (a), Diomenem, Smyrnæum audivit, vel, ut alii perhibent, Metrodorum, Chium, qui ne hoc quidem se scire dixit, quod nihil sciret. Metrodorus Nessum, Chium, juxta nonnullos audivit, juxta alios, Democritum. Anaxarchus cum Alexandro vixit, & circa Olympiad. CX. floruit, magnus Nicocreontis, Regis Cypri, hostis, adeo usque, ut in convivio ab Alexandro interrogatus, quid sibi de cœna ista videretur, responderit: magnifica omnia, Regum maxime, mihi videntur, Satrapæ unius caput desidero, Nicocreontem autem intelligebat. Rege mortuo, memor injuriæ Nicocreon (b), Anaxarchum, quem tempestas invitum in Cypri littora eiecerat, cepit, & in mortarium conjectum, ferreis pistillis tundi curavit: eo interea, dolore contemto, identidem celebre illud dictum ingeminante: *Tunde Anaxarchi culeum, nam Anaxarchum non tundis.* (c) Linguam igitur ejus præscindi jubente tyranno, morsu eam ipse præscidit, & in ejus faciem conspuit. (d) Ob animi constantiam, & vita tran-

a Laert. IX, 58.

b adde Cic. Tusc. II, 22. & de Nat. Deor. III, 33.

c adde Tertull. Apolog. c. 8. Plin. H. N. II, 23. Val. Max. III, 3.

d in aliis de Zenone refertur vid. vitam ejus. & Hirdo in. ad Plin.

tranquillitatem *fortunatus* est dictus. Maximaque erat ejus, in revocandis ad moderationis legem aliis, facultas: sic Alexandrum enim, Deum se esse existimantem, arguebat, digitum ejus monstrans, dum sanguis ex eo dimanaret, atque, hoc quidem sanguis est inquiens, non vero

*Ille cruor divis qualis solet esse beatis.* (e)

Plutarchus (f) tamen id ipsum Alexandrum ad amicos dixisse, refert.

Alio tempore, Anaxarchus cum ipsi præbibisset, calicem ostendit (g), dicens.

*Deus mortalis ecce mox cadet manu.* (h)

(Similiter ægroto Alexandro, & potione medica utente: *Scilicet*, inquit, *nostro Deo in cochlearis sorbitione spes est.* (i)

Alexandro, Babylona appropinquanti, dissuadebant Chaldei, urbem ne ingrederetur, fatale id ipsi fore affirmantes: quibus obsecutus, præterita Babylone Bursiam se contulit, quæ urbs erat trans Euphratem sita. Postea vero ei Anaxarchus, & alii Græcorum, persuadebant, ut contemneret Magorum prædictiones, tanquam falsas & incertas, ex philosophia depromtis usi rationibus quibusdam: quorum sequens consilium, Babylonem exercitum reduxit, ubi & extinctus est.

(Alexandrum consolans, ob Cliti cædem animo anxium, *an ignoras*, ajebat, *Ius & fas Iovi assidere, ut quicquid Rex agat, id fas, justumque putetur* (a)?

In vitæ, quod secutus est, genus, ita lusit Timon Sillographus: (b)

*Hic & Anaxarchi vis illa canina videtur,*
*Se quocunque dedisset, eo pertendere sueta.*
*Is tamen, ut perhibent, misere prudensque, sciensque*
*Vixit: namque voluptates amplexa, stupensque*
*Natura (haut paucis ea formidata sophistis)*
*Retrorsum ad vitium recto de tramite agebat.*

e Verf. Homeric. f Alexandr. p. 681. g aliter relatum Plutarch. Sym p. IX p. 737 h Verf. ex Eurip. Orest. i Ælian. V. H. IX, 37. a Plut. ad Princip. indoct. p. 781. Arrian. Vit. Al. LIV. p. 84. E. b Plut. de Virt. mor. p. 449. & Sympos. VII. p. 705.

# HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ
## PARS XI.
## DE SECTA SCEPTICORUM.

### PYRRHO.
#### CAP. I.
*Ejus patria, parentes, ætas, & Magistri.*

Laert. IX, 61. Alii sectæ, non minus, quam præcedentes, celebratæ, *Elea* originem dedit, cujus autor PYRRHO Eleeus extitit. Ei pater, juxta Dioclem, Plistarchus fuit, obscuræ sortis homo, qualem ipsum quoque initio fuisse Pyrrhonem, Antigonus observat: Soror ipsi obstetrix fuit, Philista appellata. 62.

Suidas eum, regnante in Macedonia 66. init. & med.

donia Philippo, circa Olympiad. CI, fuisse dicit, tempus, ut credere par est, nati Pyrrhonis, quam florentis, magis respiciens. Quippe Anaxarchus, quem magistrum fuit sectatus, Alexandro, Philippi filio, coævus fuit, IX, 58. & , Laertio teste, Olympiad. CX. floruit: quæ causa etiam, cur Suidas addiderit, *& inde sequentibus temporibus*, eum fuisse. Laert. IX, 61. Fuit autem Pyrrho, Appollodoro teste, initio pictor, isque non optimus, ut Aristocli relatum. ap. Eus. Præp. XIV, 18. Dicit tamen Antigonus in Eliensi gymnasio manu ejus delineatos servos, qui lampades ferant, inveniri, non male elaboratos.

a Laert. IX, 61. Post hæc, Apollodoro teste, Philosophiæ animum adjecit. (*a*) Dicitque Aristocles (*b*), b ap. Eus. l. c. in Democriti primum scripta quædam eum incidisse. Alexander, in *libro de successionibus* (*c*) c ap. Laert. l. c. Drysonem, Stilponis filium, eum audivisse ait, quem Brysonem Suidas vocat, & Clinomachi facit discipulum, Dialectici, Stilponi coævi.

Post illud tempus Alexandrum Suid. l. audivit, Metrodori Chii discipulum, qui Abderitam Metrodorum, habuit præceptorem.

Laert. l. c. Postremo Anaxarchum audivit, Abderitam, ubique ei adhærens, ita ut Gymnosophistas in India cum eo adierit, cumque Magis congressus sit.

## CAP. II.

### *Secta ab eo condita.*

Videtur secundum Ascanium Abderitam, nobilissimam philosophiæ excolendæ viam inivisse, Laert. IX, 61. *nihil quicquam comprehendi posse* dicens, neque quidquam omnino decernens. Nihil enim vel honestum esse dicebat, vel inhonestum, justum vel injustum, pariterque in reliquis statuebat. Nihil scilicet horum reapse tale esse ajebat, legem vero & consuetudinem sequentes, omnia ista facere magis, quam aliud esse.

Hanc *Zeteticam* appellarunt philosophiam, quod semper in *inquirenda*, (hoc enim est ζητεῖν) veritate versaretur: Laert. IX, 70. *Sceptica* dicta est (a σκέπτειν) quod *dispiceret* semper, nunquam reperiret. *Ephectice*, ab eo, quod sequitur eam investigationem, quod est ἐπέχειν, *judicii suspensio*. *Aporetica*, quod de omnibus *dubitaret*, hoc enim est ἀπορεῖν. *Pyrrhonia*, a *Pyrrhone*. Theodosius tamen, in *Scepticis capitulis*, dicit, *Scepticam* philosophiam *Pyrrhoniam* minime appellari oportere. Si enim intellectus alterius motus ignoti alteri sint, certe scire non possumus, ut animo affectus fuerit Pyrrho, quod nescientes, Pyrrhonii non possumus appellari. Præterea, neque primus Pyrrho *Scepticismum* invenit, nullumque dogma amplectendum docuit. Pyrrhoniæ igitur philosophandi viæ similis potius dicendus erat *Scepticismus*. Sic Theodosius.

Altera ex parte Numenius, ille Laert. IX, 69. tamen neminem nactus suffragantem,

tem, affirmavit, dogmata etiam Pyrrhonem habuisse. Sed ea de re post-hæc plura addemus.

## CAP. III.

### *Vitæ genus.*

Laert. IX, 62. Consentaneum illi opinioni vitæ genus sequebatur: nihil declinabat, nihil devitabat, omnibus rebus recta occurrebat: curribus, si oblati essent, præcipitiis, canibus, & similibus, nunquam via decedens, neque sensibus obsequens, amicis interea, qui eum sequebantur, Antigono teste, saluti eius prospicientibus: Contra tamen Ænesidemus testatur, quod, licet de assensu suspendendo multa disseruerit, actiones tamen minus inconsideratas edere fuerit solitus.

Laert. IX, 63. Solitarius vivere solebat, rarius vel ipsis domesticis visus. Idque eo, faciebat, quod Indum audivisset, Anaxarcho exprobrantem, neminem, nisi seipsum, bonum esse quod diceret, principum vero interea aulas frequentaret.

ibid. Semper eodem vultu & habitu perseverabat, neque, si inter dicendum eum audientes destituerent, ante desinebat, quam finem orationis attigisset, (quamvis adolescentiæ annis animo fuisset commotior.*) Itinera varia suscepit, nunquam quo pergeret indicans cuipiam, sibique eos, cum quibus versaretur, ipse deligebat.

* nempe male hæc adsequentia refellebat. Stanl.

ibid. Cum in scrobem aliquando incidisset Anaxarchus, ille quidem ope non lata præteriit. Idque reprehendentibus quibusdam, ipse Anaxarchus laudavit, quod nullam in partem impelleretur, neque animo moveretur.

ibid. Cum secum loqui aliquando deprehensus, quid ageret? interrogaretur, meditor, respondit, bonus ut evadam.

ibid. In quæstionibus a nemine contemnebatur, quod modo quodam singulari in illis explicandis uteretur, qua re Nausiphanem cepit, iuvenem: Dicebat autem, affectum quidem suum Pyrrhonium esse, verba autem sua. Admiratus etiam Epicurus Pyrrhonis in disserendo facultatem, semper eum de seipso interrogabat. Tanta vero eius in patria existimatio fuit, ut Pontifex crearetur, datumque hoc eius honori fuit, ut decretum fieret quo omnibus Philosophis vacatio a publicis muneribus permitteretur. Multos habuit, qui eius animum, nunquam in partes euntem, imitari cuperent, unde Timon de eo in Pythone & Sillis ait:

*Miror, qui tandem potuisti evadere, Pyrrho,*
*Turgentes frustra, stupidos, vanosque Sophistas,*
*Atque impostura fallacis solvere vincla.*
*Non fuerit cura scrutari, Græcia quali*
*Aere cingatur, neque, ubi, aut unde omnia constent.*

& iterum in imaginibus.

*Abs te illud misere optarim cognoscere Pyrrho,*
*Qui fuerit facilis lætaque vita tibi:*
*Solus ut in vivis gereres te numinis instar.*

66. Athenienses iure civitatis eum honorasse, autor est Diocles, apud Laertium, quod Cotyn Thracium interemisset. At errorem in eo esse, eruditissimo Casaubono

est observatum, cui nominum cognatio dedit occasionem. Pytho enim, Platonis discipulus, Cotyn extinxit, ut ex Plutarcho ille docet. (ad Laert.)

Pie eum cum sorore vixisse, autor est Eratosthenes, sæpeque in forum gallinarum pullos, porcellosque, quos venderet, deportasse, denique ita indifferenter vixisse, ut scrofam quoque lavasse dicatur. (ibid.)

Philista autem, soror eius, cum aliquando sacrificaret, quidam vero ex amicis, ea, quibus ad sacrificium opus erat, pollicitus, promissis non stetisset, ipse Pyrrho emere ea cogebatur. Quod ipsum cum stomachum ei moveret, & ab amico propterea reprehenderetur, quod dicta eius factis consentanea haut essent, neque cum indolentia animi, quam profiteretur, consentirent: certe quidem eius rei adversus mulierem specimen edendum esse negavit. (Aristocl. p. Euf. præp XIV. 8. Laert. X, 66.)

Cum canis, invadens eum, terruisset, &, ut post arborem se reciperet, adegisset; a præsentibus derisus, *difficile*, aiebat, *est*, *hominem penitus exuere. Contendendum tamen est, primum quidem agendo, quantum fieri potest, adversus res, tum postea ratiocinando.* (Aristocl. & Laert. l. c.)

Aiunt eum ulceri cuidam suo medicamenta corrodentia, & sectiones, & incisiones, ac ustiones, adhibuisse. Eiusque animi robori Timon testimonium perhibet. (Laert. IX, 67.)

Cum magna honoris præfatione semper Democriti eum meminisse, Philo Atheniensis, discipulus eius testatur, tum etiam Homeri, quem multum sit admiratus, assidue in ore habens istud: (ib.)

*Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum.* (Homer. Il. Z. v. 146.)

Probasse item, quod muscis & avibus homines comparet, & sæpe hosce versus eius repetiisse:

*Sed moriaris, amice, & tu, suspiria frustrà:* (Id. Il. Φ. v. 106.)

*Mortuus & Patroclus, qui te superabat abunde.*

Et alia omnia, quibus inconstantiam, vanitatem, & imprudentiam hominum perstringeret.

Posidonius de illo refert, navi aliquando vectum, dum ingruens tempestas anxios omnes teneret, bono animo fuisse, monstratoque sociis porcello, in navi comedente, dixisse: (ib.)

*Tali animi tranquillitate sapientem esse oportere.*

## CAP. IV.

*Mors ejus.*

Mortuus est, cum annos fere XC attigisset (a), nullo scripto relicto. (b) Discipulorum eius nonnullorum illustrissima fama fuit. Præcipui sunt, qui sequuntur: (a Laert. IX, 62. b ib. 102.)

*Eurylochus*, de quo relatum est, ita furore aliquando exarsisse, ut sumto veru cum carnibus, coquum in forum usque persequeretur. Elide item quæstionibus eruditorum fatigatum, abiecto pallio, Alpheum tranasse fluvium. Magnus is Sophistarum inimicus fuit, ut Timon testatus est. (ib. 68.)

*Philo*, Atheniensis, qui sæpe secum ipso colloquebatur *, unde Timon de illo: (ib.)

*Aut meditantem; atque a strepitu turbaque remotum.*

*Litibus haut stolide addictum, famaque, Philonem.*

(* Laertius habet. τοι ν λ ἰι · Σκ διελέγετο quod vertas: *multum disputabat*.)

*Hecatæus*, Abderita.

*Timon*, Phliasius, Sillorum scriptor.

*Nausiphanes*, Teius, quem audivit Epicurus secundum nonnullos.

Hi omnes a magistro suo *Pyrrhonii* dicti sunt: *Aporetici*, *&* *Sceptici*, *&* *Ephectici*, *&* *Zetetici*, a philosophandi genere.

---

# TIMON,

## CAP. I.

### *Vita ejus.*

Laert. IX, 109. APollonides Nicæus in primo commentariorum in Sillos, quos Tiberio Cæsari dedicavit, patrem TIMONIS fuisse dicit Timarchum, Phliasium, iuvenemque Timonem saltationi operam dedisse. Postea vero animo mutatum, Megaram profectum esse, Stilponem ut videret, cumque eo aliquandiu versatum, in patriam rediisse, uxoremque duxisse. Posthæc Elidem profectum esse, ut Pyrrhonem adiret, itineris comite uxore, ex qua, dum ibi agerent una, filios suscepit, quorum maiorem natu Xanthum vocatum, in medicis instituit, successoremque instituti sui reliquit.

Ib. 110. Illustrem eum fuisse, Sotion in undecimo testatur. Cum necessariis vero destitueretur, Hellespontum petiit, & Propontidem, philosophiamque Chalcedone professus, maximo in honore fuit. Inde auctus facultatibus, Athenas se contulit, ibique ad obitum usque perseveravit, nisi quod exigui temporis iter ad Thebas aliquando susceperit. Innotuit & Antigono, & Ptolemæo Philadelpho, Regibus, ut ipse in Iambicis docet.

Ib. Erat autem, Antigono teste, compotationum amator, multumque sibi vacationis a philosophicis studiis permittebat, ut ex ipsius Scriptis apparet.

Hortorum studiosus fuit, ac solitudinis amans, ut Antigono est relatum. Vnde est, quod Hieronymus de eo dixit: sicut apud Scythas, & qui fugiunt, & qui persequuntur, sagittas mittunt; ita & apud philosophos, alii persequendo discipulos capiant; alii fugiendo, ut Timon. 112.

Erat acri ingenio ad percipiendum & deridendum, scribendi cupidissimus, in poeticis fabulis & dramatibus componendis exercitatissimus. In Tragœdiis eius Homerus frequens erat, & Alexander. Ab ancillis, canibusque turbatus facile cedebat, nihil vitæ tranquillitati anteponens. 113.

Ab Arato interrogatus, quo pacto Homeri exemplum quam emendatissimum sibi compararet? respondit, antiqua si consectetur exemplaria, non nuper correcta. Ib.

Ipsius poemata neglecta apud eum iacebant, & perturbata, nonnunquam & corrosa. Adeo ut, cum Zopyrus rhetor quædam ejus recitaret, ipse ex memoria suppleverit, 114. quæ deerant: cum vero ad medium operis perventum esset, magna hiabat lacuna, quam ex memoria restituere non valeret. Ib.

Adeo erat in rebus agendis indifferens, (adeo valetudine firma,) ut statum prandii tempus nunquam observaret. Ib.

Arcesilaum, in medio assentatorum incedentem, videns; quid hic agis? dixit, ubi nos liberi sumus? Ib.

In eos, qui sensus iuxta cum ratione, iudicandi principia statuebant, dicere solebat: *Convenit Attagasque & Numenius.* Ib.

a. Consueverat & ita ludere: ad eum, qui cuncta mirabatur, dixit: *quid autem non miraris, quod tres cum simus, quatuor habemus oculos?* Erat nempe ipse pariter ac discipulus eius Dioscorides unoculus, unde *Cyclopem*, seipsum vocare solebat: illi autem, cui loquebatur, ambo oculi erant. Cumque aliquando ab Arcesilao interrogaretur, cur Thebis Athenas permutasset, *ut vos*, inquit, *qui volatu sublimia petitis videam*. Quamvis autem in Sillis insultet Arcesilao, in eo tamen libro, quem inscripsit *Arcesilai de cœna*, maximopere eum commendavit.

Laert. IX. 112.

Ib 115.

## CAP. II.

### *Mors & scripta ejus.*

Ib. 112. MOrtuus est, cum annos fere XC. attigisset, ut Antigono affirmatum, & Sotioni Lib. XI.

Alius vero *Timon* fuit (μισάνθρωπος) humani generis inimicus, de quo Suidas & Lucianus.

Suid. V. Luc. in Timone

Laert. IX, 110. *Poemata* noster scripsit, *versusque, & tragœdias, Satyrasque, comica dramata* XXX, *Tragica* LX, *Sillos*, item & *Cinados*. Feruntur eius & soluta oratione scripti libri ad viginti versuum millia.

111.

*Sillorum* eius libri reperiuntur tres, in quibus Scepticus ipse, Dogmaticos perstringit omnes. Horum *primo* sua persona loquitur, continua serie. *Secundus* & *tertius* forma Dialogi sunt exarati. Xenophani Colophonio quæstiones de rebus omnibus proponit, qui omnibus respondet. In *secundo* de antiquitatibus agit, in *tertio*, de recentioribus philosophis, unde Epilogus ille a quibusdam vocatur. Primus liber eadem omnia continet, quæ posteriores duo, alia tantummodo proponendi est ratio, cum unam personam tantum, poema illud loquentem, inducat. Eius initium istud:

*Nunc mihi adeste, omnes, gens importuna, Sophistæ.*

## CAP. III.

### *De Schola successione.*

QUamvis discipuli Timonis Laertio (a) esse dicantur *Xanthus* filius eius, & *Dioscorides*; Suidæ (b) vero *Pyrrho* Phliasius, Timarchi filius. *Menodotus* (c) tamen successorem Timonem neminem habuisse, affirmat, deficiente illa schola, donec Ptolemæus Cyrenæus eam restitueret, cuius auditores, iuxta Hippobotum & Sotionem, fuere *Dioscorides* Cyprius, *Nicolochus* Rhodius, *Euphranor* Seleuciensis, *Pyralus* Troudensis, qui obfirmato adeo animo fuit, ut, cum proditionis accusaretur, pœnam iniquam subire quam coram civibus causam agere maluerit.

a Laert. IX, 109. 115. b Suid. c in cap. 1 aert. IX, 115.

Euphranorem *Eubulus* audivit, Alexandrinus, eum *Ptolemaus*, hunc *Sarpedon*, & *Heraclides*. Heraclidis discipulus *Ænesidemus* Gnossius fuit, (qui, Aristocle autore, Alexandriæ floruit) scripsitque VIII. Disputationum Pyrrhoniarum libros.

Ib. 116. Euseb. Præp. Lcy 763.

Eum *Zeuxippus* audivit Polites, hunc *Zeuxis*, cognomine γωνιόπους, hunc *Antiochus* Laodicenus ex Lyco. Hunc Nicomediensis *Menodotus*, qui medicinam empiricam sectabatur, & *Theodas*, Laodicenus. Menodoti discipulus *Herodotus*.

Tar-

Tarsensis, fuit, Ariei filius: Herodotum *Sextus Empiricus* audivit, cujus decem extant de Sceptica philosophia libri, una cum aliis scriptis excellentissimis.

*Sextum* hunc, Sextum illum Chæronensem esse, probabile fit; Plutarchi nepotem, quem ita honoravit M. Aurelius imperator, ut ipsum in judiciis suis assessorem fecerit. Sexti discipulus *Saturninus* fuit Cythenas, qui & ipse Empiricus est dictus. Hucusque Laertius.

Suid. Σέξτ.

[ Reliquos Cynicos ordine alphabetico recenset cl. Fabricius Bibl. Gr. L. III. c. 33.

Summam doctrinæ Scepticorum ex Sexti Empirici Pyrrhoniis hypotyposibus, quas integras in vernaculam linguam transtulit, Anglis suis exhibuit Stanlejus. Nos in ipsis potius Sexti scriptis vel Græce, vel Latine illa legi, quam opus hocce præter necessitatem eis excrescere voluimus. Paucæ enim Stanleii emendationes, cur pœniteat ejus consilii, eo minus efficere poterunt, quod dubium non sit, in luculenta, quam propediem expectamus, Sexti editione, a cl. viro I. A. Fabricio accurate eas esse sub examen revocandas. ]

# HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ
## PARS XII.
## DE SECTA EPICUREORUM.

### CAP. I.

*Patria, parentes, fratres Epicuri.*

Ex Gassendo

EPICURUS, patria Samius creditus nonnullis videtur. Siquidem Timon apud Laertium (*a*), ultimum dicit Physicorum, qui e Samo prodierint; & Constantinus Porphyrogenneta (*b*) illum perinde, ac Pythagoram ex Samo oriundum facit. Verum causa fuit, quod pueritiam, primamque adolescentiam exegerit Sami cum patre & fratribus; in eam scilicet pater ejus *agripeta* venerat, ut Ciceronis (*c*) verbis dicatur. Parem ob causam apud Strabonem (*d*) Lampsacenus habitus est; quippe Lampsaci commoratus, & familiaritate usus Virorum ibi principum. Epicurus igitur patria Atheniensis fuit, ut Laertius (*e*) Suidas (*f*), & alii innumeri, scribunt. Hinc Lucretius (*g*) ipsius laudes prosecuturus, sic exorditur:

*Prima frugiferos fœtus mortalibus ægris*
*Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ,*
*Et recreaverunt vitam, legesque rogarunt,*
*Et prima dederunt solatia dulcia vitæ,*
*Cum genuere virum, tali cum corde repertum,*
*Omnia veridico qui quondam ex ore profudit.*

Cum populus vero Atheniensis tribubus distinctus, effusus esset per τοὺς δήμους, seu affinia oppida, a Theseo usque facta municipia; Epicurus natus est Gargetti, quod oppidum fuit, ut Phavorinus, & Hesychius habent, ex tribu Ægeide; ubi nimirum Theseus, ex Plutarcho, Pallan-

(*a*) L. IX. (*b*) Lib. 1. de them. (*c*) de. nat. Deor. I. 26. (*d*) Strabo L. XIV. p. 589. (*e*) Laert. X. 1. (*f*) Suid. in voce Epicurus. (*g*) Lucret. L. VI. init.

in lexicis. in Theseo, p. 64.

Pallantidas, Ægeo sibique insidiantes, oppresserat; & ubi Eurystheus, ut a Stephano (a) narratur, fuerat consepultus. Ea de causa δῆμου Γαργήττιος a Laertio (b) dicitur, a Statio (c) *Gargettiens autor*, a Cicerone, Æliano (d), & aliis (e), simplici adjuncto, *Gargettius*.

a de urb. v. Γαργηττ.
b Laert. X. 1.
c Statius Sylv. II Carm. II. v. 112. & Sylv. I. Carm. III. v. 94.
d Ælian. Var. Hist. IV. 13.
e Stob. Serm. X. Suid. v. Επικ.

Ceterum scribit Laertius, ex Metrodoro, in libro de Nobilitate, Epicurum fuisse γένους τοῦ τῶν φιλαιδῶν, ex *genere Philaidarum*. Constat vero *Philaidas* denominatos a *Philaeo*, altero illo Ajacis filio, qui habitavit in Melite, & cujus meminit Plutarchus (f), adjiciens, Pisistratum quoque ex *Philaidis* extitisse. Ex hoc itaque genere, Epicuri pater, apud Laertium (g), & alios, fuit Neocles, mater vero Chaerestrata. Et frequenter quidem citatur, Græcanico more, *Epicurus Neoclis*; interdum tamen *Neoclides* simpliciter appellatur; ut cum a Menandro (h) confertur cum Themistocle, cujus etiam patri fuit *Neoclis* nomen. Prætereo, Epicuri patrem fuisse, ex Strabone (i), unum ex duobus civium millibus, quos Athenienses κληρούχους in Samum miserunt, cum jam ante Pericle, & Sophocle missis, rebellantes Samios obsidione gravi afflixissent. Omitto, fuisse & ludi magistrum, quod præter Strabonem notat Cicero, dum suggillare quasi pergens: *Sed cum agellus*, inquit, *eum non satis aleret, ut opinor, ludi magister fuit*.

f in Solone p. 83. D.
g l. c.
h in Anthol. L. III. E. v. Epigr. 3.
i L. XIV. p 589.
L. 1 de nat. Deor. c. 26.

Fratres Epicuri duos solum Suidas memorat, Neoclem, & Chaeredemum: at Laertius tertium addit ex Philodemo Epicureo, Aristobulum scilicet, quem Plutarchus videtur interdum nominare Agathobulum. Qua cura, ac benevolentia Epicurus fuerit ipsorum reverentiam simul, & affectum promeritus, declarat eximie Plutarchus, dum ex stupore dignum judicat, quomodo ille sic animarit, isti affecti sic fuerint. Hos omnes ante Epicurum diem obiisse, vel ex ipsius testamento intelligi licet; cum neque illis, neque de illis, ut viventibus, quicquam mandet; sed celebrari solum precipiat fratrum diem mense Posidæone. Et quamvis de Chaeredemo nihil certius constet, de Aristobulo tamen liquet clarius, ex eo, quod Plutarchus scribit, Epicurum totum fuisse in Metrodoro, Polyæno, Aristobulo, tum ægrotantibus, curandis, tum deflendis mortuis. De Neocle autem apertissime ex eodem Plutarcho, dum memorat, Epicurum voluptate quadam, lacrymis permixta, diffusum, ex recordatione verborum extremorum Neoclis. Ut illi gravibus morbis afflicti interierint, a Plutarcho, & Suida satis superque exaggeratur.

In voc. Epicur. l. c.
Laert. l c.
Plut. non posse suav. vivi sec. Epic. p. 1089. F.
Lib. de amor. frat. p. 487. D.
Lib. non posse suav. vivi sec. Epic.
Ibid. p. 1097. E.
Ibid. p. 1089. F. l. c.

## CAP. II.

### *Tempus Natale*.

Natus est autem Epicurus, referente Laertio, ex Apollodoro *in Chronicis*, Olymp. CIX. anno III. septima die mensis Gamelionis; quo quidem natali, ex Plinio, fuit Luna XX. Porro, cum Hecatombaeon (primus nempe mensis) hujus anni, incidat

X. 14.
L. XXXV. c. 2.

incidat in æstatem anni periodi Julianæ, qua jam Chronographi utuntur, MMMM CCCLXXII. constat Gamelionem ejusdem ab Hecatombæone septimum, incidere in principium anni MMMM CCC LXXIII. qui inivit ante vulgarem Christi Epochen annis completis CCCXLI. Quoniam vero Januario mense, in quem principium Gamelionis cadere deprehenditur, novilunium contigit in Horizonte Attico, ex Tabulis cœlestium motuum, die IV. mane, (seu, si mavis die III. juxta Atticos, qui, ex Censorino, supputabant dies ab occasu in occasum) ideo, cum luna XX. coincidat diei Januarii XXIII. sequetur, Epicurum natum die Januarii XXIII. nempe, si pone Cæsaris tempus eandem anni formam esse productam, finxerimus. Atque id quidem vetere stylo, juxta quem etiam fuit eo anno cyclus Solis V. seu litterarum bissextilis anni dominicalium B, A, unde & dies Januarii vigesimus tertius esse debuit dies Solis, seu Dominicus. At, si ad stylum Gregorianum, decem diebus maturiorem, (quod is nobis iam usui sit) cōponamus negotium, colligemus Epicurum natum die Februarii secunda existente dominica, (litteræ nempe dominicales fuisse debere intelliguntur E, D,) anno ante Christum, seu æram Christianam CCCXLI, ac proinde ante huius a Christo anni MDCXXXIV. * Februarium ineuntem, anno completo MDCCCC LXXIV. Prætereunda heic aliqua non sunt,

lib. de die Nat. c. 1.

* quo calculum istum inivit. Gassend. l. c.

Primo, observare Laertium, quo anno natus est Epicurus, Archontem fuisse Sosigenem, huncque ipsum annum fuisse septimum a morte Platonis. Adde & fuisse decimum sextum, Alexandri Macedonis; fuit enim ex eodem Laertio, proximus ab eo, quo Aristoteles evocatus est ad ipsum, natum iam annos quindecim.

v. 10.

Secundo, excusari vix posse erroris Eusebium; quod florentem Epicurum faciat Olympiade CXII, quippe eo tempore Epicurus vix pueritiam exegerat, solumque florere in Lyceo Aristoteles incipiebat, reversus puta ex Macedonia, Olympiade præcedente, uti apud Laertium est.

in Chron.

l. c.

Tertio, ferendo non esse mendum, quod irrepsit in Suidam, posuitque interpreti ejus, dum Epicurum natum facit Olympiade LXXIX. Nihil attinet memorare, quantum hoc repugnet non ceteris modo historiis, verum iis etiam, quæ apud Suidam sequuntur, ut dum Epicuri ætatem productam facit ad tempora usque Antigoni Gonatæ. Observo solum, cum pro numero Olympiadum Suidas videatur haut dubie posuisse ρϑ, quibus nobis designaretur Olympias CIX. facile oblitteratam in exemplaribus caudam τῦ ρ, ut remaneret, quasi ο, sicque ex οθ, significatur Olympias LXXIX.

in voc. Epic.

ita ex cod. Paris. etiã restituit. cl. Kusterus.

Quarto, nihil esse morandum, quod Chronicon Alexandrinum, Georgius Syncellus, & alii, placite nimis de tempore, quo Epicurus floruit, loquantur, ac ninil curandas virorum quorundam, alioquin celebrium, hallucinationes, dum Aristippum Epi-

curo

curo posteriorem faciunt, & quędam similia. Notandum solum, quod B. Hieronymus refert ex Cicerone pro Gallio: memoratur enim poeta, Epicurum & Socratem colloquentes faciens, quorum ætates, inquit Cicero, non annis, sed seculis, scimus esse distinctas.

de vit. Cler. Ep. XXXIV. T. IV. opp. p. 262.

Quinto, Epicuri natalem ex Laertio, Plinioque desumtum, argumento esse videri, quod alia mensium civilium, alia lunarium principia apud Atticos olim fuerint. Mirum profecto esse videatur, nisi quis putet colligi posse, cœpisse mensem Gamelionem ab ipso duntaxat antecedente plenilunio: cum, si diem Lunæ XIV. primam diem mensis annumeraveris, efficiatur, ut XX. Luna septimæ mensis coincidat. Ut taceam, quod Epicurus visus sit testamento suo constituere, celebrandum natalem suum in decade prima dierum mensis Gamelionis, quod ipsorum nempe uno natus esset; ac deinceps etiam aliquid specialius de XX. luna ordinarit, quod & ipsa natalis fuisset, ut referemus postea. Nisi forte audiendum putes Anonymum illum, qui Epicurum natum scribit Gamelionis εἰκάδι, seu die XX. sed nescio, an autoritate præponderare Laertio debeat. In illo certe plurimos errores, eosque gravissimos, vel unus Meursius animadvertit. Ut omittam, Gamelionis εἰκάδα posse fortassis intelligi de Luna XX. intra Gamelionem mensem incidente, ex Cicerone infra citando: tametsi ista obiter.

## CAP. III.

*Ubi pueritiam, adolescentiam, juventutem, exegerit.*

JAm Laertius ex Heraclide in Sotionis *Epitome*, refert, colonia ab Atheniensibus in Samum deducta, Epicurum ibi nutritum ad annum usque ætatis XVIII. quo Athenas venit, Xenocrate in Academia, Aristotele vero in Chalcide commorantibus. Addit Strabo, partim Sami, partim Tei educatum, pubertatem egisse Athenis, cum Menander Comicus una adolesceret. Pergit Laertius, mortuo Alexandro Macedone, & afflictis sub Perdicca Atheniensium rebus, Colophonem ad patrem transiisse, anno videlicet ętatis circiter XXIII. Scribit aliquandiu ibi commoratum, & subjungit postea, ex Apollodoro, ab anno ætatis circiter XXXII. ad annum usque XXXVII. vixisse, partim Mitylenæ, partim Lampsaci, (quo aliquando cum pergeret, non sine discrimine navigavit, ut apud Plutarchum observatum est). Definit Suidas, quantum temporis utrobique manserit, annum puta unum Mitylenæ, quatuor Lampsaci. Subdit Laertius, rediisse Athenas, Archonte Anaxicrate. Quia vero Anaxicrates (successor scilicet Charini, sub quo Seneca observavit, datas ad Polyænum ab Epicuro litteras) pręfuit Olympiadis CXVIII. anno II. ac proinde Epicuri non nisi XXXVI. necesse est metachronismum unius anni heic fieri.

Lib. X. §. 1. — Lib. XIV. p. 638. C. — l. c. — l. c. pag. 1090. F. — in Epic. — Epist. 18.

Hucusque porro est locorum, temporumque series, quibus Epicurus

curus pueritiam, adolescentiam, ac juventutem exegit, partim addiscens, partim docens, priusquam, pede Athenis fixo, suam sectam instituueret.

## CAP. IV.

*Quos Praeceptores audierit.*

UT aliquid vero dicamus de Magistris, quos habuit; legimus ecce apud Laertium, traditum ab aliquibus, Epicurum auditorem fuisse Pamphili Platonici; quod Suidas quoque asseverat. Cicero etiam memorat, Epicurum ipsum referentem, illum a se Sami auditum, quamvis doctrinam ipsius mirifice contemneret. Idem iidem, ac præterea Clemens Alexandrinus, & alii, tradunt de Nausiphane Pythagoræo, Pyrrhonis auditore, quamquam Sextus Empiricus scribit, inficiari ipsum, quod Nausiphanis discipulus exstiterit. Quin Apollodorus in *Chronicis* tradidit quidem, Epicurum audivisse Lysiphanem, & Praxiphanem; verum hoc, inquit Laertius, *non asserit ipse in sua ad Eurydicum epistola*. Xenocratem quidem audire potuit, & *sunt*, inquit Cicero, *qui putent audivisse*, (ut Demetrius Magnesius apud Laertium) *ipse Epicurus non vult*.

Lib. X. 13. in Epic.

Lib. I. de nat. Deor. c. 26.

Lib. I. Strom. p. 301. D. loc. cit. Lib. I. adv. Mathem. p. 10. C.

loc. cit.

l. I. de nat. Deor. c. 26.

Dicerem de Democrate, cum quo Plutarchus Epicurum contendisse notat, περὶ συλλαβῶν, καὶ κεραιῶν, *de syllabis, & apicibus*; nisi suspicarer, mendose *Democratem* legi pro *Democrito*, vel ex eo, quod subiicit Plutarchus, Epicurum decreta omnia fuisse ab illo suffuratum; quæ est circa Democritum celebris facta obiectio, ut infra memorabitur. Dicerem & de Metrodoro, quem Achilles Tatius διδάσκαλον, *magistrum*, Stobæus καθηγητὴν, interpres, *Doctorem* Epicuri vocat, suspicarerque, illum esse posse, quem Diogeni Cynico Solinus facit contemporaneum; nisi opinio illi attributa, de mundorum infinitate, deque Atomis, argueret Metrodorum, Chium, Democriti discipulum, quem Epicurus non voce doctorem, sed scripto ductorem habere potuerit.

non posse suav. vivi sec. Epic. p. 1100. A.

Isag. in Arphaen. Ecl. Phys. cap. 1.

Quomodo etiam accipiendum, quod Lucianus iocatur, fuisse Epicurum Democriti discipulum, dum discipulum etiam facit Aristippi, ob opinionem de voluptate, quam tamen fuisse diversam utrique probatam, suo loco constabit. Ut cunque se res habeat, ex iis, quæ deducta sunt, Cicero, Plutarchus, Empiricus, alii, scribunt Epicurum solitum gloriari, quod magistrum habuerit nullum, sed αὐτοδίδακτος existens, suopte ingenio, ac industria Philosophus evaserit. Etsi vero illi videantur non sine probro id memorare: facile tamen concedi debet, illum marte suo adinuenisse plurima; cum & hæc ipsa illi fuerit extrema consolatio, & tot libros conscripserit, propriis solum dictis refertos, ut referemus paulo post. Certe Athenæus egregiam illius sententiam epigrammate complexus, sic concludit: quasi Epicurus, non aliunde edoctus illam, quam a Musis, aut Apolline fuerit. Quo etiam Lucretianæ illæ commendationes faciunt:

locis citatis.

ap. Laert. S. 13.

*Pectore parta suo, quæsitaque præmia liquit.* Lib. V. 3.

Et,

Virtutem

Lib. I. v. 72. *Virtutem irritat animi; confringere ut arcta*
*Naturæ primus portarum claustra cupiret,*

& consimiles aliæ referendæ. Hic noto, si quis requisierit, quemnam saltem ex antiquis Epicurus magni fecerit, respondere Laertium, (Laert. X. 12.) illum, Diocle autore, fuisse maxime amplexatum Anaxagoram, etsi in aliquibus ipsi contradixerit, ) atque etiam Archelaum, qui fuerat Socratis magister. Dicetur postea de Democrito: adjicio solum, Epicurum, cum admiraretur Pyrrhonis consuetudinem, quæsivisse de illo (Lib. IX. 8. 64.) assidue ex ipsius auditore Nausiphane, ut Laertius habet in Pyrrhonis vita.

## CAP. V.

*Quando, & qua occasione ad Philosophiam se contulerit, sectamque instituerit.*

(In Epic.) Scriptum porro Suidas reliquit, cœpisse illum philosophiæ dare operam anno ætatis XII. Idem etiam alii, referente (Laert. X. 14.) Laertio, scripserunt, dum vitam ejus scriberent. Verum ipsemet Epicurus, apud eundem Laer- (Laert. X. 2.) tium testis est, non attigisse se philosophiam, nisi anno XIV. ἐφάψασθαί τε φιλοσοφίας ἔτη γεγονὼς (Ibid.) τέτταρα καὶ δέκα. Tradidit vero Hermippus, ex eodem Laertio, illum, cum forte incidisset in libros Democriti, ad Philosophiam se applicuisse. Sed & scribit Laertius, ex Apollodoro Epicureo, in *primo de vita Epicuri*, ad philosophiam illum accessisse, Sophistas damnantem, & Grammaticos, postquam ipsi non poterant, quid apud Hesiodum *Chaos* diceretur, interpretari. Verum, (L. II adv. Phys. 8. 183.) quia Sextus Empiricus hanc occasionem philosophandi luculentius edisserit, non pigebit ipsius verba in hunc locum transcribere: Itaque, postquam proposuit difficultatem circa illa Hesiodi carmina:

*Exortum primum Chaos est, dein pectore lato*
*Tellus, cunctorum sedes,*

subjicit: *Et hanc nonnulli causam fuisse Epicuro dicunt, subitanei ad philosophandum instinctus. Prorsus enim adolescentulus cum esset, rogavit Grammaticum, illud sibi prælegentem: Exortum primum Chaos est*, ἐκ τίνος τὸ χάος ἐγένετο, εἴπερ πρῶτον ἐγένετο; *ex quonam Chaos exortum esset, siquidem primum exortum erat? Dicente illo, talia docere, non esse sui muneris, sed illorum esse, qui vocarentur Philosophi*, τοίνυν, ἔφησεν ὁ Ἐπίκουρος, ἐπ' ἐκείνους μοι βαδιστέον, εἴπερ αὐτοὶ τὴν τῶν ὄντων ἀλήθειαν ἴσασιν, *igitur, inquit Epicurus, ad illos mihi accedendum est, quando ipsi sunt, qui rerum veritatem perspectam habent*. Simile quidpiam narrat Agellius si- (Lib. XX. c. 9.) bi contigisse, dum rogatus Grammaticus, quid verba hæc Enniana essent, EX JURE MANU CONSERTUM: *Aut erras, inquit, adolescens, aut ludis. Rem enim doceo Grammaticam, non Jus respondeo*. Sed ad Epicurum. Omitto hoc primum, quod nonnulli dicunt, fuisse illum ludi *magistrum*, γραμματοδιδάσκαλον, & priusquam quidem se ad Philosophiam conferret, ex Hermippo apud Laertium. Prætereo etiam (Ibi. c. 4.)

quod

quod infesti erga illum Stoici, apud eundem, ipsi exprobrarunt, exigua quadam, & invidiosa mercede litteras cum patre docuisse, cum matre vero *καθαρμὸς* *preculas lustrales* legisse, circumeundo aediculas. Hoc observo: postquam philosophiam attigit, cœpisse illum scholæ præesse annos natum XXXII. ut Laertius memorat; idque primum Mitylenæ, ac deinde Lampsaci: ut vel ex iis, quæ sunt ex Suida relata, intelligitur. Quanquam ex Colophone usque discipulos coegerat, ut idem quoque Laertius habet.

X. 15.

Ibid.

Verum postquam est Athenas reversus anno seu XXXVI. seu XXXVII. primum quidem *ad aliquod tempus in congressu cum ceteris*, inquit Laertius, *est philosophatus: at privatim deinde sectam a se vocatam constituit*. Videlicet Democriti admiratus primum doctrinam, Democriteum se professus est, quemadmodum Plutarchus refert: quia vero plurima deinceps vel immutavit, vel de suo adjecit, idcirco is fuit, a quo sectatores *Epicurei* nominarentur.

X. 2.

L. I. adv. Col. p. 1108. E.

## CAP. VI.

### *Ubi Scholam habuerit.*

CEterum, cum alii principes sectarum quædam Athenis loca delegissent, ut Academiam, Lyceum, & alia; coemit ipse hortum peramœnum, comparavitque pretio minarum LXXX. (seu aureorum solatorum, quingentorum septuaginta trium, quales nobis usui sunt, ibique cum suis familiaribus, discipulisque, & vixit, & philosophatus est. Ita Laertius, præ ceteris, ex citato Apollodoro. Scribit autem Plinius *Epicurum primum hoc instituisse Athenis, agrorum, villarumque delicias, nomine hortorum in ipsa urbe possidere; cum usque ad eum mos non fuisset, in oppidis habitari rura*. Ex quo fit ansa suspicandi, hunc locum fuisse *τὸ χωρίον* *eam regiunculam*, quam Pausanias adhuc temporibus suis appellatam memorat *hortos*; adiiciens, in ea extitisse statuam Veneris, Alcamenis opus, inter cetera, quæ Athenis celebrarentur, spectatu dignum, (quod vel ex Luciano colligere licet,) ipsique adjacuisse templum Veneris, cum statua Veneris cœlestis. Taceo exinde hortum persæpe multitudinis numero effertum: ut videre licet apud Ciceronem, Juvenalem, & alios. Interdum vero etiam cum diminutione, ut, cum a Cicerone appellantur *hortuli*. Quomodocunque autem usurpetur, accipi solet pro ipsa secta, seu doctrina, quæ ab Epicuro, sectatoribusque in illo tradita est. Unde & Epicurei dicuntur esse, exempli gratia, ab Empirico, *οἱ ἀπὸ τῶν κήπων*, *ex Hortis Philosophi*: (sicuti *οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς* intelligunt Stoici, (& nominatim *Appollodorus*, quod *princeps hortorum* suo tempore haberetur, *κηποτύραννος* dictus est, ut a Laertio perhibetur. Observa obiter, emendari hic posse distichon illud Petroniani Epigrammatis ultimum, quod ex antiqua editione in hunc modum legitur:

Laert. X. 10.

Plin. xix. 4.

Lib. I. seu in Attic. xix. p. 44.

Lucian. in Imag. T. II. p. 5. B.

L. II. ad Attic. ep. 24. Satyr. 14. Cicer. de Nat. Deor. I. 43.

Sext. adv. Math. p. 110.

Laert. X. 25.

Petron. cap. 132.

*Ipse*

*Ipse pater veri doctus Epicurus in arte*
*Jussit, & hoc vitam dixit habere* τέλος.

Id sic eruditos exercet, ut alii legendum censeant, *doctus Epicurus in arce*: alii, *doctus Epicurus amare*, alii, *doctos Epicurus amare jussit, & hanc vitam dixit habere Deos*. Enimvero, quod spectat quidem ad carmen Pentametrum, nihil immutandum videtur; cum celebre sit Epicuri dogma, τὴν ἡδονὴν εἶναι τέλος τοῦ μακαρίως ζῆν, *esse voluptatem beatæ vitæ finem*; & dici aliunde non possit, quis unquam, etiam obtrectatorum, Epicuro tribuerit; ut existimarit, esse apud Deos illam seu vitam, seu voluptatem, qua de illic agitur. Quod attinet vero ad Hexametrum, planum videtur sic legere:

*Ipse pater veri doctis Epicurus in hortis*,

quippe immutatio non magna, *doctis* pro *doctus*, *hortis* pro *arte*; & res aliunde non modo quadrat cum eo, quod in hortis Epicurus docuit; sed etiam pene indicatur illo Propertii districho:

*Illic aut studiis animum emendare Platonis*
*Incipiam; aut hortis, docte Epicure, tuis.*

Eleg. 21. ad Cynt.

quippe *doctis hortis* pro *docto Epicuro* metonymicῶς appellatis; eo modo, quo idem Propertius Elegiam sic inchoat:

*Magnum iter ad doctas proficisci cogar Athenas.*

Præter porro hortum, hortosve, qui cum adjunctis ædibus civitati adjacebant, fuit Epicuro domus, ad quam aliquando cum discipulis, amicisque, diverteret, sita in Melite, quod oppidum fuit Cecropiæ tribus, ex Suida; inhabitatum a Philæo, maiorum Epicuri uno, ut supra memoravimus, habensque celeberrimum, ex Phavorino, Herculis templum. (Stephanus certe ut insulam, sic aliam ab hac intellexisse urbem videtur, cum & tribus Oeneidis, & Carthaginiensium coloniam descripsit.) In hanc Epicurus interdum cum discipulis secedebat; ipsamque deinde testamento suo reliquit sectatoribus, ut recitabimus postea.

In Laert.

In Lexic. in de urb.

## CAP. VII.

*Ut amicis, & illis quidem quam numerosis, convixerit.*

AD Epicurum ipsum, ut redeam, is, ex quo Athenas rediit, Archonte Anaxicrate, solum bis, aut ter in Joniam ad invisendum amicos excurrit; ac reliquam porro ætatem, eamque cœlibem exegit Athenis, neque patriam unquam deserere voluit, quantumvis ea temporibus difficillimis urgeretur, uti a Laertio notatum est. Difficillima autem illa tempora videntur potissimum fuisse, quibus Demetrius obsedit Athenas, circa annum Epicuri XLIV. quanta tum fames civitatem oppresserit, describit Plutarchus. Memoria vero dignum est, quod, enarrata digladiatione circa præoccupandum murem, qui fuerat mortuus e tecto delapsus, inter patrem quendam, & ipsius filium, subdit: Ferunt etiam Epicurum Philosophum familiares suos sustentasse, partitum cum ipsis ad nume-

Lib. X. 10.

in Demetr. p. 904. E.

Ib. p. 905. A.

numerum fabas. Vixit itaque Epicurus reliquo tempore Athenis in tot amicorum, discipulorumque consuetudine, & institutione, ut civitates integræ iis capiendis impares essent: quæ sunt verba Laertii. (Laert. X, 9.) Scilicet non ex Græcia modo, sed undique, ut ille habet ex Apollodoro, ad illum confluebant, simulque cum illo in horto vivebant. Intellige vero præsertim ex Asia, ac nominatim Lampsaco, atque etiam ex Ægypto, ut vel ex uno Plutarchi loco facile est colligere. (de occ. viv. p. 1129. F.) De victus continentia, frugalitateque inferius dicendum. De convictu cum amicis notari id potest, quod ex Diocle apud Laertium, aliisque, intelligitur; (X, 11.) Epicurum nempe, non Pythagoram, amicorum omnia communia dicentem, bona in commune conferri voluisse; quippe id esse diffidentium, atque idcirco non amicorum; sed ab uno quoque, si quid opus foret, hilariter suppeditari. Innotescet res ex infra dicendis: Reticendus hic interim non est egregius Ciceronis locus: (Lib. I. de fin. c. 20.) *Neque vero*, inquit, *Epicurus amicitias oratione solum, sed multo magis vita, & factis, & moribus comprobavit. Quod quam magnum sit, ficta veterum fabulæ declarant; in quibus tam multis, tamque variis ab ultima antiquitate repetitis, tria vix amicorum paria reperiuntur, ut ad Orestem pervenias, profectus a Theseo. At vero Epicurus una in domo, & ea quidem angusta, quam magnos, quantaque amoris conspiratione consentientes, tenuit amicorum greges? quod fit etiam nunc ab Epicureis*. Hæc Cicero. Addo cum inter varios amicos Polystratus etiam a Laertio (Laert. X, 25.) commemoretur, atque is ille esse videatur, de quo Valerius Maximus, simulque de Hippoclide, altero Epicureo, mirabile aliquid narrat, idcirco verba Valerii merito hic attextum iri; ac præsertim, cum exinde illustrari valeat, quod referetur postea ex Epicuri testamento, de communicatis sectatorum bonis. Ea sunt: *Hoc loco apte referantur Polystratus, & Hippoclides, Philosophi, eodem die* (Lib. c. X.) *nati, ejusdem Præceptoris, Epicuri sectam secuti, patrimonii etiam possidendi, alendæque scholæ communione conjuncti, eodemque momento temporis ultima senectute extincti. Tam æqualem fortunæ pariter, atque amicitiæ societatem, quis non ipsius cœlestis concordiæ sinu genitam, nutritam, atque finitam putet?* Sic ille.

## CAP. VII.

*Qui præcipui illi amici, sive familiares, discipulique extiterint.*

Verum ut elenchum hic interseramus eorum, qui præcipui illius amici, sive familiares, discipulique, sunt habiti, prætermittere inprimis non decet tres illos Epicuri fratres, quorum initio meminimus, Neoclem, Chæredemum, & Aristobulum. Illi nempe, ejus hortatu, philosophati cum ipso sunt, ex Philodemo apud Laertium. (Lib. X. c. 1.) Addit Plutarchus, arreptam ab ipsis, ut a numine percitis (συνενθουσιώντων,) fratris Philosophiam, cum videlicet a teneris annis persuasum haberent, ac profiterentur, extitisse neminem Epicuro sapientiorem. (Lib. de amore frat. p. 487. E.) Celeberrimus

rimus porro trium fuit *Neocles*. Is, cum a puero prædicaret fratrem suum mortalium sapientissimum, adjiciebat, quasi rem miram, matrem suam tot, tantasque continuisse atomos, ex quarum congressu sapiens gigneretur; ut apud eundem Plutarchum est *. Hinc, quia *Neocles* non suam, sed fratris Philosophiam amplexatus est, nescio, quorsum aliqui dicant, sectam fraternæ similem, fuisse a *Neocle* introductam: Nisi forte niti videntur loco illo Suidæ, quo dicitur *Neocles* scripsisse de sua secta: qui tamen non videat intelligi posse, scripsisse illum de secta, quam profiteretur, etsi inductam ab alio; & maxime, cum de hac *Neoclidarum* secta altum ubique silentium.

* non poss. suav. vivi sec. Epic. p. 1100 A. ut Genebr. lib. II. Chronol. in Epic.

Nota obiter dictum illud λάθε βιώσας, *delitesce vivens*, seu *occultus vive*, quod a Plutarcho (*a*) impugnatur, estque relatum inter adagia (*b*), istius esse *Neoclis*, uti Suidas (*c*) citatus docet.

a Lib. de eo. b Erasm. Ch. I. II. Cent. 10. c in Neocl.

Tribus fratribus subjiciendi sunt tres ii familiares, quos ex Epicuri contubernio magnos viros prodiisse, apud Senecam legitur.

epist. 6.

*Metrodorus* primus occurrit, ipse enim pene alter Epicurus fuit, ut Cicero (*a*) loquitur. Lampsacenus autem is fuit, ut Strabo (*b*) aperte declarat. Etsi enim Laertius (*c*) videatur Atheniensem dicere, locus est tamen valde mendosus, cum præsertim constet, Atheniensem non fuisse, ex illa Ciceronis antithesi: *Qui beatior Epicurus, quod in patria, quam quod Athenis Metrodorus?* Quia scilicet non erant Athenæ *Metrodori* patria. Laertii locus ita habet: Μαθητὰς δὲ ἔσχε (ὁ Ἐπίκουρος) πολλοὺς μὲν, σφόδρα δὲ ἐλλογίμους Μητρόδωρον Ἀθηναῖον, καὶ Τιμοκράτην, καὶ Σάνδην Λαμψακηνὸν, ὃς, ἀφ' οὗ τὸν ἄνδρα ἔγνω, οὐκ ἀπέστη, &c. id est: *Discipulos multos ille quidem, admodum vero illustres, habuit Metrodorum Atheniensem, & Timocratem, & Sanden, Lampsacenum, qui, ex quo agnovit virum, ab eo non discessit*, &c. Crediderim, quod me attinet, voces illas, Ἀθηναῖον, καὶ Τιμοκράτην, καὶ Σάνδην, expungendas eo loco esse. Quippe eas si detraxeris, reliqua optime cohærent; si admiseris, prorsus dissonant, *Metrodorus* scilicet fuit, quem vere dicas Λαμψακηνὸν, & cui illa omnia, quæ sequuntur, conveniant, non vero *Sandes*; cujus falsum est (præter cetera) Epicurum in testamento, de quo postea, meminisse. Et quamvis Casaubonus putet, Ἀθηναῖον esse posse nomen viri proprium; mirum tamen, quomodo nusquam alias, tam de *Athenæo*, quam de *Sande*, ut Epicureis, aliquid audiatur, cum hic tamen Laertius recenseat ἐλλογίμους μαθητάς. His certe detractis, tres iidem, puta *Metrodorus*, *Polyænus*, *Hermachus*, continua serie describuntur, quos Senecam, ut ἐλλογίμους conjunxisse jam diximus. Quod spectat ad *Timocratem*, ut illius frater postea memoratur, ac videtur proinde eo loci præter rem interpositus. Quomodo autem voces illæ in textum irrepserint, causam suspicor, quod fortassis librarius quispiam adnotasset in margine ea, quæ in

a L. II. de fin c. 28. b l. XIII. p. 590. c Laert. S. 22. Cic. l. c. loc. cit. in not. ad Laert. l. c.

textu haberentur, haberi etiam apud *Athenæum*, (autorem Dipnosophistarum) is enim habet aliqua, & apud *Timocratem*, is enim etiam a Laertio citatur, & apud *Sanden* nescio quem, (forte Suidam, aut alium.) Perspectum vero est, quam multa marginibus apposita in textum olim inserta fuerint, ex librariorum oscitantia.

*Metrodorus* ergo, patria Lampsacenus (aliusque, ut constat, ab illo Anaxagoræ familiari, cujus Laertius quoque meminit,) natus videtur, Epicuro annum agente duodecimum. Siquidem cum, ex Laertio, mortuus fuerit anno ætatis LIII. (cohærentia enim verborum, & sensus efficit, ut legendum censeam Μητρόδωρον ἄγοντα) eoque septimo ante obitum Epicuri, qui attigit annum septuagesimum secundum, clarum est, annum ejus natalem debuisse in duodecimum Epicuri incidere. Ex quo porro tempore *Metrodorus* Epicurum novit, (potuit hoc autem contingere, cum ageret annum secundum & vicesimum, Epicuro scilicet Lampsaci degente) nunquam ab eo, (quod ex Laertio coeperamus dicere) discessit, nisi sex menses, quibus cum domi abfuisset, ad Epicurum reversus est. Is & sororem *Batidem* Idomeneo collocavit, & *Leontium* concubinam habuit. Liberos suscepit, quos Epicurus in testamento, & in ea epistola, quam scripsit moriens, commendavit, ac nominatim filium, Epicurum nominatum. Vir omnino bonus, & adversus mole-

Laert. II. §. 11.

L. X. §. 23.

L. X. §. 22.

L. X. §. 21.

L. X. §. 19.

stias, mortemque ipsam intrepidus, ut ipse quoque Epicurus testatus est apud Laertium. Intercutis morbo laboravit; scribit enim Cornelius Celsus, illum, cum hoc morbo tentaretur, neque æquo animo ferret necessariam sitim, ubi diu abstinuerat, bibere solitum, ac deinde evomere. an hoc morbo, an alio interierit, non constat.

Quos libros ipsius Laertius recenset, ejusmodi sunt: *Adversus medicos*, tres. *De sensibus ad Timocratem*. *De magnanimitate*. *De Epicuri infirmitate*. *Adversus Dialecticos*. *Adversus Sophistas*, IX. *De itinere ad sapientiam*. *De mutatione*. *De divitiis*. *Adversus Democritum*. *De Nobilitate*. Citat præterea Plutarchus libros de Philosophia (*a*); de Poetis (*b*): adversus Timarchum (*c*). Citat & Clemens Alexandrinus (*d*) librum, *Quod quæ causa est ex nobis ad felicitatem, major sit ea, quæ ex rebus est*. Sed de *Metrodoro* satis.

Ex aliis duobus alter fuit *Polyænus*, Athenodori filius, ipse quoque Lampsacenus. Is fuit magnus Mathematicus, ut Ciceronis verbis utar: &, ut paucis multa complectar, modestus, & amabilis; quod apud Laertium Philodemus habet. Alter fuit *Hermachus*, Agemarchi filius, Mitylenæus. Paupere patre is natus est; ab initio Rhetoricæ studuit, ac deineps in Philosophia sic se idoneum præstitit, ut ipsum Epicurus moriens scholæ suæ præfecerit. Apud Lysiam mortuus est. Multa illius

L. X. §. 23

Lib. III. c. ult.

*a* adv. Col p. 1108. F. & 1127. B

*b* Quod non possit suav. vivi sec. Epic. p. 1094. B.

*c* Plut. adv. Colot. pag. 1117. A.

*d* Clem. Al. Strom. pag. 417. C

Lib. IV. Acad. c. 33.

Laert. X. 24.

Id. X. 25.

Id. X. 19. & 20.

mentio in Epicuri testamento. Id. X. 25. Quos ejus libros memorat, pulcherrimosque dicit Laertius, hi sunt: *Epistolica de Empedocle*, XXII. *De Disciplinis* (bene enim Casaubonus legit non μαθητῶν, sed μαθημάτων) libri duo. *Adversus Platonem*. *Adversus Aristotelem*.

Lib. I. adv. Col. init. E. Attexendi istis sunt *Leonteus*, Lampsacenus, quem unum ex summis Epicuri discipulis Plutarchus appellat, adjiciens, hunc ipsum esse, qui ad Lycophronem scripserit, honorem haberi Democrito ab Epicuro. Rursum *Colotes* & *Idomeneus*, ipsi quoque Lampsaceni. Prioris facienda sæpius erit mentio, occasione potissimum duorum illorum librorum, quos adversus ipsum Plutarchus composuit. Laert. VI. 102. Scribit Laertius alicubi, discipulum illius fuisse *Menedemum*, Cynicum, nisi forte alius *Colotes*, Lampsacenus fuit). Lib. I. in Somn. c. 2. Ejusdemque est locus ille, quo apud Macrobium docet, non oportuisse Eri fabulam a Platone *confingi*, *quoniam nullum figmenti genus veri professoribus conveniret*. epist. 21. Posteriorem celebrem reddere Epicurus voluit suis litteris, uti reipsa reddidit, quemadmodum Seneca demonstrat, *Exemplum enim*, inquit, *Epicuri referam: cum Idomeneo scriberet, & illum a vita speciosa ad fidelem, stabilemque gloriam revocaret, rigidæ tunc potentiæ ministrum, & magna tractantem; si gloria*, *inquit*, *tangeris, notiorem te epistola mea facient, quam omnia ista, quæ colis, & propter quæ coleris. Quis Idomenea nosset, nisi Epicurus illum suis litteris incidisset? Omnes illos* (a) *magistratus, & Satrapas, & Regem ipsum, ex quo Idomenei titulus petebatur, oblivio alta suppressit*. Hæc ille. *Atque hi quidem*, inquit Laertius, *illustres discipuli sunt*. (a Megistanas.)

Adnumerari tamen iis possunt loc. cit. cum alii, tum maxime duo ex Valerio jam memorati, *Polystratus* & *Hippoclides*; potissimum vero, cum Laertius connumeret Laert. X. 11. *Polystratum*, qui *Hermacho* postea successit: nisi tamen *Polystratus*, qui *Hippoclidi* copulatur, censeri debet alius a successore Hermachi.

Subjungi posset *Timocrates*, Laert. X. 6. Lampsacenus, *Metrodori* frater; sed is videtur defecisse, quod reprehensiones fraternas non ferret, ut referendum est postea. Subjiciatur itaque potius servus Laert. X. 3. 10. Epicuri, *Mus*, quem inter philosophantes clarissimum, ἐνδοξότατον, evasisse Laertius testatur, neque Agellius, & Macrobius Agell. L. 1. c. 12. Macrob. L. 1. Saturn. c. 11. oblivioni dant inter eos, qui Philosophi ex servis non incelebres evaserunt.

Ut præteream vero *Appellem*, quem alicubi Plutarchus subsannat, tres hic dicendæ mulieres sunt, ex iis, quæ sunt cum Epicuro philosophatæ. Athen. L. 13. p. 5. Una est *Leontium*, quam Philosophiæ sub Epicuro operam dedisse, tum Athenæus* recitat, tum ex eo intelligitur, quod Cicerone referente, Cicer. de Nat. Deor. 1. 33. librum scripserit *adversus Theophrastum*, & sermone quidem scito, Atticoque, ut rursus occurret dicendum inferius. Altera est *Themista*,

* Id quidem Athenæus non dicit: sed tantum fuisse Hermesianactis amicam.

*[illegible]a* **, Zoili filia, Lampſacena, & memorati Leontei uxor, de qua etiam, præter ea, quæ attingenda inferius ſunt, Clemens Alexandrinus aperte teſtatur. Tertia *Philænis*, quam etiam aliqua ſcripſiſſe, Athenæus indicat, ſimul innuens, libros obſcœnos, qui illi tribuerentur, ſuppoſitos fuiſſe a Polycrate Sophiſta, ut feminam calumniaretur.

Lib. IV. Strom. p. 522. D. Athen. L. VIII. p. 335. C.

Addjiciantur jam *Herodotus*, ille ſcilicet, ad quem Epicurus *epitomen parvam Phyſices*, quæ eſt apud Laertium, ſcripſit, & qui inter cetera, ex eodem Laertio, librum edidit, de pubertate Epicuri. *Pythocles*, ad quem Epicurus ſcripſit, *de rebus ſublimibus* *, quæ apud Laertium ſuperſunt, & cujus, cum eſſet annos duodeviginti natus, indolem in Græcia non haberi parem, Epicurus cenſuit, ut habet Plutarchus. *Menœceus*, ad quem Epicurus ſcripſit epiſtolam illam de rebus, ad mores pertinentibus, quæ eſt etiam apud Laertium, & cujus initium refertur a Clemente Alexandrino. *Timocrates*, Demetrii filius, Potamius, ſimulque *Amynomachus*, Philocratis filius, Bathides, quos ambos Epicurus fecit teſtamenti ſui curatores. *Nicanor*, cujus ſtudium Epicurus mandat prædictis curatoribus. *Eurydicus*, unus ex iis, ad quos, ex Laertio, epiſtolas miſit. *Doſitheus*, ejuſque filii *Pyrſon*, & *Hegeſianax*, ad quos conſolatoriam ob parentem mortuum, Epicurus ſcripſit, ** ut apud Plutarchum eſt. Pretereo *Polymedem*, *Antidorum*, & alios, poſtea, cum de libris, dicendos.

Laert. X. 35. Laert. X. 4. Laert. X. 84. adv. Colot. p. 1124. C. Laert. X. 121. Clem. Strom. IV. p. 501. C. Laert. X. 16. 17. ib. S. 20. Laert. X. 28.



## C A P. IX.

*Quam multa conſcripſerit.*

NEc vero Epicurus viva modo voce diſcipulos erudiendo, tempus contrivit, ſed & plurimum operæ in variis libris conſcribendis poſuit. Ut facta autem comparatione ad ceteros Philoſophos, quantum in ea re deſudarit, intelligas, unicum juvat audire Laertium. Is nimirum in præfatione, dum philoſophos comparat: *Multa*, inquit, *Zeno ſcripſit, plura Xenophanes, plura Democritus, plura Ariſtoteles, plura Epicurus, plura Chryſippus*. Quo loco vides Epicurum multitudine ſcriptorum uni Chryſippo concedere. Ne vero te lateat, ut etiam Chryſippum cenſeri poſſit ſuperaviſſe, citat alio loco Laertius Apollodorum, Athenienſem, *Qui volens*, inquit, *oſtendere ea, quæ eſſent ab Epicuro proprio marte ſcripta; neque aliunde appoſita, Chryſippi libros longe ſuperare, ita ad verbum loquitur: ſi quis enim tollat ex Chryſippi libris, quæ aliena attexta ſunt, inanis ipſi charta relinquetur*. Hoc autem ne mirum videatur, docet alias idem Laertius, Chryſippum, cum æmularetur Epicurum in multis ſcribendis, *paraſitum* librorum ejus ideo appellatum

L. I. 16. Lib. VIII. S. 181. X. 26.

 a Car.

** Ita Laertio vocatur X. 5. Clementi Alex. *Themiſto*.

* Imo & amatoria, Laert. X. 5. & dehortatoria a ſtudiis, ibid. S. 6. & Plutarch. non ſuav. vivi ſec. Epic. p. 1094. E.

** Plutarch. non poſſe ſuav. vivi ſec. Epic. p. 1101. ubi tamen non de patre mortuo ſcripta hæc conſolatio dicitur, ſed ob Hegeſianacta mortuum ad patrem Doſitheum & fratrem Pyrſonem.

a Carneade; quod *si Epicurus quidpiam scriberet*, (legendum enim γράψαι, non γράψας,) *scriberet tantundem ille affectaret. Quare illum, & sæpe eadem, & quicquid occurrebat, scripsisse, idque proinde inemendatum præ festinatione intrusisse, ac tot inducisse testimonia, ut iis solis libri complerentur, quemadmodum etiam invenire tum apud Zenonem, tum apud Aristotelem licet*. Et hæc de Chrysippo Laertius; non idem vero de Epicuro. Refert enim, ejus Cylindros (*volumina*, nempe ἀπὸ τοῦ κυλίνδειν, seu *voluendo* dicta) ad trecentos extitisse, *in quibus*, inquit, *nullum alienum testimonium exscriptum extat; sed ipsamet voces Epicuri sunt*. Quæ memoro, ut videas, cum Epicurus scripserit tam multa, πολυγραφώτατος, quod ille ait, καὶ πλήθει βιβλίων πάντας ὑπερβαλλόμενος, adeo, ut etiam Origenes, temeritatem Celsi coarguens, ac veluti rem quampiam factu impossibilem judicans, id objecerit: *Nemo nostrum dicit se nosse, quæ Epicuri sunt omnia*; videas, inquam, divitem venam, qua ille scaturierit, simulque, quæ res maxime illum habuerit occupatum.

Ibid.

Laer. ib.

Lib. I. adv. Cels.

## CAP. X.

### *Qui libri illius speciatim ab autoribus memorentur.*

Operæ pretium porro est, texere hoc loco quasi indicem librorum, non profecto omnium, qui conscripti ab illo sunt, sed eorum, quorum vel tituli apud Autores occurrerunt: tituli, inquam, nam libri ipsi temporum injuria sic interciderunt, ut præter paucula compendia apud Laertium asservata, præterque fragmenta hic, illic apud varios varie respersa, nihil ex ipsis superstes sit; saltem quod hucusque nobis innotuerit.

Ut primum ergo recenseamus, quos optimos Laertius ait, en qua illi serie habeantur.

Περὶ φύσεως λζ´ *De Natura* XXXVI. Laert. X.
Ii citantur aliquando simpliciter, περὶ φύσεως, *de natura*; aliquando cum adjuncto libri ordine, ut, cum inferius ab eodem Laertio citantur libri I. XI. XII. XIV. XV. Facit Galenus & tituli, & multitudinis librorum mentionem.

27. & 10. 73. 74. 90. 96. 119. comment. in 1. Lib. Hipp. de nat. hum. Laert. X. 27. Lib. II. c. I Laert. X. 27.

Περὶ ἀτόμων, καὶ κενοῦ, *de Atomis, & inani*. Ita citari solet hic liber; sed & Cleomedes videtur illum indicare sub nomine, *de Rerum omnium principiis*, ἐν ταῖς τῶν ὅλων ἀρχαῖς.

Περὶ ἔρωτος, *de Amore*.

Ἐπιτομὴ τῶν πρὸς τοὺς φυσικοὺς, *compendium eorum, quæ ad Physicos*. Laert. X. 27.
Duplex autem fuit hæc epitome, μεγάλη, καὶ μικρὰ, *magna, & parva*. Siquidem utraque citatur deinceps a Laertio, & parva quidem dicitur, quæ ad Herodotum scripta est. Id. X. 85. 135.

Πρὸς τοὺς Μεγαρικοὺς διαπορίαι, *adversus Megaricos* (seu appellatos Dialecticos) *addubitationes*. Videntur autem hæ dubitationes attigisse maxime argumenta quædam moralia, ut, circa justitiam, circa connubia, &c. cum hic præsertim liber videatur, quem interdum citant & Laertius, & Plutarchus τὰς διαπορίας, sine adjuncto πρὸς τοὺς Μεγαρικοὺς. Id. X. 27. L. I. adv. Col.

Κύριαι δόξαι, *ratæ sententiæ*, vel, ut Cicero vertit (a), *maxime ratæ: quia*, inquit, *gravissimæ sint ad beate vivendum, breviter enunciata sententiæ*: appellat alibi (b) *selectas, brevesque sententias*: appellare Sextus (c) videtur λέξεις ῥητὰς; *dictiones memora*.

a Lib. II. de fin. c. 7. b L. I. de Nat. Deor. c. 30. c L. I. adv. Phys. p. 110. D.

[d Laert. X, 120.] [e In Pseudom. p. 894.] [f Lib. IV. Acad. 44.] *morabiles*. Ipsa & Laertius (*d*) ad calcem apposuit, & Lucianus (*e*) alicubi perinde commendavit, ac Cicero (*f*). Crantoris librum *, qui est quidem, *non magnus*, in-quit, *verum aureolus*; & , *ut Tu-beroni Panætius præcipit, ad ver-bum ediscendus libellus*. Secus nimi-rum sensit, quam Suidas, qui has sententias appellavit κακὰ γνωρίσματα, *scelesta insignia*.

Περὶ αἱρέσεων, *de electionibus*. Ita [i Laert. X, 27. 136.] vertendum potius duco, quam *de Sectis*: quod in hoc libro Epicu-rus prosecutus non videatur se-ctarum historiam, sed moralem institutionem, quæ circa dele-ctum rerum occupetur, ut La-ertius quoque indicat, sub fi-nem epistolæ ad Menœceum. Ne memorem, quod idem docet, ge-nus Ethicum totum esse περὶ αἱ-ρέσεως, καὶ φυγῆς, *de prosecutione seu electione, & fuga*. Ex quo ef-ficitur, ut citatum vulgo, & con-sequenter, librum,

[Laert. X, 27.] Περὶ φυτῶν, *de plantis* censuerim potius inscribendum, περὶ φευκτῶν, *de fugiendis*; tum, ob titulorum cohærentiam; tum quia Epicu-rus pene totus in moribus, ar-gumenta specialia ex Physica vix attigit, nisi ea conducerent ad hominum animos a vanis terro-ribus eximendos, cujusmodi il-lud *de plantis* non fuit. Quin etiam, quia in Manuscripto hic titulus cum superiore copulatur vocula καὶ, coniicere licet, inscri-ptionem fuisse περὶ αἱρέσεων, καὶ φυ-γῶν, vel etiam sub uno solum ti-tulo περὶ αἱρέσεως, καὶ φυγῶν, *de electione, & fuga*, quatenus fieri potuit inscriptio etiam numero multitudinis, ob id, quod post-modum habetur, *ex voluptate, & dolore diiudicari* τὰς αἱρέσεις καὶ φυγάς, *electiones & fugas, seu pro-secutiones, & declinationes*. Nisi forte magis arrideat inscriptio περὶ αἱρετῶν καὶ φευκτῶν, *de eligendis & fugiendis*.

Περὶ τέλους, *de fine* (*a*). Ita hic li-ber citatur passim, & nominatim a Plutarcho (*b*); nec vero alium Ci-cero (*c*) videtur intelligere, etsi li-brum *de finibus bonorum & malorum* citat, (itemque *de summo bono*. (*d*)) [a Laert. X, 6. 27. 130.] [b non posse suav. vivi sec. Epic. p. 1091.] [c Cic. de fin. l. 2.] [d Tusc. II 18.]

Περὶ κριτηρίου, ἢ κανών, *de judicio, seu regula* (*e*): vel, ut Cicero (*f*) ipse vertit, *de regula, & judicio*. Porro, si pro iudicio *judicatorium* verteris, vim nominis exprimes magis. [e Laert. X, 27. 14. 30. 31.] [f L. I de Nat. Deor. c. 16.]

Χαιρέδημος, ἢ περὶ θεῶν, *Cheredemus, seu de diis*. (*g*) Hic est unus ex iis libris, quos Epicurus inscri-psit, seu fratrum, seu amicorum nominibus, ut ne illorum quidem mortuorum nomina ignorarentur: quod observatum a Plutar-cho (*h*) est. [Idem Athen. L. III p. 103.] [g Laert. X, 27.] [h Lib. de oc. viv. p. 1129. A.]

Περὶ ὁσιότητος, ἢ Ἡγησιάναξ, *de san-ctitate, seu Hegesianax*. (*i*) Hic fortassis est, qui apud Plutarchum, (*K*) legitur *Hegesianax*, is scilicet de cujus morte ab Epicuro ad pa-rentes scriptum infra notabimus. Nisi forte velis esse illum, qui hi-storias, & Troica apud Athenæum (*l*) scripsit: quippe qui fuerit A-lexandrinus, cum Epicurus etiam amicos ex Ægypto habuerit. [i Laert. X, 27.] [K Non posse suav. vivi sec. Epic. p. 1101.] [l Athen. Deipn. III p. 80. E. IX p. 393. D]

Περὶ βίων δ'. *De vitis*, IV. (*m*) perinde est, ac si inscriptio foret, *de vita & moribus*. Neque enim Epi-curus complexus his libris vide- [m Laert. X, 27. 119. 136.]



* Nescio, quo spectent illa de Crantore allegata: nam cum Academicum Cicero di-cit, neque κυρίας δόξας ejus, sed librum *de luctu* commendat.

tur insignium quorundam virorum historiam, ut a Plutarcho, & Laertio factum intelligimus, dum ipsorum libri *de vitis* citantur (quod tamen viro erudito, & amico placuit) sed rationes, quibus vitam degere tranquillam liceat; ut vel ex designatione librorum moralium, & locis etiam, ab ipso Laertio citatis, aperte satis colligitur. Videlicet hoc loco βίοι ita accipiuntur, ut apud Plutarchum, dum dicit, διαφορὰν τῶν βίων καὶ τῶν πολιτειῶν; quod interpres præclare vertit, *discrimen morum, publicorumque institutorum*. Ex his libris citantur postea a Laertio primus, & secundus.

Περὶ δικαιοπραγίας, *de justa actione*. (n)

Νεοκλῆς, πρὸς Θεμίσταν, *Neocles ad Themistam*. (o) Videtur iste Neocles non parens, sed frater fuisse Epicuri: sic enim & aliorum fratrum inscripsit libris nomina.

Συμπόσιον, *convivium*. (p) Meminerunt hujus libri Plutarchus (q), Athenæus (r), & alii. Plutarchus (s) porro meminit quæstionum, in eo agitatarum de calefactione vini, de tempore concubitus, & Laertius, de difficultatibus circa conjugium, &c.

Εὐρύλοχος πρὸς Μητρόδωρον: *Eurylochus ad Metrodorum*. (t) Crediderim facile hunc Eurylochum eundem esse, ad quem Epicurus scripsisse iam dictum est, sub nomine *Eurydici*; res tamen incerta.

Περὶ τοῦ ὁρᾷν, *de visione*. (u)

Περὶ τῆς ἐν τῇ ἀτόμῳ γωνίας, *de angulo, qui est in atomo*. (x)

Περὶ ἁφῆς, *de tactu* (y), seu atomorum, opinor, tangibilitate. Quippe & *Inane* appellat Epicurus τὸ ἀναφὲς, *id quod tangi nequit*.

In Lycurgo. n Laert. X, 28. o Ib. p Laerti X, 28. q 1 ib. II. 119. Symp. Qu. I. & III, 6. s adv. Colot. p. 1109. E. r Lib. V. Deipn. p. 186. sq. s Lib. adv. Col. l. c. t Laert. X, 28. duo opera Εὐρύλοχον & πρὸς Μητρόδωρον videntur el. Fabr. Bibl. Gr. L. III. c. 33. p. 606. sq. u Laert. X, 28. x ib. y p. Laert. X, 28.

Περὶ εἱμαρμένης, *de fato*. (z)

Περὶ παθῶν δόξαι πρὸς Τιμοκράτην, *de perturbationibus sententia ad Timocratem*. (a)

Προγνωστικὸν (b), *Prægnitorium*, sic enim liceat vertere: siquidem videtur hoc libro περὶ τῆς προγνωστικῆς δυνάμεως disputavisse.

Προτρεπτικὸς, *exhortatorius* (c), intellige *sermo*. Sic enim, & Isocrati, & Clementi expresse est προτρεπτικὸς λόγος.

Περὶ εἰδώλων, *de simulacris, imaginibus, speciebus, formis, spectris* (d); sic enim varii varie verterunt, & interpretati sunt, quas vulgo iam vocant *intentionales species*.

Περὶ φαντασίας, *de imaginatione*; seu impressione eius, quod apparet in facultate cognoscente. Neque enim seu Epicurus, seu plerique alii ex antiquis Philosophis intellexerunt hoc nomine, ut iam fere fit, ipsam facultatem.

Ἀριστόβουλος, *Aristobulus*. (e) Et hic liber tertii Epicuri fratris nomen præ se fert.

Περὶ Μουσικῆς, *de Musica* (f), quatenus nempe ad mores facit, ut colligi posse videtur ex Plutarcho (g), & Empirico. (h).

Περὶ δικαιοσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, *de justitia, ceterisque virtutibus*. (e)

Περὶ δώρων, καὶ χάριτος, *de donis, & gratia*. (f) Huius meminit Empiricus (g), aliquid ex eo circa Grammaticam citans.

Πολυμήδης, *Polymedes*. Et hic videtur fuisse Epicuri familiaris, ac discipulus.

Τιμοκράτης γ', *Timocrates, III.* seu is fuerit Metrodori frater, seu testa-

z ib. a ib. b distinguit librum περὶ παθῶν a libro πρὸς Τιμοκρ. Fabric. l. c. c Laerti l. c. e ib. d ib. e ib. f ib. g Non posse suav. vivi sec. Epic. p. 1095. B. h Lib. adv. Math. L. VI. p. 111. D. e Laert. X, 28. f ib. g L. adv. Gram. p. 11. Laert. X, 28. ib. & 25.

stamenti curator, seu alius. Hinc credidissem, a Laertio citari *Timocratis*, (sive a *Timocrate* conscriptum) librum tertium; nisi ἀντὶ τῆ Τιμοκράτης, legendum suspicatus fuissem Τιμοκράτει, indicato puta libro tertio, ab Epicuro ita inscripto. Inspectio textus argumentum facit.

Μητρόδωρος έ, *Metrodorus*, *V*. Hunc Metrodorum esse, de quo supra, non videtur posse ambigi. Ex citato porro apud Laertium Metrodoro primo, colligi videtur, descriptam fuisse ab Epicuro vitæ Metrodori historiam.

Ἀντίδωρος β́, *Antidorus*, *II*, (*a*) Huius *Antidori* meminit Plutarchus (*b*), ac forte etiam Laertius (*c*) in Heraclide, si nihilominus *Antidorum* pro *Autodoro* legeris.

Περὶ νότου δόξαι, πρὸς Μίθρην, *de Austris sententiæ ad Mithrem*. (*d*) Fortassis autem legendus potius hic titulus περὶ νόσου, *de morbis* * tum ob pares causas, quæ dictæ sunt circa titulum περὶ φυτῶν, tum quia δόξαι illæ non tam videntur fuisse varia placita de speciali *vento*, quam morales sententiæ, ad asperitatem morborum leniendam. Iam vero videtur hic *Mithres* † Syrius ille fuisse, ad quem aliquando *Metrodorus* opem laturus accurrit, uti Plutarchus (*e*) non semel notavit, & quem Laertius (*f*) Lysimacho fuisse domus procuratorem, dicit, non modo in Epicuro, sed etiam in Theodoro, ubi narrat, Mithren Theodoro dixisse: *Videris tu non modo Deos, sed etiam Reges non agnoscere:* Theodorum vero excepisse; *quomodo non agnoscam Deos, qui te Deorum hostem existimo esse?*

Laert. X, 28.
a Laert. X, 28.
b Plut. adv. Col. p. 1126 A.
c Laert. V, 92.
d Laert. X, 28.
* Sic & recent. Laertii interpp.
† Librum περὶ μίθρην ab altero περὶ νόσου distinguit cl. Fabr. l. c.
e adv. Col. L. p. 1126. E.
f Laert. II, 102. X, 4.

Καλλιστόλας, *Callistolas* (*g*) Et hic etiam Epicuri fuisse familiaris præsumendus est.

Περὶ βασιλείας, *de regno*. (*h*) Meminit libri istius Plutarchus. (*i*)

Ἀναξιμένης, *Anaximenes*. (*K*) Fortassis hic fuit Lampsacenus ille, cuius Strabo (*l*) meminit, & quem indicare videntur tum Plutarchus (*m*) tum Laertius (*n*) ipse. Etsi enim is fuit unus ex Alexandrini præceptoribus; & illi tamen supervixit, (ut cuius gesta descripserit,) &, ex Suida, discipulus fuit Diogenis Cynici, ac proinde ille iunior; cum Diogenes tamen obierit, Epicuro iam agente annum ætatis decimum octavum, initio nempe Olympiadis CXIV.

Ἐπιστολαί, *Epistolæ*. Extant adhuc apud Laertium epistolarum eiusmodi quatuor: una est ad *Herodotum* (*o*), quam esse iam diximus minorem epitomen, hoc nomine etiam citatam ab Achille Tatio (*p*), *de rebus naturalibus*; altera ad Pythoclem de Meteoris, *seu sublimibus* (*q*) (hoc est, tam cœlestibus quam ceteris ad usque terram,) *rebus*; tertia ad Menœceum *de moribus* (*r*), postrema brevis illa est, quam Epicurus moriens scripsit ad Idomeneum (*s*). Præter has autem, innumeras alias conscriptas fuisse, ex Plutarcho, Laertio, & aliis colligimus. Plutarchus enim, exempli causa, epistolam ad *Anaxarchum* citat. (*t*) Laertius epistolam ad *Aristobulum*: (*u*) itemque epistolam πρὸς τοὺς ἐν Μιτυλήνῃ φίλους, *ad amicos Mitylenæ degentes*. (*x*) Et videtur quidem hæc eadem esse cum illa, quam Sextus Empiricus (*y*) citat πρὸς τοὺς ἐν Μιτυλήνῃ φιλοσόφους; verum plures hac

g Laert. X, 28.
h Laert. X, 28.
i Plut. non posse suav. vivi sec. Epic. p. 1095. D.
K Laert. X, 28.
l L. XIII. p. 589. 13.
m in Polit. praecept.
n Laert. II, 3. ubi vid. Menag.
o Laert. X, 29. 30. 35.
p in Phaen. Arat.
q Laert. X, 84. alia tum ad Pythoclem mentio Sext. § 6. 29. & ap. Plut. non posse suav. vivi sec. Epic. p. 1094.
r Laert. X, 122. 29
s Laert. X, 22.
t Plut. ad. Colot. p. 1117. c.
u Laert. VII, 9.
x Id. X, p. 136.
y Sext. adv. Math. p. 2.

hac inscriptione agnoscit Laertius illæ, ἀντὶ τοῦ, excludunt τὸ χαίρειν
iis verbis: ἐν τοῖς πρὸς τοὺς ἐν Μιτυλήνῃ ab Epicureo salutandi more: cum
φιλοσόφοις; adeo, ut aliqua ex illis tamen ea vox & præmissa extet su-
pot uerit esse suppositítia. Potuit perstitibus apud Laertium epi- Lib. II. de fin c. 30.
ex eodem censu esse epistola illa; stolis, & Cicero eandem inter-
b IX. 53. c VIII. p. 354. περὶ ἐπιτηδευμάτων, de variis vitæ pretatus fuisse videatur, cum
institutis, quam & Laertius (b) in- epistolam retulit; quam mo-
nuit, & Athenæus (c), ac Eusebius riens Epicurus scripsit. Hinc cum
d L. XV. de Præp. c. 2. (d) citant. Prætereo, eundem At- pro duabus iis voculis reposuissem
henæum (e) facere mentionem e- olim, ἐτίθη (ut minor nimirum es-
e L. XIII. deipn. p. 588 adde Cic. Fin. II, 30. pistolarum ad *Hermachum:* & ne set immutatio, quam si vocem πρό-
plures consecter, præclarissimæ o- θυμος, aut aliam similem substituis-
mnium fuisse videntur scriptæ ad sem) id probavit quidem eximius
f l. 2. ep. 18. 22. *Idomeneum;* quantum quidem ex Puteanus, sed ἄριστον vocem retinen-
Seneca (f) intelligere possumus, dam censuit: præclarus autem *Mé-*
qui præclarum etiam quid ci- *nagius*, cum verbum desideraretur,
tat in epistolis, quas ad *Polyenum* censuit quidem loco vocis ἄριστον re-
scriptas dicit. In iis, quæ ad *Ido-* ponendam vocem ἔγραψεν, (alias si- L. III. 61.
g Cent. 16. Parœm. 95. *meneum* illa præter ceteras fuit, mili occasione eidem Laertio usur-
ex qua Michael Apostolius (g) re- patam,) verum retinendas conter-
fert fragmentum, continens origi- dit ipsas voculas ἀντὶ τοῦ, quod E-
nem illius adagii, ταῦτά σοι καὶ Πυθία: picurus minime usus ipsa voce χαί-
καὶ Δήλια, *hac eadem tibi & Pythia,* ρειν videatur, ut quam fuisse Cleo-
*& Delia:* quod usurpatur adversus nis propriam memoretur, tam a Lu- * Lucian. de lapsu in salut. p. 520. G.
eos, qui morituri brevi putantur; ciano (*), quam ab ipso Laertio.
utcunq; adagium citari ex Menan- (†) An vero loco vocis ἄριστον re- † Laert. III, 61.
dro Erasmus scribat. (Epistolã quo- poni posset ἀρίστευε, aut etiam ad
que ad *Colotem* memorat Plutar- minimam omnium immutationem,
h L. adv. Colo. p. 1117. B. i X, 13. k X, 5. 6. chus(h) ad Eurydicũ, Laertius(i), ad ἄριστον, ad significandum, placuis-
*Leontium* & *Themistam* idem. (k) se inter salutandum eas voces, εὖ
Porro circa epistolas annotari πράττειν, καὶ σπουδαίως ζῆν, an reti-
obiter potest, fuisse Epicurum iis neri possent voces, ἀντὶ τοῦ, ad in-
præmittere solitum, ex vocibus nuendum, non vocem χαίρειν repu-
salutatoriis, nunc χαίρειν, gau- diatam penitus fuisse, sed eius vi-
*dere*, nunc εὖ πράττειν, *bene agere* ce illas duas fuisse interdum usur-
nunc εὖ διάγειν, *bene degere*, nunc patas; quasi nimirum voce ποτὲ *ali-*
σπουδαίως ζῆν, *bene vivere*; nunc *quando*, aut desiderata, aut sub- loc. cit.
ὑγιαίνειν, *valere sive sanum esse*. intellecta? Videtur profecto Lu-
l Laert. X, 14. Nam quod apud Laertium qui- cianus id non obscure suggerere,
dem in eius vita legitur, καὶ ἐν ταῖς cum referendo, Epicurum impen-
ἐπιστολαῖς, ἀντὶ τοῦ χαίρειν, εὖ πράτ- se alioqui delectatum τῷ χαίρειν,
τειν καὶ σπουδαίως ζῆν ἄριστον, mendi a- insinuat, eum tamen interdum a-
liquid subesse videntur: deest quip- lia, quam ista, usum voce; & in
pe verbum, phrasi necessarium, epistolis quidem accuratioribus,
& tum vox ἄριστον non videtur ad sa- gravioribusque, σπουδαιοτέραις (quas
lutandi ritum spectare, tum voces qua-

quidem fuisse paucas ait) vel cum ad amicissimos, προσφιλτάτης scriberet, fuisse praesertim μάλιστα, ipsa ὑγιαίνειν voce usum. Laertius vero cum hic relinquat Epicuro vocem εὐπράττειν, censeri debet pari iure vocem χαίρειν relinquere, quando attribuens ipsi alias εὐ ... διάγειν, tam facit Platonis proprium τὸ εὐπράττειν, quam ipsius Cleonis τὸ χαίρειν.

Atque hactenus series est librorum, quam Laertius contexuit. Adverte vero, cum statim post vocem illam ἐπιστολαί, sequatur, μίαν δὲ αὐτῶν, &c. quasi Laertius sit adscripturus unam ex illis epistolis, cum tamen & adferat tres, & se id statim facturum recipiat; ea de causa non prorsus male censuisse Casaubonum, reponendum ἐπιτομήν, loco vocis μίαν. Addo autem, vocem αὐτῶν non ad solas epistolas videri esse referendam, sed ad libros omnes recitatos, quorum epitomen tres illae deinceps integrae afferendae, contineant.

Laert. IX, 13. Praeter hos porro omnes libros, citari alios videas, tam a Laertio, quam ab aliis; quippe ipse Laertius, citarat iam antea librum περὶ ῥητορικῆς, de Rhetorica, seu arte oratoria, cuius etiam apud Scholiasten Hermogenis habetur mentio. Quod citatur vero de perspicuitate in oratione exigenda, id spectat ad Canonicem, in Dialectices locum substituendam. Conf. Meurs. Bibl. Attic.

Citare etiam visus est προηγούμενα, seu Antecedentia, seu praecipua dicas, ut accipiunt Stoici. Profecto libros iam citatos intelligerem, si aliqui citati forent, in quibus id, quod memorat, fuisset ab Epicuro scriptum.

Vtcunque sit, citantur quoque postmodum Στοιχειώσεις δώδεκα. Institutiones, seu elementalia XII. Laert. X, 44.

Quin etiam citari videntur, περὶ τῶν κόσμων ιβ', de mundis, XII. Siquidem varios mundos describens, egisse id dicitur ἐν τῷ ιβ' περὶ..., seu, ut Manuscripta habent, περὶ αὐτῆς, in XII, de hoc ipso seu de hac materia: idque praesertim, cum non appareat, intelligi unum ex triginta septem, qui περὶ φύσεως, de natura, constantissime citantur. X, 90.

Adderem προβλήματα φυσικά, Quaestiones naturales itemque Ἠθικὰ δόγματα, placita moralia nisi possent iis vocibus ea omnia intelligi, quae Epicurus circa naturam, & mores enucleavit, aut edisseruit. ap. Laert. & Plut.

Adhaec vero a Cicerone citatur liber de summo bono: nisi quis forte eundem putet cum eo, quem de Fine inscriptum iam retulimus. bis. III. Tusc. c. 18.

Citatur etiam ab eodem liber de voluptate. Fortassis Laertius hunc significavit, cum retulit, quosdam obiecisse Aristippi librum, de voluptate, ab Epicuro usurpatum, tanquam proprium. L. II. de divin. c. 27.

Praeterea citat Cicero librum de pietate adversus Deos, & distinctum quidem, ut videtur, ab eo, qui de sanctitate ex Laertio citatus est; sic enim habet Cicero: at etiam de sanctitate, de pietate adversus Deos libros scripsit. L. I. de Nat. Deor. c. 41.

Rursus Plutarchus indicat libros conscriptos adversus Theophrastum, πρὸς Θεόφραστον, cum ἐν δευτέρῳ, in secundo illorum contineri dicit disputationem de coloribus. (Estque apud eundem libri adv. Colot. p. 1110. Ibid. p. 1116. A.

adversus

adversus Bionem etiam mentio.) Verum de libris hactenus.

## CAP: XI.

### *Testamentum Epicuri.*

EPicurus, vita omni docendo atque scribendo consumta, senioque confectus, moribus illorum temporum obsecutus, testamentum scripsit, quod cum integrum nobis Diogenes Laertius servaverit, non opus est, ut ejus fragmenta ex Cicerone, aliisque scriptoribus, colligamus. Hoc autem modo conceptum fuit:

„Mea omnia Amynomacho, Philocratis filio Batithæ, (fuit autem Batis tribus Ægiensis oppidum: ut ab Hesychio habemus:) do, & Timocrati, Demetrii filio, Potamiensi, (Potamus vero Leontii tribus est oppidum, teste Phavorino,) secundum eam, quæ in Metroo, (h. e. templo magnæ Deæ, ad portum Atheniensem sito, in quo leges, iudicia, & alia monimenta, Athenæo, Suida, & aliis veterum testantibus, asservabantur) facta est, donatione: ea conditione, ut hortum quidem, & quæ ad illum pertinent, Hermacho, Agemarchi filio, Mitylenæo, assignent, eisque, qui cum illo una philosophantur, & quibus philosophiæ successoribus reliquerit Hermachus, ut in eo philosophiæ dare operam possint. Utque semper hi, quia nostro nomine philosophi appellantur, una cum Amynomacho & Timocrate, omnibus viribus eam, quæ in horto est, scholam conservent, depositi iure eum illis commendo; ipsorumque heredibus, quo modo maxime ratum sit, ut & illi hortum illum conservent, quemadmodum & ipsi, quibus, a nostro nomine philosophantibus, tradiderint. Porro domum, quæ est in Melite, dabunt Amynomachus & Timocrates Hermacho inhabitandam, unaque his, qui secum philosophantur, quamdiu Hermachus vixerit. Ex reditibus autem qui erunt, datique a nobis sunt Amynomacho & Timocrati, quantum fieri possit, cum Hermacho dispicientes, partem attribuant in sacrificia, quæ patri, matrique, & fratribus fiunt, nobisque in natalem diem, qui quotannis agi consuevit, priori decima die mensis Gamelionis. Præterea partem attribuant in conventum eorum, qui nobiscum philosophantur, qui cuiusque mensis vigesima die in nostram & Metrodori memoriam ordinatus est. Curent quoque diem fratrum, mense Posideone, sicut & nos solebamus; insuper curent diem Polyæni, mense Metagitnione. Curæ autem sit Amynomacho & Timocrati, Metrodori filium, Epicurum, filiumque Polyæni educare, dum philosophantur, & cum Hermacho degunt. Similiter & Metrodori filiæ curam habeant, & cum ad ætatem pervenerit, tradant eam viro, quem elegerit Hermachus, ex his, qui secum philosophantur, si modesta fuerit, & pareat Hermacho. Dent autem Amynomachus & Timocrates ex reditibus nostris in cibum his quoque anno, quantum ipsis convenire videatur, de eo cum Hermacho deliberantes. Faciant item secum redituum dominum Hermachum, ut ex ejus consilio, qui nobiscum consenuit in Philosophia,

prin-

principesq; relictus est eorum, qui nobiscum philosophantur, fiant singula. Dotem vero puellæ, cum ad annos nubiles venerit, dari curabunt Amynomachus & Timocrates quantum eis satis esse videtur, ex bonis auferentes, communicato prius cum Hermacho consilio. Curam item habeant Nicanoris, quemadmodum & nos habuimus, ut quotquot nobiscum philosophati sunt, atque res suas in communem usum contulerunt, omnemque alacritatem ostendentes, nobiscum in philosophiæ studiis consueverunt, pro modulo facultatum nostrarum, nulla re, quæ ad vitam necessaria est, egeant. Libros autem omnes nostros Hermacho tradant. Quod si quid humanum Hermacho contigerit prius, quam Metrodori liberi ad ætatem perveniant, curæ sit Amynomacho & Timocrati, ut, si modeste illi se gesserint, accipiant ex facultatibus nostris, quæcumque illis erunt necessaria, quoad fieri id possit: curamque ceterarum rerum, ut a nobis institutum est, agant, ut singula convenienter fiant. Ex servis autem liberos dimitto Murem, Niciam, & Lyconem. Phedrion item dimitto liberam.

## CAP. XII.

*Quæ fuerint illius Extrema.*

De morbo extremo, ac morte consecuta, ut iam diximus, sciendum est, Epicurum fuisse constitutionis haut multum firmæ. Id innuit vel titulus libri, a Metrodoro conscripti, *de Epicuri infirmitate, seu adversa valetudine*. Innuit & invidiosa illa exaggeratio Suidæ, quod neque iniectionem vestium Epicurus ferret, neque facile e lecto descenderet, & neque solem, neque ignem contueri posset, & similia. Nempe, ut ista aliud non suadeant, saltem insinuare possunt, Epicurum fuisse habitus, seu complexionis non robustæ. Porro, ut in vitæ decursu sanitate usus constante non fuerat, sic gravi tandem morbo interiit, calculo videlicet; quo etiam probabile est eundem sæpius vexatum fuisse. Recitat ecce Laertius ex Hermacho in epistolis, ut lapide, urinam cohibente, diem clausērit, cum quatuordecim diebus ægrotasset. Memorabile vero est, quod iam morti proximus scripsit illam epistolam, quam ad Idomeneum scriptam memorat Laertius, ad Hermachum Cicero. Forte scripta est ad utrumque, propter τὸ ὑμῖν: vel ad Idomeneum potius, quam ad Hermachum, quod Metrodori liberi satis fuissent Hermacho, ex testamento, commendati. Adde Hermachum, successorem proximum, non videri fuisse absentem, cum etiam Epicuri mortem litteris missis descripserit; ut taceam, illum ἐκ μειρακίου ad Rhethoricam potius, quam ad Philosophiam sese comparasse, ut ex Laertio perspicuum est. Epistola integra (Ciceronis verbis reddita) hæc est: *Cum ageremus vitæ beatum & eundem supremum diem, scribebamus hæc. Tanti autem morbi aderant vesicæ, & viscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere. Compensabatur tamen cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoria rationum, inventorumque*

In Lexi.

ap. Laert. X, 24.

X, 15

X, 22.

Cic. de fin. II, 30.

Lib. II de fin. c 30.

*torumque nostrorum. Sed tu, ut dignum est, tua erga me, & erga philosophiam voluntate, ab adolescentia suscepta, fac, ut Metrodori tuear re liberos.* Addit Laertius ex Hermippo, Epicurum sese in balneum, calida aqua plenum, demisisse; cum poposcisset merum, id hausisse; & dum commendaret amicis, ut dogmatum suorum forent memores, hæc inter verba defecisse: subiicit continuo Laertius Græcum ex se ipso tetrastichon, cujus sensum verbis Latinis ita repræsentes. (loc. cit.)

*Extremum hoc moriens Epicurus dixit amicis:*
*Salvete, & placitis invigilate meis.*
*Quippe inde pelvim calidam, vinoque subhausto,*
*Plutonis gelidas protinus hausit aquas.*

## CAP. XIII.

### *Quo tempore obierit.*

FLuebat porro, quo tempore Epicurus interiit, CXXVII Olympiadis annus II, Archonte Pytharato. Siquidem post δεύτερον ἔτος, quod ex Apollodori Chronicis retulit Laertius, bene legit Casaubonus, τῆς εἰκοστῆς ἑβδόμης, καὶ ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος: quipque cum vulgo desit vox, εἰκοστῆς, quis capiat, Epicurum natum Olympiade CIX. mori potuisse CVII? Et vero CXXVII est, in quam annus Epicuri LXXII, quo obiisse dicitur, cadit. Iam & mensem, & diem anni quo Epicurus e vivis excessit, indicat Clemens Alexandrinus. Memorat enim Antilochum, ab ætate Pythagoræ ad mortem usque Epicuri, numerantem annos CCCXII adiicientemque, huiusmodi mortem contigisse, mensis Gamelionis die decima. Quo loco nota, si Pythagoræ ætatem numeraveris ab Olympiade LX, qua illa floruisse apud Laertium dicitur, non reperiri plures annos ad mortem usque Epicuri, quam CCLXX, ac proinde calculo Antilochi deesse annos XLII. Quocirca ἡλικίαν illam, seu ætatem accipiendam esse a nato usque Pythagora, qui anno deinde ætatis circiter XL florere occepe rit. Cum Epicurus porro dicatur a prædicto Apollodoro vixisse annos LXXII, quod confirmat etiam Cicero, dum, *semper*, inquit, *verum fuit, morietur Epicurus, cum duos & septuaginta annos vixerit, Archonte Pytharato*; (& ex quo nonnulli coniiciunt, Epicuri mortem in annum climactericum, qui novennario mensuretur, ) non est tamen annus extremus, seu LXXII, ut completus accipiendus. Siquidem illum, Epicurus solummodo attigerat, ut puta tribus adiectis diebus ad LXXI, cum fuerit natus VII[a], mortuus X[a] mensis Gamelionis, (interpositis ab ortu ad interitum Olympiadibus, seu tetraeteridibus complectis XVIII, uno anno minus). Quamobrem, perinde hoc est, ac dum Plinius (*a*) Lucianus (*b*), Censorinus (*c*) Siculum, seu Leontium Gorgiam vixisse dicunt, annos CVIII, cum illum tamen Cicero (*d*), & Valerius Maximus (*e*) complesse tantum dicant CVII. Notanda vero heic comparatio quam Plutarchus (*f*) instituit, Epicurum inter, & Gorgiam. Postquam enim scribit Alexidem Comicum, (scilicet Menandri filium, & Stephani Comici patrem, ut refertur a Suida (*g*) vixisse duplum vitę Metrodori hoc

Lib. X, 15. — Lib. I. Strom. p. 3 09. C. — Lib. de fato c. 9. — a Plin. Lib. VII c. 48. — b Lucian. in Macrob. T. II p. 642. E. — c Cens. de nat. c. 15. — d Cicer. in Cat. mai. c. 5. — e Lib. VIII. c. 13 — f Lib. de orac. def. p. 420. D. — g in Lex.

hoc est annos CVI. (cum Metrodorus, ex Laertio, (b) LIII. vixerit:) subiicit Gorgiam Sophistam vixisse amplius triente, seu proportione sesquitertia, quam Epicurum. Id nempe, si accipiamus numerum XXXVI, is ipse erit, quem duplicatum Epicurus vixerit, triplicatum Gorgias. Quod Plutarchus vero dixit, *amplius*, respexit forte ad opinionem, quam deinde secuti sunt Quintilianus, & Suidas, quod videlicet Gorgias vixerit annos CIX. Non video porro, quorsum interpres Clementis Alexandrini, pro *Gamelione* verterit *Octobri*. Etsi enim sit aliqua circa ordinem mensium Graecorum controversia; neminem tamen reperias, qui Gamelionem non faciat sextum, septimum, vel octavum ab Hecatombaeone, qui cum altius, quam ab Iunio non possit incipere, profecto semper Gamelion longe aberit ab Octobri. Cum itaque multis argumentis Gamelion fuisse convincatur ab Hecatombaeone septimus, ille ad Ianuarium potius videtur fuisse referendus. Quia vero annus ille secundus Olympiadis CXXVII. coepit ab estate anni periodi Iulianae MMMMCCCCXLIII debuit Gamelion eiusdem anni incidere in Ianuarium anni incipientis periodi Iulianae MMMMCCCCXLIV. In quem autem diem Ianuarii, dies decima Gamelionis incidere potuerit, determinatu facile non est. Si liceat tamen Gamelionem inchoare, (ut tempore nativitatis factum observavimus) a decima quarta luna, seu a plenilunio, quod septimo loco post solstitium aestivum contigerat; cum novilunium celebratum fuisset die Decembris XXX, ac proinde luna decima quarta numerata fuisset, die Ianuarii XII. Idcirco, ubi istum primum Gamelionis fecerimus, decimus ejus incidet in Ianuarii XXI; tali igitur die debuit mors Epicuri contingere. Ex quo notandum ulterius est; cum Epicurus dicitur attigisse annum LXXII, debere illud de Graecorum anno, non de Iuliano accipi; sic enim duo deessent dies, cum die Ianuarii XXIII. natum fuisse probatum sit. Nunc facile est Epicuri mortem ad ea referre tempora, quae iam nobis in usu sunt. Siquidem ubi X dies detraxerimus, & pro solari cyclo illius anni, (scilicet XX) ac littera D in veteri stylo, nostrum G reposuerimus, perspicuum evadet, Epicurum mortuum die Ianuarii XXX, existente feria quarta, seu die Mercurii, ante Christi Æram CCLXX.

b Lib. X, 23.

L. III. c. 1. in Lex.

Hervetus.

## CAP. XIV.

### *Quam cara Sectatoribus ejus memoria fuerit.*

Superest cognoscamus paucis, ut Epicuri mortui memoriam Sectatores coluerunt. Nam missum quidem in primis facio, quod patria illum *statuis aereis honoraverit*; χαλκαῖς εἰκόσι τιμήσασα, ut Laertius loquitur. Adnoto vero, statas dies ac testamento cautas ceremonias fuisse a sectatoribus studiosissime observatas. Post enim CCCL annos scribens hac de re Plinius, *Natali ejus*, inquit *XX*[a] (a) *luna sacrificant, feriasque omni mense custodiunt, quas Icadas vocant*. Ex hoc intelligere licet, Epicureos Graecis autoribus (ut ab Athenaeo) εἰκαδιστὰς dici, quod εἰκάδας observitarent,

Lib. X, 9.

Lib. XXXV. c. 2.

Lib. VII. c. 18.

tarent, ut Rhodiginus quoque animadverit. Tametsi non desunt, qui putent Icadistas dictos, quod τῆς εἰκάδος nomine non modo *vicesima* seu dies, seu luna significetur, verum etiam *effigies*, seu imago Epicuri, qua eorum nullus destituebatur. Porro de hisce imaginibus audiendus etiam Plinius est: *Vultus*, inquit, *Epicuri per cubicula gestant; ac circumferunt secum.* Cicero autem sub persona Attici: *Nec tamen*, inquit, *Epicuri licet oblivisci, si cupiam, cujus imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis, & annulis habent.* Sunt, qui addant, *aliquibus magna cura fuisse, Epicuri imagines non annulis modo, sed & poculis habere, arbitrantibus, hoc genti, & nomini suo fausti esse omnis.* Ad hęc, ut affectum erga ipsum verbis expressum habeas, audi Patronum illum loquentem circa Melitensium Parietinarum negotium: *Honorem*, inquit Cicero, *officium, testamentorum ius, Epicuri autoritatem, Phædri obtestationem, sedem, domicilium, vestigia summorum virorum sibi tuenda esse dicit.* Maxime vero ipsum Torquatum: *Nonne ei maximam gratiam habere debemus*, inquit, *qui exaudita quasi voce naturæ, sic eam firme, graviterque comprehenderit, ut omnes bene sanos in viam placatam, tranquillam, quietam, beatam vitam deduceret?* Et rursus: *Quem ego*, inquit, *arbitror unum vidisse verum, maximisque erroribus hominum animos liberavisse & omnia tradidisse, quæ pertinerent ad bene, beateque vivendum.* Hinc, quia Epicurus suos moriens admonuerat, ut placitorum suorum meminissent,

Rivius.
loco cit.
Lib. V. de fin. c. 1.
Alex. ab Alexandro Lib. II. c. 19.
Lib. XIII. fam. Epist. 1.
L. I. de fin. c. 21.
Ibid. c. 5.
Lib. de fin. II. 7.

docet Cicero, cum omnes ad verbum ediscerent ratas Epicuri sententias, fuisse etiam, qui dogmata omnia memoria tenerent, ac inprimis Scyronem illum, de quo in Academicis. Verum sufficiat heic pauca ex Lucretio attexere, ut uberius intelligas, quanto affectu & doctorem, & dogmata prosequerentur. Sic igitur ille tertium librum inchoat,

Qu. Ac. IV. 31.
Lib. III. init.

*E tenebris tantis tam clarum extollere lumen*
*Qui primus potuisti, illustrans commoda vitæ,*
*Te sequor, o Graiæ gentis decus, inque tuis nunc*
*Fixa pedum pono pressis vestigia signis:*
*Non ita certandi cupidus, quam propter amorem,*
*Quod te imitari aveo. Quid enim contendat hirundo*
*Cygnis? aut quidnam tremulis facere artubus hædi*
*Consimile in cursu possunt, ac fortis equi vis?*
*Tu pater es rerum inventor: tu patria nobis*
*Suppeditas præcepta, tuisque ex inclute, chartis.*
*Floriferis ut apes in saltibus omnia libant.*
*Omnia nos itidem depascimus aurea dicta,*
*Aurea, perpetua semper dignissima vita.*

Est statim.

*His tibi me rebus quædam divina voluptas*
*Percipit, atque horror, quod sic natura tua vi*
*Tam manifesta patet, ex omni parte retecta.*

Ac postea.

Ipse

*Ipse Epicurus obit decurso lumine vitæ;*
*Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes*
*Præstrinxit stellas exortus uti ætherius sol.*

## CAP. XV.

*Quanta constantia consensioneque, Schola ipsius successio viguerit.*

Dignum vero quoque memoratu est, tum scholæ ipsius successionem fuisse constantem admodum; tum successores, sectatoresque ita perpetuo consensisse, ut videri res admirationis dignissima possit. Et quod attinet quidem ad constantiam, notum est, præsides hortorum, seu præfectos scholæ, ab ipsa morte Epicuri ad tempora usque Iulii, & Augusti, Cæsarum, continua serie sibi succedentes memorari a Suida, extitisse quatuordecim, idque per annos CCXXXVII. Illis vero temporibus, quam multi essent Epicurei, etiam viri summi, & in republica principes, vel ex unius Ciceronis monimentis postea dicetur. Deinde, Lucianus scribit, temporibus suis stipendia Epicureis, haut secus, quam aliis Professoribus, ab Imperatore fuisse constituta; adiiciens, illorum aliquo demortuo, probatissimum quemque in locum ipsius fuisse solitum subrogari. At Laertius post Lucianum scribens, declarat, quemadmodum, ceteris Philosophorum successionibus prope deficientibus, Epicuri successio continenter perseveraret, præfecturasque discipulorum, alias aliis succedentes innumeras efficeret. Addit Numenius apud Eusebium, eiusmodi successionem ad sua usque tempora sic perseverasse, ac etiamnum persistere, ut in posterum etiam perduratura videretur. Hinc secutus Lactantius, *Epicuri*, inquit, *disciplina multo celebrior semper fuit*. Uno verbo, quamdiu litteræ in Græcia floruerunt, & Roma ipsa a barbarorum devastatione immunis fuit, Epicuri schola, atque disciplina non incelebris constitit.

In voc. Epic.

In Eun. T. I. p. 975. E.

Lib. X. 9.

L. XIV. Præp. c. 5 p. 728.

Lib. III c. 17.

Circa consensionem, prætereo illud Ciceronis, *Sustinuero Epicureos tot meos familiares, tam bonos, tam inter se amantes viros*, ceteraque loca similia. Illud potius adnoto; cum ceteræ Sectæ ab ipsis usque initiis discerptæ semper intestinis dissidiis fuerint, Epicuream longe absfuisse, ut tale quippiam pateretur. Scribit enim Themistius, *Ea, quæ Epicuro placuerunt, ut quasdam Solonis, aut Lycurgi leges ab Epicureis omnibus servari*. Et quasi omnes unus, idemque animaret spiritus, *Apud istos*, inquit Seneca, *quicquid dicit Hermachus, quicquid Metrodorus, ad unum refertur. Omnia, quæ quisquam in illo contubernio locutus est, unius ductu, & auspiciis dicta sunt*. Inde est & illud eiusdem, cum proposita hac sententia: *Is maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget*, & quasi iussus a Lucilio autorem eius edere, *Ut scias*, inquit, *quam benigni simus; propositum est aliena laudare. Epicuri est, aut Metrodori, aut alicuius ex illa officina*. Verum res fiet adhuc illustrior, si Numenii Pythagorici locum, qui est apud Eusebium isthuc traduxerimus. Ille enim, postquam doluit, quod Platonis successores con-

IV. Acad. c. 36.

Orat. IV.

Epist. 33.

Epist. 14.

Lib. XIV. Præp. c. 5. p. 729. D.

consensionem non defendissent propter quam Pythagorei in pretio forent, subiicit: *Hoc vero modo Epicurei (immerentes licet) instituti, nulla omnino in re dissidere ab Epicuro visi sunt; professique eadem cum sapiente suo placita habere, non iniuria suum attigere scopum. Ex eo deinceps Epicureis longo iam tempore evenit, ut neque sibi invicem, neque Epicuro ulla in re contradixerint, quæ digna quidem sit memoratu. Quin apud ipsos delictum est, vel impietas potius, & damnandum piaculum, si quippiam fuerit innovatum: Quare id nemo audeat. Hinc propter constantem illorum inter se consonantiam dogmata placidissime, pacatissimeque se habent, hacque Epicuri institutio reipublicæ cuipiam vera, germanaque persimilis est quam nempe a seditione remotissimam, una mens communis, unaque moderatur sententia. Ex quo nec defuerunt, nec desunt, neque, ut apparet, defuturi sunt qui perlubenter illam sequantur. At Stoicos inter factiones,* &c. Posset quispiam existimare, nihil isti loco deesse, nisi ut de Epicureis omnibus illud diceretur, quod de duobus dictum a Valerio supra vidimus, ut scilicet quis talem societatem cœlestis concordiæ sinu genitam, nutritam, ac finitam putet. Lib. 1. c. 8.

## CAP. XVI.

*Qui successores, sectatoresque Epicuri commemorentur.*

NUnc cum videatur catalogus illorum esse subtexendus, qui Epicuro mortuo, in illius secta claruerunt; notum est quidem ex ante dictis, successisse Epicuro *Hermachum*, & *Hermacho Polystratum*, X, 25.
constatque ex Laertio, successisse *Polystrato Dionysium*, & *Dionysio Basilidem*; at qui fuerint illi decem successores a *Basilide* ad eum usque, qui temporibus Augusti scholam tenuit, non est nobis dicere promtum. Fortassis tamen *Basilidi* successit *Protarchus*, Bargyleites, ille scilicet, qui Straboni *illustris vir* dicitur. Docet vero idem Strabo, Protarchi discipulum extitisse Demetrium, cognomento Laconem, cuius Laertius etiam meminit, & quem Sextus Empiricus dicit inter sectatores Epicuri fuisse insignem. Forte huic successit Diogenes Tarsensis, selectarum scholarum autor, quarum Laertius in Epicuro ad viginti usque libros citat: citat vero etiam dogmatum moralium eiusdem epitomen. Memorat præterea Laertius, (incertum tamen, an ad seriem successorum pertineant,) duos *Ptolemæos* Alexandrinos, ex quibus seu color, seu aliud diversitatem fecerit, unus *niger* dictus fuit, alter vero *albus*. Memorat etiam *Orionem*. Memorare etiam videtur *Democritum* quendam, qui intellectæ Epicuro voluptatis, meminerit in Timocrate. l. XIV. p. 658. B. Lib. X, 26. Lib. 11. adv. Log. p. 215. 216. B. X, 25. Lib. V. p. 212. A.

Sequuntur præter ordinem duo, quos videre licet apud Athenæum. Unus est *Diogenes* ex Seleucia, Babyloniæ vicina, quem ille facundum quidem inter disserendum describit; sed cetera male moratum, ut referendum inferius est. Alius est *Lysias*, quem idem scribit apud Tarsum imperasse, & electum a patria Stephanepho- p. 211. B.

nephorum. Herculis nempe sacerdotem, principatum cum regis ornamentis retinuisse. Hic est, qui divitum fortunas in pauperes distribuens, multos etiam ex iis occidit, qui dare abnuerent. Quo tempore is vixerit, definire non possumus; *Diogenes* ille cum fuerit Alexandri Syriæ Regis, & Antiochi illius successoris temporibus, referri potest ad Olympiadem circiter CLV. Videtur per hæc tempora floruisse *Everatidas* ille, de quo apud Ianum Gruterum in inscriptionibus hæc leguntur: *Brundusii pro foribus ædium Diomedis Athenæi, Medici, in basi*, ΕΥΚΡΑΤΙΔΑΣ Πεισιδάμου Ῥόδιος φιλόσοφος Ἐπικούρειος τὸν τόπον τῆς Βρεντεσίνων βουλῆς εἰς τὴν ταφὴν ψηφισαμένης, *Eucratidas, Peisidami F., Rhodius, Philosophus Epicureus L. P. D. D. D.*

n. 25 At non longe post ea tempora floruisse videtur in schola *Apollodorus* ille, quem Laertius & *illustrem* dicit, & κηποτύραννον, ut opinor, vocat, quod sic in hortis regnaverit, ut in iudiciis regnasse Demosthenes dictus est. Hic supra libros trecentos scripsit, ac nominatim Epicuri vitam aliquot libris complexus est: Laertius enim περὶ τοῦ Ἐπικούρου βίου primum citat. Suspicetur quispiam eundem, cuius & Laertius, & alii, Chronica citant. *Apollodori* auditor fuit *Zeno* Sidonius, ex Laertio, qui addit, ipsum multa scripsisse. Memorat etiam alicubi

Ibid. eundem fuisse sententia & elocutione clarum, ex quo fit, ut hunc ei-

VII, 22. de Nat. Deor. I, 21. se putem, quem *Zenonem* Cicero scribit dixisse *distincte, graviter, ornate*, adiiciens, dictum *Coryphæum* & *Principem Epicureorum*. Nisi forte sit; tam ipse, quam *Apollodorus*, superiorum temporum; sin autem sit, tum pertinet ad tempora Imperatorum, quando Cicero & ipsum audivit, & de eodem ad Atticum scribens: *Zenonem*, inquit, *tam diligo, quam tu*. Ibid. Lib. V. epist. 11.

## CAP. XVII.

*Laertii apologia pro Epicuro.*

Diotimus Stoicus, infesto adversus Epicurum animo, acerrime insectatus eum est, quinquaginta circumferens lascivas, veluti ab Epicuro scriptas, epistolas, easque, quæ Chrysippi feruntur, veluti sub Epicuri nomine componens. Posidonius item Stoicus, & Nicolaus, & Sotion in duodecimo eorum, quæ inscribuntur Dioclis argumenta, quo agit de XXIV epistola. Et Dionysius Halicarnasseus. Etenim cum matre circuisse, ut in pauperum domunculis lustratoria carmina legeret, litterasque cum patre docuisse, mercedis exiguæ stipe, tradunt. Vnum quoque e fratribus prostituisse, ipsumque Leontio meretrici congredi solitum. Democritique de atomis, Aristippique de voluptate libros, ut suos asseruisse: neque fuisse legitimum civem, ut Timocrates ait, & Herodotus in libro de pubertate Epicuri. Mithræque, Lysimachi dispensatori, per epistolas fœde adulatum esse, Pæanem illum ac regem appellando. Idomeneum item, & Herodotum, atque Timocratem, qui adhuc obscura sua dogmata illustraverant, laudare, eisque assentari. Sed & idem facere in epistolis, ad Leontium

Cum beata autem vita consistat in animi tranquillitate, & indolentia corporis, sed in illa potissimum, (quatenus sunt animi bona potiora bonis corporis, uti & mala sunt deteriora malis, ) idcirco Philosophia animi præsertim Medicina est, prout ipsum reddit, ac tuetur sanum, scilicet ejus sanitas ipsamet tranquillitas est. (c)

c Laert. X, 118. Laert. X, 122. Quare & hinc efficitur, ut neque debeat iuvenis philosophandi trahere moram, neque senex ullatenus philosophando defatigari. Quippe ad habendum sanam mentem nemo immaturus, aut ineptus est, & qui prætexit, philosophandi tempus aut nondum adesse, aut iam præteriisse, non secus facit, ac is, qui dicit, bene beateque vivendi tempus aut nondum adesse, aut esse elapsum.

Ib. Philosophandum itaque & iuveni, & seni est: illi quidem, ut dum senescet, perseveret bonis efflorescere, ob perseverantem eorum, quæ decore eatenus peregerit, gratiam, isti vero ut annis senex, animis tamen iuvenis sit, quatenus erit a futuris, impendentibusque securus.

ap. Senec. Ep. 8. Nempe Philosophia est sola, quæ sui cultores fidentes, & ab omni vano timore facit liberos; ipsique adeo serviendum est, ut contingat vera libertas.

ap. Senec. ep. 52. Felices ii tamen, qui eo corporis, animique habitu sunt, aut in ea gente nascuntur, ut possint sive ex seipsis, sive impulsi ab aliis, Philosophiæ operam dare, & veritatem prosequi, cujus affecutione homo vere liber, seu sapiens, sibique imperiosus efficitur.

Ib. Siquidem, triplicis sunt notæ, qui animum huc applicant. Sunt enim quidam, qui ad veritatem sine ullius adiutorio exeant. Sunt, qui opera aliena indigeant, non ituri, si nemo præcesserit, bene secuturi. Sunt, qui cogi ad rectum, compellique possint, quibus non duce tantum opus est, sed adiutore, &, ut ita dicam, coactore. Ib.

Ac sunt primi quidem maxime laudandi, veruntamen egregium quoque secundæ sortis ingenium, ac ne genus quidem tertium fastidiendum. Cum certe ex secundo fuerit Metrodorus, ex tertio vero Hermachus, ut illi magis gratulor, ita istum magis suspicio, quoniam, quamvis ad eundem finem uterque pervenerit, tamen maior est laus idem effecisse in difficiliore materia.

Cum nihil vero esse Philosopho debeat ipsa veritate antiquius; ideo is ad ipsam recta tendet via, & nihil neque finget, neque ab aliis fictum admittet; quoniam nullum figmenti genus veri Professoribus convenit, ac ne probanda quidem videtur illa Socratis ironia perpetua, qua effert in cœlum laudibus Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, ceteros: se autem rerum omnium inscium fingit, & rudem. Cic. in Bruto c. 84.

Quo minus profecto oportuit confingi a Philosopho (a) illam fabulam de Ero Armenio. Cur enim, si rerum cœlestium notionem, si habitum nos animorum docere voluit, non simplici, & absoluta hoc insinuatione curatum est, sed quæsita persona, casusque excogitata novitas, & composita advocati scena figmenti, ipsam quærendi veri ianuam mendacio polluerunt.

a Macrob. Somn. Scip. L. I. c. 2. Platonem intelligit, cujus illa est fictio L. X. de Rep.

Hac

Hac ergo de causa vir sapiens neque Poetarum fabulas audiet, neque ipse Poemata fabulosa elucubrabit. (b) Quin etiam Oratorum technas, fucosque aversabitur, ac ut nihil aliud ex Grammatica, quam Orationem congruam, sic ex Rhetorica nihil aliud, quam perspicuam exigens, dictione utetur simplici, atque familiari, & sive scholam aperiat, sive libros scribat, sive rogatus scriptorum quid coram multitudine legat, cavebit, ne id panegyrice, atque hyperbolice fiat. (c)

b Ex Plut. de audiendis Poet. Heraclide de allegor. Homer. Torquato Epicureo dictis ap. Cic. L. 1. de fin.

c Ex Cic. L. I. de fin c. 5. d Laert. X, 23.

Quandoquidem vero ex philosophantibus quidam sunt (d), qui circa veritatem nihil certi tradant, sed de omnibus dubitent, quidam (e), qui omnia sciri putent, ac indiscriminatim affirment: videtur sapiens, & qui Germane philosophari instituit, sic se habiturus, ut non afferat quidem omnia, sed quæpiam tamen placita rata, & de quibus non sit hærendum, defendat.

e Laert X, 121.

Nam quoties quidem aliqua casunt, quæ possunt multis peragi modis, uti Eclipses syderum, uti eorundem ortus, occasus, sublimiaque cetera, tunc unum modum ita probare, ut improbentur ceteri, ridiculum profecto est: at quoties agitur de iis, quæ nisi uno modo esse non possunt, aut fieri, cujusmodi sunt illa effata: Ex nihilo nihil fit; Universum ex corpore, & inani constat; Principia rerum sunt insectilia, ceteraque hujusmodi, tunc quoque perabsurdum est, iis non firmiter adhærere.

Hinc fit, ut sit Sapientis proprium, sicut in illis multiplicem, sic in istis modum unicum tueri, ac non vacillare, neque a quæsita semel Sapientia discedere. Videlicet, secùs, ac illi, qui quasi ex legis præscripto agentes, non ut ipsæ res exigunt, de natura philosophantur, ac ideo a recto tramite excedunt, & ad fabulas delabuntur: non advertentes, ut ad vitam nihil conferat, aut placita propria iactare, aut inani gloria gestire, sed animo imperturbato esse.

Ceterum, cum duæ præcipue statuantur Philosophiæ partes, una Physica, quæ in Naturæ contemplatione sita sit, altera Ethica [i], quæ in dirigendis ab beatam vitam moribus versetur: patet profecto, aut Ethicam universam esse Philosophiam, aut Physicam quidem in partem venire, verum quatenus ipsa quoque ad beatam vitam conducit.

Seneca Ep. 89.

Laert. X, 30.

Nam si nihil quidem nos conturbarent, quæ suspicamur, veremurque a rebus illis sublimibus, ac etiam a morte, quasi aliquid pertineat ad nos. Si item satis caperemus, qui sint cupiditatum fines, & quousque dolor, qui est ex illis, sedandus sit; nihil Physiologia, hoc est, naturæ explicatione indigeremus.

Lucretius L. I. v. 63. seq.

Verum, quia fieri non potest, ut tantum bonum, nisi perspecta rerum natura, assequamur, sed ut pueri in tenebris trepidant, ac nihil non metuunt, ita nos misere versantes in ignorantiæ caligine, ea timeamus, quæ fabulosa, ac magis metuenda non sunt, quam quæ pueri in tenebris pavitant, & futura fingunt; ideo est necesse, ut terrorem hunc, tenebrasque has animi, non ipsi sane radii solis, sed

Ib.

naturæ species, ac ratio, seu, quod idem est, Physiologia discutiat. Est ergo etiam Physica ut pars Philosophiæ habenda.

Laert. X, 31. Sext. Emp. adv. Logic. p. 140. Quam aliqui autem præterea, quasi tertiam partem, Dialecticam addunt, ea repudianda idcirco est, quod, quatenus quidem vulgo traditur, nihil aliud, quam spinas vellat, inanis loquacitas sit, & cavillorum officina, imo & quod sit etiam superflua, ob finem, quem præstituunt; ut videlicet Physicorum ratiocinia percipere, & diiudicare possimus, quoniam nulla alia ad hoc re est opus, quam ut Physici & consuetis & perspicuis rerum vocibus utantur.

Ib. Quod si quidpiam præterea esse videtur utile, id esse aliud nihil potest, quam collectio canonum, regularumve quarundam paucarum, quæ ut de ipsis vocabulis, sic de criteriis, quibus solemus res diiudicare, tradantur.

Ib. Quo pacto vice operosæ prolixæque Dialecticæ, haberi hæc brevis Canonica potest, & aut reputari Philosophiæ pars, (tametsi minus præcipua,) aut haberi veluti quædam accessio facta Physicæ, quippe quasi ad illam brevis introductio.

---

## PARS PHILOSOPHIÆ PRIMA QUÆ EST

### *Canonica, sive de criteriis.*

Laert. X, 31. ITaque, ut inde exordiamur, cum omnis, quæ in Philosophia excitatur quæstio, aut de re, aut de voce sit, & ad illius solutionem varii tradi canones valeant, ideo pars Philosophiæ prima, illos continens, vocari Canonica potest.

Quia vero de voce non aliud quam usus, significatiove ejus quæritur, de ipsa re vero ejus veritas, quæ est quid abstrusum investigatur, ideo complexuri canonibus paucis, quæ ad usum vocum attinent, plusculos prius afferemus de ipsa veritate, eiusve criteriis, sed ubi tamen pauca præfati de illa, ac de his fuerimus.

## CAP. I.

### *De veritate, illiusque criteriis.*

INitio ergo veritas intelligi potest, ac distingui duplex, una Extantiæ, Existentiæve, & Enunciationis, seu Judicii alia. Vid. ex Sexto Emp. hæc deducentem Gassend. ad Laert. L. X. p. 112.

Veritas Extantiæ ea est, qua unaquæque res in ipsa rerum natura extans, est id ipsum, quod est, nihil vero aliud. Unde & nulla falsitas huic veritati opponitur, (neque enim orichalcum, v. c. falsum aurum est, sed verum orichalcum,) nihilque adeo differt, aliquid ne extans existensve dicas, an verum.

Veritas autem Enunciationis, seu Judicii, nihil aliud est, quam conformitas enunciationis ore factæ, aut Judicii mente peracti, cum ipsa enunciata, seu iudicata re.

Veritas vero ista est, cui opponitur Falsitas: nam, ut verum est, quod ita se habet, ut se habere dicitur, sic Falsum, quod, ut se habere dicitur, non ita se habet. Ib.

Obiter porro circa id, quod contingens futurum vocant, veræ sunt quidem, quæ dicuntur ex contrariis, disiunctiones, seu complexiones mavis, quæ, fiunt per disiuncti vas particulas, veluti si dicatur, aut vivet cras Hermachus, aut non vivet, at, quæ in his eaun-

Enunciantur; (seu oppositorum membrorum) neutrum verum est, neque enim ulla est in natura necessitas, ut Hermachus cras vivat, neque iterum, ut non vivat.

Ad hæc, quoniam res, cuius veritas quæritur, aut ad solam speculationem, aut ad vitæ actionem spectat, & priore modo scientiæ Naturalis, posteriore, Moralis est; idcirco habendum criterium, sive iudicandi instrumentum est, quo utrovis modo expendi, iudicari, cognosci possit.

Laert. X, 31.

Ceterum, quia res naturales, aut sensu, aut Mente, & res morales, ipso affectu, appetituve, percipiuntur, ex parte istorum accipienda criteria sunt.

Plut. Plac. 4, V, 8.

Et ex parte quidem sensûs, non potest aliud accipi, quam ipsa eius functio, seu sensio, quæ ipsa quoque sensus nomine donatur.

ex Laert. l. c. Gassend. ad eum loc. p. 123.

Ex parte autem mentis, quia præter functionem, quam habet, dum rem quasi præsentem, & apparentem, sensus instar contuetur (unde & perceptio apparentiæ, seu eius, quod res tam menti quam sensui esse apparet, Phantasia vocatur) quia, inquam, præter hanc functionem, mentis proprium est, ut ratiocinetur: ideo exigitur prænotio, seu notio quædam anticipata, ad quam respectando quippiam inferatur.

Ex parte denique affectus, sive appetitus, cuius proprium est prosequi, aut refugere aliquid; aliud accipi, quam ipsa affectio, seu passio non potest, eaque aut alliciens, ut puta voluptas, aut avertens, ut molestia, seu dolor.

Itaque tria sunt omnino criteria, sensus nimirum, sive sensio, prænotio, seu anticipatio, & affectio, seu passio, de quibus singulis proinde canones aliquot sunt tradendi.

## CAP. II.

*Canones de sensu criticorum primo.*

AC, ut primum quidem de Canonibus, quæ ad sensum spectant, dicamus: ii statui posse videntur quatuor.

### CANON. I.

Laert. X, 32

*Sensus nunquam fallitur, ac proinde est omnis sensio, omnisque phantasia, seu apparentia perceptio vera.*

† Laert X, 31. conf. Gassend. ad eum loc. p. 128

ID vero probatur inprimis, quoniam omnis sensus ratiocinationis est expers, recordationisque prorsus incapax, quippe cum neque a seipso moveatur, neque motus ab alio, addere quidpiam detrahereve, sive enunciando copulare, aut disiungere, concludendove inferre valeat, * ut propterea possit quidpiam opinari, aut opinando falli. Scilicet mens quidem id potest, at non ipse sensus, † *cuius proprium est id solum, quod est præsens, quodque ipsum movet, apprehendere, ut visus obiectum colorem, non item vero discernere illud quidem esse, quod hic; aliud, quod illic subiicitur.* Nude porro apprehendentis, nihilque omnino pronunciantis, neque mendacium neque falsitas est.

* Sext. Empir. adv. Logic. adde Gassend ad Laert. X. p. 126.

Deinde, quia nihil est, quod refellere, falsive arguere ipsos sensus possit. Neque enim sensus genere similis similem genere refellet, ut visus dextri oculi visum sinistri, aut visus Platonis visum Socratis; idque propter

Laert. l. c. Lucret. IV. v. 482 sq.

æqui-

siones, quibus res apparentes percipiuntur, veras esse; sed opiniones quod attinet, admittere ipsas aliquod discrimen; quippe aliæ veræ, aliæ falsæ sunt, quatenus sunt nostra iudicia phantasiis superaddita, & nos quædam recte, quædam perperam iudicamus: ob id scilicet, quod phantasiis addatur, imputeturque aliquid, aut aliquid etiam ipsis detrahatur, ac universe sensus, qui ratiocinii expers est, mendaciter insimuletur.

Sext. Emphr. adv. Logic. p. 276 B. Gassend. ad Laert. L. X. p. 145.

Nonnullos autem decipit ea phantasiarum, quæ ab eodem contingere sensibili, (ut adspectabili. v. c.) existimatur, diversitas, iuxta quam subiectum aut alterius figuræ, aut alio quodam modo immutatum apparet. Reputant enim discrepantium, pugnantiumque sic phantasiarum aliam quidem esse oportere veram, aliam vero esse ex opposito falsam, quod stolidum profecto est, ac hominum, qui ipsam rerum naturam non considerant. Non enim totum solidum, seu tota ipsa corporis soliditas est, quæ videtur, (ut verba faciamus de visibilibus) sed ipsius solidi color. Coloris vero aliud quidem est, quod in ipso est solido, qualeque apparet in iis, quæ prope, aut mediocri ex intervallo conspiciuntur; aliud, quod extra solidum, (utpote dimanans ab ipso species, seu simulacrum) recipiturque in locis ordine succedentibus, qualeque apparet in iis, quę ex intervallo prolixo spectantur. Hoc autem posterius, in spatio intermedio immutatum, propriamque assumens figuram, talem phantasiam exhibet, quale ipsum revera est.

Sext. Empir. l. c. D.

Quo ergo modo neque vox, quæ in aere pulsato est, neque ea, quæ in ore est vociferantis, exauditur, sed ea, quæ in sensum nostrum incidit, (nempe idem esse in duobus dissitis subiectis non potest:) & quemadmodum nemo dicit eum falso audire, qui ex intervallo; seu distantia vocem exiguam percipit, quoniam cum propius accesserit, eam percipit quasi maiorem: sic neque visum dixerim falli, quod eminus turrim parvam videat, ac teretem, cominus maiorem, & quadrangularem, sed ipsum potius se vere habere, quoniam, quando ipsi sensibile parvum, ac huiusmodi figuræ apparet, parvum ibi revera est, ac huiusce modi figuræ, confractis nempe simulacrorum ipso per aerem traiectu extremis, (ac adeo angulo minore in oculum subeuntibus) & rursus, quando magnum apparet, figuræque alterius, illic rursus & magnum est, & alio modo figuratum: videlicet idem utrobique non est, (ut puta hic iam integrioribus, & maiore angulo in oculum subeuntibus simulacrorum extremis.) Ceterum enim illud jam perversæ opinionis est, existimare id, quod prope, proculque spectatum apparet, oculumue afficit, idem esse.

Lucret. IV. 365. &

Non est vero etiam, cur falli visum dicant, cum videmus umbram in sole moveri, sequi nostra vestigia, ac gestus nostros imitari. Siquidem aliud nihil est umbra, quam aer lumine privatus; & quia procedentibus nobis,

bis,

bis; terra succedenter nunc hic, nunc illic privatur, solis lumine, uti & quo erat ante privata, id succedenter recuperat: fit quidem, ut umbra videatur & locum mutare; & nos consequi; at non ideo tamen oculi falluntur; quatenus illorum solummodo est, contueri lucem, contueri umbram, quocumque tandem loco sit; pronunciare autem, eam lucem, vel umbram, quæ hic est, eandem esse, aut aliam, quæ mox fuit illic, hoc non illorum opus est, sed mentis, sive animi, cujus munus est discernere, ac opinari; adeo proinde, ut quicquid hic falsitatis intervenit, id sit opinioni, non sensui tribuendum.

Lucret. IV, 388. Idem porro etiam proportione dicendum est, ad sexcenta alia, quæ obiici solent, cujusmodi illa sunt; de navi visa immota, ac prætereunte littore; de sideribus quiescere visis; de montibus dissitis, & procul tamen visis conjunctis; de circumcursatione post gyrationem pueris apparente; de sole proxime montes viso, cum tanta spatia interiaceant; de tanto spatio sub aqua viso, quantum inde ad coelum est; de flumine, dum traiicitur, in caput suum relabi viso; de porticu visa abire in angustum; de sole viso ex undis emergere, in undas demergi; de remis inflexis, seu refractis visis; de nocturnis sideribus præter nubila properare visis; de rebus ob distortam pupillam geminatis visis; & quæ id genus alia sunt.

## CANON III.

*Opinio illa vera est, cui vel suffragatur, vel non refragatur sensus evidentia.* Laer. X, 34.

SEnsus evidentiam hic voco illam sensionis, phantasiæve speciem, cui, remotis omnibus ad iudicandum obstaculis, ut distantia, ut motu, ut medio affecto, & quæ alia sunt eiuscemodi, contradici non potest. Unde & quæstione facta, an res, qualis apparet, talis sit, non est temere pronunciandum, sed observandum illud est, quod dicere soleo προσμενόμενον, expectabile: quasi scilicet expectandum sit, quousque modis omnibus, quibus fieri potest, res expensa sit, atque explorata.

Suffragatio autem a me dicitur comprehensio per evidentiam facta, quod opinabile tale sit, quale fuerimus prius opinati. Veluti, Platone procul accedente, coniicio quidem, & opinor, quantum per intervallum licet, esse eum Platonem; at vero, cum appropinquarit, & intervallum sublatum est, tunc fit attestatio, quod Plato sit, suffragatioque per ipsam rei evidentiam habetur. Sextus adu. Mathem p. 177.

Non refragatio vero dicitur consecutio rei inevidentis, quam supponimus, & opinamur ad quippiam apparens, sive evidens respicientes. Uti dum dico esse inane, quod quidem est inevidens, id per rem evidentem, ut puta per motum suadetur. Quippe inani non existente, neque motus futurus est; cum corpus movendum loco destituatur, in quem se recipiat; quod omnia plena, pressaque sint. Quo fit, ut rei inevidenti id, quod est Ib. D.

appa-

apparens, seu evidens, non refragetur, videlicet motus cum sit.

Itaque suffragatio, & non-refragatio criterium est, quo verum esse quidpiam probatur. Adhibendus autem est ad hunc Canonem

## CANON IV.

Sent. p. 377. E. *Opinio illa falsa est, cui vel refragatur, vel non suffragatur sensus evidentia.*

Ibid. QUo loco refragatio est quippiam oppositum non-refragationi; siquidem rei evidentis una cum inevidenti supposita, coeversio est. Quemadmodum, exempli gratia, dicunt aliqui non esse inane; cum hoc autem supposito coeverti debet, quod evidens est, motus nimirum; quandoquidem, si inane non sit, necesse est motum quoque non esse, prout iam declaratum est.

Ib. & p. Pari autem modo non-suffragatio suffragationi opposita est, videlicet subversio est, qua constat non esse opinabile, cujusmodi fuerat opinione conceptum. Ut, quopiam procul accedente, eum, pro intervalli ratione Platonem esse coniicimus; sublato autem intervallo, constat nobis per evidentiam, quod Plato non sit. Atque talis quidem est non-suffragatio; nam opinioni præhabitæ res evidens non suffragatur. Itaque sicut suffragatio, & non-refragatio criterium est, quo aliquid verum probatur; ita refragatio & non-suffragatio criterium, quo quidpiam evincitur falsum; ipsaque interim evidentia, basis ac fundamentum

ex Macro b seu 12. VIII. 14. Gassend. ad Laert. X. p. 152. est, cui innititur omnis recta de vero, falsoque opinio.

Præterea autem evidentiam interdum uno sensu haberi, ut circa proprium sensibile; interdum etiam pluribus, ut cum sensibile est commune, sicut magnitudo, & figura; distantia & situs; quies & motus; aliaque id genus, quæ possunt visu, tactuque percipi; ac nisi sensu uno, saltem alio manifesta evadere, quomodo quoque interdum fit, ut propter varias qualitates advocati possint sensus varii, ut, quæ evidentia non habetur uno, obtineatur alio, veluti cum visu discerni non potest, panisne oblatus sit verus, an fictus; advocari potest gustatus, quo, utrum sit, fiat evidens.

Hoc vero insinuo, ut admoneam, postquam omnia rite expenderimus, adhærendum esse iis rebus, quas coram positas habemus, ac usi quidem sensibus, sive communibus circa sensibilia communia, sive propriis circa propria; quippe cum standum sit universe omni evidentiæ, quæ in promtu est iuxta unum quodque, sed istud præsertim criterium; ac omnino tenere istud, quasi inconcussum principium oporteat, ne aut Criteria, quæ stabiliuntur per evidentiam, evertantur, aut error pari robore, quo veritas constabilitus, omnia susque, deque perturbet.

Nihil necesse est autem, repetam, speciatimve admoneam, quid sit agendum circa allatum de turri procul terete, rotundave visa, exemplum: oportere enim ex deductis constat, priusquam aliquid pronuncietur, & exspectare, & accedere cominus, qualis & eminus appareat. Ibid. 34.

Unum generatim duntaxat inculco, videlicet, nisi servata, quo di-

dictum est modo, veritate sensuum, id quod est opinabile, distinguas in id, quod expectabile est, tempusve (quasi nondum debite persp. pectum) deposcit, priusquam quale sit pronuncietur, & in id, quod præsens, positumve coram, exploratumque est; fore ut vana penitus opinione te ipsum conturbes. Sin autem id omne, quod heic appellatur expectabile, cum opinabilia mente agitabuntur, firmiter habueris, ut tale, neque leviter præterieris, quasi constans, & admittendum id, quod, nullius evidentiæ suffragium habens, falsum est; fore eo casu, ut te geras pro eo, qui ab omni ambiguo cavet, attenditque sollicite, quale omne iudicium sit, quod de re opinabili aut recte, aut perperam fertur.

## CAP. III.

*Canones de prænotione, anticipationeve criteriorum altero.*

UT iam de ipsa prænotione, seu anticipatione dicamus, videntur posse quoque de ipsa quatuor institui Canones.

### CANON I.

*Omnis, quæ in mente est anticipatio, seu prænotio, dependet a sensibus; idque vel incursione, vel proportione, vel similitudine, vel compositione.*

INtelligo autem notionem, seu quasi ideam, ac formam, quæ anticipata dicatur prænotio, gigni in animo incursione, seu mavis incidentia, dum res directe, & per se incurrit, inciditue in sensum, veluti homo coram spectatus. Proportione vero, dum notio, aut forma ante habita amplificatur, aut extenuatur, sed partium tamen numero, situ, figuraque servatis, cum congrua cuiusque magnitudine, ut dum viso iustæ magnitudinis homine, deformamus animo speciem, amplificando quidem gigantis, extenuando vero pygmæi. Similitudine, dum instar rei, quæ fuerit prius sensu percepta, similem aliam imaginamur; ut, dum civitatem non visam visæ instar concipimus. Compositione denique, dum quas duarum aut plurium rerum distinctas notiones habemus, in unam quasi compigimus, ut dum equi, & hominis notiones ita adunamus, ut, quæ Centauri sit, consurgat; sed nempe ratiocinio ad hoc nonnihil conferente.

Laert. X, 32. Ex Sext. Clem. Alex. & Cicer. Gassend. ad L. X. Epic. p. 115.

### CANON II.

*Anticipatio est ipsa rei notio, & quasi definitio, sine qua quidquam quærere, dubitare, opinari, imo & nominare non licet.*

Laert. X, 33.

QVippe nomine anticipationis, prænotionisve, intelligo comprehensionem animi, opinionemve quandam congruam, sive mavis intelligentiam menti defixam, existentemque quasi memoriam, monimentumve eius rei, quæ extrorsum sæpius apparuerit, (quamve mens in se aliquo expositorum modorum deformaverit) cuiusmodi est v. c. idea, seu forma, atque species illa, ad quam respicientes, dicimus apud nosmet ipsos. Tale quid est homo. Quippe simul atque audimus pronunciari hanc vocem, homo, illico hominis effigies intelligitur, iuxta deformatam in animo prævijs sensibus anticipationem.

Quamobrem, quæ res cuique voci primo præcipueque subiecta,

ani-

animo apprehendatur, est quidpiam perspicuum, atque evidens; neque enim, dum quid quærimus, aut de eo hæremus, quidpiamve opinamur, id faceremus, nisi illius prænotionem iam haberemus. Veluti, quando quærimus, id, quod procul apparet, equusne, an bos est? Quippe aliquando vidisse, anticipationeque novisse equi & bovis formam oportet. Sane enim alioquin, ne nominaremus quidem aliquid, nisi prius quandam illius effigiem anticipatione notam teneremus.

Ex his autem fit, ut si requiratur; quid quæpiam res sit; illam definiamus, sive describamus, quatenus se habet, quam in animo habemus illius anticipationem. Neque id modo, cum quid, qualisve res singularis sit, rogamur, v. c. quid, aut qualis sit Plato; sed etiam, cum quid, qualisve sit universalis, ut homo, non iste, aut ille, sed generatim consideratus. Nimirum id fit, prout mens, visis pluribus singularibus, variisque discriminibus illorum quasi sepositis, anticipationem eius, quod commune habent, effingit, ac in se defigit, quasi universalem notionem, ad quam respiciendo, dicimus hominem, v. g. esse aliquid animatum, ac tali forma præditum.

CANON III.

*Est anticipatio in omni ratiocinatione principium; quasi nempe id, ad quod attendentes, inferimus unum esse, idem, aut diversum, coniunctum, aut disiunctum ab alio.*

Etenim, dum quid sive enunciando, sive ratiocinando opinamur, id a quapiam re prius evidente dependet; utpote ad quam attendentes, cogitationemve nostram referentes, inferimus id, de quo agitur, tale esse, aut non esse; hoc est, idem, aut aliud cohærens, aut non cohærens cum illo. Sic enim, si probandum sit, hoc, quod videmus, hominem esse; ad prænotionem de homine habitam sic respicimus, ut nihil hærentes dicamus, homo est quidpiam animatum, ac tali forma præditum; hoc, quod video, & animatum, & tali forma præditum est. Quare hoc, quod video, est homo, vel non est illud animatum talive forma præditum; quare istud homo non est.

Non est vero necesse, omnia exquisitis, ut cuiusmodi a Dialecticis iactantur, confirmare rationibus, scrupulosisve ratiocinandi formis. Nam interest quidem inter argumentum, conclusionemque rationis, & inter mediocrem animadversionem, atque admonitionem: quod altera occulta quædam, & quasi involuta aperiantur, altera promta & aperta, iudicentur. Verum ubi anticipationes, quales oportet, extiterint, tum citra ullum artificium, dialecticamque machinationem, & perspicue dignoscitur, & sponte naturæ infertur, quid ex iis vel sequatur, vel non sequatur; seu quid illis congruum, incongruumve sit; adeo proinde, ut nihil aliud curandum sit, quam ut claræ & distinctæ de rebus anticipationes habeantur.

## CANON. IV.

Sextus Empir. p. 227. Cp. 230. C.

*Quod inevidens est, ex rei evidentis anticipatione demonstrari debet.*

NEmpe hoc est, quod mox dicebam, debere perspicuas, evidentesve esse anticipationes rerum ex quibus quidpiam inferimus, & de quibus opinando sumtiones, seu propositiones quasdam facimus, quæ sint effata, sive principia, quibus demonstrari illud, quod infertur, sive concluditur, censeatur. Est enim demonstratio, oratio, quæ per sumtiones concessas colligendo aperit non manifestam veritatem. Quomodo, ut dari inane, quod immanifestum est, demonstretur, supposita inanis anticipatione, itemque anticipatione rei evidentis, cuiusmodi est motus, sumtiones istæ præmittuntur: Si motus est, inane est; Atqui motus est, tumque infertur. Ergo est & inane.

Hoc loco autem motus accipitur quasi argumentum, seu medium, aut, si mavis, signum, quod proprie res esse sensibilis debeat. Sensus enim est, iuxta quem necessarium est facere ultimo ad id, quod occultum est, ratiocinando coniecturam. Tametsi tale signum, seu medium non semper necessariam cum eo, quod infertur, habet connexionem; sed est interdum contingens solum, seu probabile, & quod aliter se habere possit.

Huiusmodi autem sunt multa, ex quibus ratiocinamur, de rebus præsertim sublimibus, utpote, quæ fieri non uno, verum pluribus modis possint, ut iam ante insinuatum est.

Cic. de Nat. De. ori. 39.

Potest quin etiam huc spectare, quam dicere Ἰσονομίαν, æquilibritatem, æquabilemve tributionem soleo; iuxta quam infertur, posito uno contrariorum in rerum natura, poni debere & alterum; ut cum ita ratiocinor: Si mortalium tanta multitudo sit, esse immortalium non minorem; &, si quæ interimant, innumerabilia sint, etiam ea, quæ conservent, infinita esse debere.

Quod superest, adversus illos, qui demonstrationem ullam dari negant, hoc uti ratiocinio licet. Aut intelligitis, quid sit demonstratio, aut non intelligitis. Et si intelligitis quidem, habetisque eius notionem, igitur demonstratio est. Si vero non intelligitis, quomodo id requiritis, quod ne animo quidem assequimini? Sextus Empiric. adv. Logic. 2. 455.

Cum vero ipsi iidem sint, qui fidem sensuum abrogent, ac nihil sciri profiteantur; annon, cum se quoque fateantur nihil scire, idipsum, an sciri quidpiam possit, nesciunt? Non igitur adversus illos, quod capite retro insistant vestigia, esse videtur contendendum sed si dicant tamen, & ego concedam id ab illis sciri, percontabor iure; cum ante nihil verum in rebus ipsis viderint, undenam quid rei sit scire, quid vicissim nescire, sciant? Laert. L. IV. v. 471. seq.

## CAP. IV.

*Canones de affectione, passioneque criteriorum postremo.*

DEnique & circa affectionem, passionemve, quam esse dixi voluptatem, atque molestiam, esse possunt Canones quatuor. Laert. X. 34.

## CANON I.

Laert. X. 318

*Ea voluptas, quæ nullam habet annexam molestiam, amplectenda est.*

## CANON II.

*Ea molestia, quæ nullam habet voluptatem annexam, fugienda.*

## CANON III.

Laert. X, 34. *Ea voluptas, quæ aut maiorem voluptatem impedit, aut graviorem molestiam parit, fugienda.*

## CANON IV.

Ib. *Ea molestia, quæ aut maiorem avertit molestiam, aut uberiorem voluptatem creat, amplectenda.*

HÆc disserenda in Ethicis fusius. Interim autem totum hoc de voluptate sic præcipio, ut voluptatem ipsam per se, quia voluptas sit, optandam, expetendamque putem: eademque ratione dolorem, seu molestiam, ob id ipsum, quod dolor sit, semper esse fugiendum. Unde & censeo, esse sapientem hac compensatione usurum, ut voluptatem fugiat, si ea maiorem dolorem effectura sit; & dolorem suscipiat, maiorem efficientem voluptatem. Ipse certe recessurus a voluptate sum, dolorem etiam appetiturus, si aut voluptati imminebit pœnitentia, aut dolor minor pro graviore sumetur.

## CAP. V.

*Canones circa usum vocum.*

Laert. X, 34. NUnc, ut, quod posteriore loco attingendum susceperam, subiiciam pauca de vocum usu, & eo quidem maxime, qui in disserendo attenditur; videntur posse duo Canones circa illum sufficere; alter pro illo, qui loquitur; alter pro illo, qui ipsum audit. Ii autem sunto huiusmodi.

## CANON I.

*Dum loqueris, diligenter voces communes, ac perspicuas; ne aut ignoretur, quid velis, aut interpretando tempus frustra teras.* Laert. X, 13.

## CANON II.

*Dum audis, id enitere, ut vim subiectam vocibus teneas; ne te vel præ obscuritate lateant, vel præ ambiguitate deludant.* Laert. X, 37.

SCilicet ante omnia res subiectas vocibus, seu quid voces significent, tenere oportet, ut habeamus quo respicientes, quæcunque sive opinamur, sive quærimus, sive ambigimus, diiudicare tuto possimus; ne, si omnia nobis iniudicata prætereant, tum illi, qui nobis demonstrare aliquid volunt, in immensum procedant; tum nos nihil aliud, quam verba, inanes voces habeamus. Necesse est enim respicere nos, ad cuiusque vocis notionem, significationemve primariam, ac nullam ad eam comprehendendam demonstratione indigentem; si habituri quidem sumus, quo illud, de quo quæstio, dubitatio, aut opinio est, referamus. Ib.

Exinde autem efficitur omnis in quærendo, quæ via quadam, & ratione habetur, oratio, præscribere primum debeat, ut quibusdam formulis ea res agatur, ut inter quos disseritur, conveniat, quid sit id, de quo disseritur; adeo, ut si cui non conveniat, sed lubeat magis cavillari, ambiguoque ludere, differendum cum eo non sit, nisi cogendus identidem sit, quid intelligat, planum facere; nempe & assertiones hoc modo [illegible] tiones eius, [illegible]

non tam quempiam illaqueabit, quam se ipse Sophistam ridiculum prodet.

PARS PHILOSOPHIÆ II.

QUÆ EST

*Physica, sive de natura.*

AGgredi jam Physicam decet; quam & Physiologiam soleo dicere, quod sit sermo quidam, & ratiocinatio circa rerum naturam, in qua contemplanda tota occupatur.

Dictum porro iam ante est, esse eum nobis illius scopum, ut ex perspectis rerum naturis, nihil in nobis perturbationis seu a rebus sublimibus, seu a morte, seu ab ignoratis cupiditatum finibus, seu undelibet suboriri possit. Cum vero tam multa, ac tam varia sint, quæ hæc contemplatio ambitu suo complectitur, esse perutile videtur, si quibus forte implicitis profundiore aliquo studio liberalium disciplinarum, aut præ occupatione alia, non vacet omnia sigillatim, exquisiteque cognoscere; saltem apparatum habere idoneum aliquod totius de natura scientiæ compendium, ut quandocunque animum ad argumenta rerum præcipua advertere voluerint, possint ipsimet sibi opem ferre; pro eo certe modulo, quo ipsam naturæ contemplationem attigerint.

Laert. X. 34.

Sane vero iis etiam, qui in rerum omnium, de quibus tractat Physiologia, speculatione sunt provectiores, perutile est, compendiosa quadam tractationis totius idea, ipsarum rerum, per capita summa digestarum, memoriam tueri; scilicet crebro evenit, ut generali quadam rerum inspectione indigeamus, disquisitione speciali non item.

Ib.

Ib. 36.

Quamobrem hæc via tenenda, ac deinceps id studii in excolenda memoria adhibendum continuo est ut & ipsa ad res attentio constans, facilisque evadat, & ex rerum formis, seu notionibus, generaliter comprehensis, animoque defixis, ac aliunde iuxta prima principia, iuxtaque voces, quibus explicantur, expensis, si quid fuerit specialiter disquirendum, inveniri possit. Quippe ubi talis constantia, facilitasque parata est, & animus est generali, eaque exquisita informatione præditus, efficitur, ut celeriter perspicere, si quid libeat, liceat. Dico interim etiam iuxta voces, quandoquidem fieri non potest, ut cohærens summa generalium capitum crebro memoria repetatur, nisi quidvis ita contineat, ut vocibus paucis explicari possit; idque etiam, ubi aliquid exploratum speciatim fuerit.

Ex quo proinde efficitur, ut cum isthæc agendi ratio sit maxime utilis iis, qui sunt Physiologiæ nati, deditique, autor sim illis eiusmodi in Physiologia operæ, (& maxime quidem, si genere vitæ tranquillo fruantur) ut ipsimet sibi talem quampiam epitomen, & quasi per capita summa informationem conficiant. Sin ipsi non possint, aliunde saltem habeant, cuiusmodi nos aliquoties, ut studiosos adiutaremus, alacriter confecimus, sperantes, si, quæ edisseruimus, mente accurate, quantum licet, teneantur, tametsi quis non excurrat ad omnia, quæ disquiri possunt, argumenta specialia,

cialia, fore tamen, ut Physiologiæ copiam, præ reliquis hominibus incomparabilem consequatur. Nam ex seipso bene multa ex iis, quæ in opere universaliore habentur, comprehendet; & illa quoque ipsa memoriæ committens, iuvabit se ipse, & continuo proficiet.

Quippe hæc eiusmodi sunt, ut & qui non mediocriter particularia iam discusserunt, & qui se perfecte huiuscemodi cogitationibus dedideruńt, complures de tota natura dissertationes instituere, ac perficere valeant. Et quicunque ex ipsis fuerint in his penitus consummati, illi tacite secum cogitantes possint dicto citius, & tranquille percurrere, quicquid rerum est in Physiologia præcipuarum.

Sed ne in limine amplius hæream, cum tam multa, ut dixi, ac tam varia sint, quæ Physiologia continet, operæ pretium videtur illa in sectiones quasdam præcipuas partiri, quas liceat deinceps sigillatim prosequi, & quod speciatim ad unamquamque attinuerit, ad ea referre.

Videntur autem huiusmodi sectiones esse posse quatuor. Prima, de universo, seu natura rerum quę nempe & hunc mundum, & cetera omnia, quæ sunt extra ipsum, complectitur. Secunda, de mundo, isto puta, in quo nos sumus, & ex quo capere coniecturam de aliis innumeris licet. Tertia, de rebus humilibus, hoc est, de humo sive terra, cui ipsi hæremus, deque rebus, quæ in ea sunt. Quarta, de rebus sublimibus, seu quæ supra terram, sursumve ad ipsa visuntur ac fiunt.

## SECT. I.

### *De Universo, seu Natura rerum.*

ITaque, ut a tractatione de universo exordiamur, constat sane id tale dici, quod universa contineat, hoc est, præter istum mundum etiam alia, unde totum quoque, & omne vocatur, cum ipsi quoque & summam rerum, & naturam rerum dicere soleamus. Lucret. I. 334. VI. 679. Laer. X. 39.

Videmur autem debere primum generatim dicere, ex quibus universum constet; deinde ex quibus tam multa in universo fiant; tum a quibus fiant, postea quales fiant, denique tum quomodo fiant, tum quomodo etiam intereant.

### CAP. I.

#### *Constare Universum ex corpore, & inani, seu loco.*

PRincipio ergo universum ex corpore, & inani constat; neque enim tertia natura concipi mente præterea potest. Laert. I. 39. 40. Lucret. I. 420.

Intelligitur autem corpus ex congerie veluti quadam magnitudinis, sive molis, itemque figuræ, resistentiæ, (seu soliditatis ac impenetrabilitatis,) & gravitatis, tale præterea, ut ipsum solum tangi possit, & tangere. Sext. Empir. c. Phys. confer. Gassend. ad Laert. X. p. 167.

Inane vero, seu vacuum, quod opponitur corpori, ac solum, seu proprie, & per se incorporeum est, ex horum negatione intelligitur, maximeque ex eo, quod natura intactilis sit, expersque omnis soliditatis, & nihil neque pati possit, neque agere; sed motum duntaxat liberrimum transeuntibus per se corporibus præbere. Laert X. 40. Lucret. I. 335. 435. sq. 455.

Scilicet hæc natura est, quæ destituta corpore, appellatur inane; Plut. Pl. I. 18.

occu-

occupata a corpore, locus; trajecta a corpore, regio; spectata, ut diffusa, intervalum, seu spatium.

Laert. X. 39. Lucret. I. 423. Et quod sint quidem in universa corpora, attestatur sensus; ex quo aliunde ducere conjecturam necessum est, ad id, quod est immanifestum, ut superius jam attigi. Certe non aliud sunt hæc omnia, quæ adspectamus, quæ tangimus, quæ versamus, quæ ipsi sumus, quam corpora.

Laert. X. 40. Lucret. I. 33. q. 427. Esse vero etiam inane, ex eo manifestum fit, quod nisi rerum natura esset, non haberent corpora, neque ubi essent, neque qua motus suos obirent, cum moveri ea quidem res evidens sit.

Sane, si plena forent omnia, & materia rerum veluti stipata; non possent non esse omnia immobilia; quia nec moveri quicquam posset, nisi omnia protruderet, neque locus porro, in quem quicquam protruderetur, esset. Quod enim aliqui respondent, posse pisces ideo moveri, quod relinquant locum post se, in quem pulsæ prorsum, & cedentes locum undæ recipiantur; non advertunt primam, quæ prorsum fit, impulsionem inchoari non posse; quia nondum locus ullus est, neque retro, neque ad latius, in quem recipi aqua possit. Adeo proinde, ut sit necesse, intercipi rebus, ac fluidis præsertim, spatiola inania, in quæ pulsæ particulæ ita recipiantur, ut compressione facta, locus fiat, versus quem impellens corpus promoveatur, ac interim pone locum deferat, in quem compressum fluidum sese explicet, ac veluti refluat.

Lucret. 490. Prætereo autem alia argumenta, ut, quod fulmen, aut vox per domorum septa penetrare non valeat: neque item ignis penetrare in ferrum, aurum, metalla cetera, nisi in illis sint spatiola inania intermista. Quod rursus, cum sit gravitas propria corporum, non possit ipsum rerum pondus majus, minusve fieri, nisi, prout minus ampliusve inanis intermistum habent.

Cum vero inane incorporeum sit, ita penetratur a corporibus sive inexistentibus, sive prætervadentibus, ut invariatum maneat, dimensionesque, quibus ipsis coæquetur, easdem tueatur. Unde & assumta inanis recta, recta quidem est; sed non contorquetur nihilominus cum corpore a quo occupatur; quoniam inane neque ex toto, neque ex parte mobile est.

Quo fit, ut cum notio sit loci capere locatum, coextendi ipsi, cum eo non moveri, neque ipsum deserere, ne aut corpus moveatur & non mutet locum; aut locum mutet, nec tamen moveatur; ideo soli inani competat, ut locus sit, sive loci naturam habeat, quando ipsum solum & dimensionibus suis incorporeis, in longum, latum, ac profundum locato coextenditur, exquisiteque ipsi adæquatur; & ita est immotum, ut seu corpus accedat, seu abscedat, seu hæreat, idem ac invariatum constet.

Lucret. I. 431. sq. Quod dixi porro, non posse tertiam præterea naturam mente concipi, ideo est, quod, seu concipi dicas comprehensive, (quomodo ea, quæ per se, directeque in notitiam cadunt, percipiuntur,) seu comparate ad ea, quæ comprehensa fue-

fuerint, (quomodo ea intelliguntur, quæ per proportionem solam innotescunt, ut citra anticipationem dictum est,) id quodcumque concipitur, aut aliquam molem, soliditatemque habeat, sicque corpus sit; aut omni prorsus mole, ac soliditate careat, sicque sit inane. Intellige hoc tamen, si modo concipiatur, ut quædam per se existens, subsistens, cohærens natura; non vero quasi quoddam illius coniunctum, eventumve, seu accidens.

Lucret. I, 450. Nempe cum coniunctum sit proprietas, quæ tolli a re, cuius est, sine eius pernicie non potest, ut tactilitas a corpore, intactilitas ab inani; & concretius, pondus a saxo, calor ab igne, liquor ab aqua: eventum autem seu accidens, cuius adventu, abituque natura manet incolumis, ut libertas, & servitus, paupertas, & divitiæ, bellum, & pax &c. idcirco hæc omnia, non tertiam quandam per se naturam, quæ nimirum sit a corporea, incorporeaque diversa, constituunt, sed solummodo tanquam aliquid ad alterutram attinens, se habent.

## CAP. II.

Laert. X, 41. Lucr. I, &c.

### *Esse Universum infinitum, immobile, immutabile.*

IAm Universum ex inani, & corpore constans, infinitum est. Id enim, quod finitum est, extremum habet, Quod vero extremum habet, id ex alio quopiam cernitur, seu ex intervallo, extra assumto cerni potest. At universum ex alio quopiam extrinsecus non cernitur: quippe cum nihil sit intervalli, seu spatii, quod intra seipsum non contineat; alioquin enim universum nisi universum spatium contineret, non foret. Quare neque habet extremum. Quod porro non habet extremum, id neque finem habet. Quod vero finem non habet, id non finitum sane, sed infinitum est.

Confirmatur autem, quia si extremum fingas, & supponas quempiam in eo constitui, qui valida vi telum extrorsum vibret, aut telum procedet, aut non, sed cogetur consistere. Et si procedat quidem, est ergo extra locus, quocirca & illic non fuit extremum; sin minus, ergo est aliquid exterius, quod motum inhibeat: sicque illic nec fuit extremum non fuit. Lucret. I, 967. sq.

Porro infinitum esse universum comperit, & multitudine corporum, & magnitudine inanis; idque infinitatibus sese invicem, alternisque, seu ex ordine protendentibus. Nam, si inane quidem infinitum, & corpora finita forent, tum corpora, quæ in perpetuo sunt motu, (ut dicendum non multo post) nusquam consisterent, sed per infinitum inane dispersa ferrentur, tanquam nihil habentia, a quo fulcirentur, compescerenturque variis retusionibus. Sin vero inane finitum, corpora infinita forent; tum non pateret locus, in quo existere infinita corpora possent. Idem. Laert.

Hinc proinde ipsi universo, infinito spatio non ita attribuendum est esse supra, ac infra, ut quidpiam esset in universo supremum, quidpiam infimum; nisi illud quidem, concipiendo spatium, quod est supra caput, non in infinitum protendi; hoc vero, cogitando Adde Gassend. ad Laert. X, p. 222.

tando

tando illud, quod sub pedibus, non in infinitum produci; perinde, ac si tam illud, quod supra, quam illud, quod infra, ad aliquid unum, idemque determinaretur; uti fit ad nos, aut ad medium huiusce mundi, altera partium ejus extremarum cogitata suprema, altera infima: in infinito scilicet, quod æque ut extremis, ita medio caret, mente assequi id non licet,

Quamobrem præstabilius est, assumere unam aliquam motionem, quæ sursum procedere in infinitum intelligatur; & pari ratione aliam, quæ deorsum, tametsi proinde illud mobile, quod a nobis, versus loca vertici nostro imminentia, feretur, millies occurrat ad eorum pedes, qui supra sint, quique id advenire inferne opinentur, (aliis scilicet cogitatis mundis,) aut quod a nobis versus regionem pedibus subiectam, ad verticem eorum, qui infra, quique idcirco adventare superne credituri sint: nihilo enim minus tota utraque opposita motio intelligitur procedere in infinitum.

Laert. X 41. Hisce est consentaneum, ut universum tale semper fuerit, quale & iam est, & quale iam est, tale semper futurum sit. Quippe & nihil est, in quod, quasi naturam universi habere desinat, mutetur & præter complectens omnia universum, nihil est, quod in ipsum irrumpens, sit illi mutationis causa.

Iure ergo habetur universum, ut immobile, prout extra illud nullus locus est, in quem emoveatur; sic & immutabile, quatenus neque decrementum, neque incrementum accipit, & ortu, interituque caret; ac proinde æternum est, sive durationis principium, finemque non habet.

Ac moventur quidem, mutanturque intra ipsum multa: verum, & qualescunque motus, mutationesve accipiantur, nullius plane momenti sunt, si ad ipsam universi immensitatem comparentur; & non ideo totum ipsum universum aut movetur alio, aut mutatur in aliud, & non propterea non semper idem, quale semper fuerit, esse perseverat; quoniam pares semper motiones, mutationesque in eo fuerunt; adeo proinde, ut dicere liceat, nihil in universo novum fieri, præter id, quod in temporis infinitate est iam factum.

## CAP. III.

### De Divina in Universo Natura.

Ceterum, priusquam dicatur de rebus, quæ in universo generantur, & corrumpuntur, deque Principiis, ex quibus fiunt; merito præmittenda est, & quasi habenda præter ordinem, quæ est de natura divina tractatio; tum ob summam eius naturæ præstantiam; tum quod tametsi ex genere corporeæ naturæ sit, non tamen tam corpus, quam quasi corpus sit; nihilque adeo commune habeat cum ceteris corporibus, hoc est, caducis seu orientibus, atque intereuntibus rebus.

Cum vero illud primum requiri de natura divina soleat, aliquane in universo sit? Videtur tamen res non debere prorsus verti in controversiam; quod Deorum notionem in animis impresserit ipsa natura. Quæ est enim omnino gens, aut quodnam genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem aliquam Deorum? 1. Cic. de Nat. Deor. l. 1.

Quamobrem, cum non instituto

aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensio; intelligi necesse est, esse Deos; quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus: de quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. Esse igitur Deos confitendum est.

Lucret. V, 1182. Ac videri quidem possunt homines, cum cernerent cœli rationes, & varia annorum tempora verti, & redireque certo ordine: neque possent, quibus id caussis efficeretur, cognoscere; id sibi perfugium habuisse, ut Diis omnia tribuerent, facerentque, eorum nutu omnia flecti, ac simul in cœlo ipsos collocarent, quod revolui in cœlo solem, lunam, ac stellas conspicerent: at quomodo ista Diis attribuissent, nisi prius esse Deos cognovissent.

Lucret. V, 1168. An ergo potius Deorum notitiam hauserunt ex somniorum visis? Potuerunt certe magis quibusdam, & humana forma incurrentibus per somnium imaginibus, existimare, esse revera aliquos huiusmodi humana forma præditos Deos. Potuerunt, inquam, dum non tam in somnis, quam cum inter vigilandum meminissent, apparuisse sibi in somnis præclaras illas imagines, adeo grandes, adeo cohærentes, intelligere, nihil repugnare, imo oportere, ut extarent alicubi consimiles ipsis naturæ, quæ & sensus, seu intelligentiæ capaces forent, propterea, quod membra movere, vocesque mittere cernebant, & immortales essent, propterea, quod illarum semper suppeditaretur facies, quod forma maneret, quod ea granditate foret, ut non temere ulla vi convinci posse viderentur: & beatæ præterea, quod neque mortem metuerunt, neque ullum ex iis, quæ efficerent, caperent laborem.

Potuere & ratiocinando, illa *ἰσονομίᾳ* seu æquabili tributione uti, Cic. de Nat. Deor. l. 19. qua, de criteriis cum ageremus, effici, diximus, si mortalium tanta multitudo sit, esse immortalium non minorem; &, si quæ interimant, innumerabilia sint, etiam ea, quæ conservent, infinita esse debere.

Utcunque fuerit, illud certe ex anticipatione habemus, ut Deos beatos, & immortales putemus. Cic. de Nat. Deor. l. 17. Quæ enim nobis natura informationem deorum ipsorum dedit, eadem insculpsit in mentibus, ut eos beatos, & æternos haberemus. Quod si ita est, vere exposita est nostra illa sententia, quod æternum beatumque sit, id nec habere negotii quicquam, nec exhibere alteri: Itaque neque gratia, neque ira teneri; quod, quæ talia sint, imbecilla sint omnia.

Ac, si nihil quidem aliud quæreremus, quam ut Deos pie coleremus, & ut superstitione liberaremur, satis esset dictum: nam & præstans Deorum natura hominum pietate coleretur, cum & æterna esset, & beatissima; habet enim venerationem iustam quicquid excellit; & metus omnis a vi, atque ira Deorum pulsus esset; intelligatur enim a beata, immortalique natura, & iram, & gratiam segregari, quibus remotis, nullos a Superis impendere metus: Sed ad hanc confirmandam opinionem, inquirit animus, & formam, & vitam, & actionem mentis, atque agitationem in Deo.

Ac de

Cic. ibi c. 18. Ac de forma quidem partim natura nos admonet, partim ratio docet. Nam a natura, habemus omnes omnium gentium, speciem nullam aliam, nisi humanam Deorum: quæ enim alia forma occurrit unquam aut vigilanti cuiquam, aut dormienti? Sed ne omnia revocentur ad primas notiones, ratio hoc idem ipsa declarat. Nam, cum præstantissimam naturam, vel quia beata est, vel quia sempiterna, convenire videatur eandem esse pulcherimam; quæ compositio membrorum, quæ conformatio lineamentorum, quæ figura, quæ species humana potest esse pulchrior?

Ib. Quod si omnium animantium formam vincit hominum figura; Deus autem animans est; ea figura profecto est, quæ pulcherrima sit omnium. Quoniamque Deos beatissimos esse constat; beatus autem esse sine virtute nemo potest; nec virtus sine ratione constare: nec ratio usquam inesse, nisi in hominis figura: hominis esse specie Deos confitendum est.

Velleius Epicurus ap. Cic. l. c. ead. 12. An vero, cum Deos esse hominis, animantisque specie dico, tale ipsis propterea, quale vulgo est hominum, animantiumque corpus tribuo? Id sane absit. Etenim non est quidem Deus res, ut Plato voluit, mere incorporea, quoniam, id quale esse possit, intelligi non potest: careat enim sensu necesse est, careat prudentia, careat voluptate: quæ omnia una cum Deorum notione comprehendimus: at non ideo tamen crassum corpus est, imo neque etiam quam potest subtilissimum ex atomis coagmentari: sed omnino est corpus sui generis, quod sane non sensus, sed mente cernatur, nec soliditate quadam, nec ad numerum, sed imaginibus, similitudine, & transitione perceptis, quodque comparatum ad ea, quæ vulgo occurrunt, appellanturque corpora, dici possit, esse non corpus, sed, quod iam dixi, quasi corpus, & v. c. non sanguinem, sed quasi sanguinem habere.

Obiter interim insinuo, non esse hoc qualecunque corpus coagmentatum ex atomis; quoniam sempiternum alioquin non foret, & ex ipso ortu consequeretur interitus, ex concretione dissipatio, sicque non esset sempiternum. Adeo proinde, ut *quatuor* quædam habenda, æterna, incorruptaque sint, nempe universum, cui nullus locus, in quem dilabi valeat, subsit; inane, quod nec tangi valeat, nec plagam ullam accipere; materies rerum, quæ nisi immutata subsisteret, ea, quæ dissolvuntur, in nihilum abirent; ac tandem natura divina, quæ & inconcreta est, & ob tenuitatem attingi, plagamque accipere non potest. Cic. Nat. Deor. I, 25. Lactant. de ira Dei c 10. ex Plut. Plac. Phil. I, 6. & Lucret. Gassend. ad Laert. X. p. 1186.

Quo fit, ut Physicorum quispiam maximo in errore versetur, cum eam dicit Deorum naturam quæ imagines fundat, mittatque ex se. Quippe hoc modo deripi ex illa aliquid sic posset, ut admitteretur exsolubilis; nonnulli vero perperam mentem nostram interpretentur, dum ex eo, quod plures admittimus mundos, ac dari proinde intermundia, hoc est, intervalla inter mundos dicimus, aiunt Deos a nobis metu ruinarum collocari in intermundiis. Siquidem, ut ipsum inane, sic Deorum natura longe Senec. de Benef. IV, 19.

est

est tenuior, quam, ut aliquid metuat ruinarum a corporibus: a quibus si metueret, in nullo magis loco, quam in intermundiis, tum, cum futurum esset, ut mundi dissolverentur, metuendum foret.

Ac designare quidem non licet, quibus in locis Dii degant, cum ne noster quidem hic mundus digna illorum sedes sit: sed dicere tamen universe licet, qualem poetæ olympum describunt, tales esse, ubicunque sint, beatas Deorum, quietasque sedes;

Lucret. lib. 3.

*Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis*
*Adspergunt, neque nix acri concreta pruina*
*Cana cadens violat, semperque innubilus æther*
*Integit, & large diffuso lumine ridet.*

Cic. de Nat. De. or. lib. 1.

Hinc, cum præterea requirtur, quænam vita Deorum sit, quæque ab iis degatur ætas; respondere licet, eam sane, qua nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari possit. Nihil enim agit Deus, nullis occupationibus est implicatus; nulla opera molitur: sua sapientia, & virtute gaudet; habet exploratum, fore se semper cum in maximis, tum in æternis voluptatibus. Hunc Deum rite beatum dixerimus, qui beatam vitam in animi securitate, & in omnium vacatione munerum ponimus: non vero qualem alii describunt, qui laboriosissimum inducentes, implicant ipsum operosis, molestisque negotiis.

## CAP. IV.

*De prima materia, sive de principiis concretarum in universo rerum.*

NUnc, ut ea, quæ suscepimus hic subiicienda, resumamus; Laert. X, 38. quia inprimis sensu manifestum est in rerum natura multa fieri, & multa quoque interire: ideo mente tenendum est, opus ad hoc esse materia, ex qua res gignantur, in quam resolvantur. Nempe, ex nihilo nihil fit, & in nihilum nihil abit. Nam si aliquid ex nihilo fieret, posset quidlibet undelibet nasci, tanquam seminibus non egens; & si illud, quod interit, in nihilum occideret, perirent prorsus omnia, tanquam non superstitibus iis, in quæ dissolverentur.

Deinde, quia, dum genitæ, factæve alicuius rei nosse naturam affectamus, illud primum requiritur, sitne ea unum quid, simplexque, an vero compositum ex aliquibus, quæ ipsa simplicia, prioraque sint; constat nihil genitum, factumve, unum simplexque esse posse; quippe cum partes habeat, ex quibus coaluerit, & in quas rursus dissolui possit; quæque & priores proinde, simpliciores que sint; &, si ipsæ adhuc compositæ fuerint, constare censeantur ex iis, quæ sint demum primæ, simplicissimæque.

Rursus itaque notum est, corporum alia esse concretiones, seu mavis, concreta, compositave corpora, alia, ex quibus concretiones, compositave corpora fiunt. Hæc autem, si prima, simpliciaque sint prima rerum materia sunt, dicunturque Principia, & a recentioribus etiam elementa.

Huiusmodi autem Principia, Laert. X, 40.

seu

seu omnium prima, simplicia, incomposita corpora, (sive malis, corpuscula) esse debent, & insectilia, nullave vi resolubilia: & hac ratione immutabilia, sive in seipsis mutationis omnis expertia. Nimirum si futurum est, ut in concretionum dissolutionibus omnia in nihilum non intereant; sed consistat, perseveretque plena quædam, seu vacui expers, solidaque adeo natura; quippe quæ talis cum fuerit, non habeat, qua parte, aut quomodo fissuram admittat, sicque dissolvatur.

Quamobrem & necesse est, ut ea, quę dicuntur Principia compositorum corporum, sint naturæ ut plenæ, solidæ, immutabilis, ita omnino insectilis; unde & atomos dicere solemus. Dicitur nempe atomus nobis, non quod minima sit, hoc est, quasi punctum (magnitudinem enim habet,) sed quod non possit dividi, cum sit patiendi incapax, & inanis expers; adeo ut, qui atomum dicit, dicat id, quod & plagæ securum est, & pati nihil potest, quodque invisibile quidem propter exiguitatem sit, sed indivisibile tamen, propter sui soliditatem.

## CAP. XV.

*Dari in natura rerum atomos, quæ sint concretorum corporum principia.*

Laert. X. 41 CEterum dari atomos allata ratio satis convincit; quoniam cum natura nihil ex nihilo faciat, redigatve in nihilum; oportet quidpiam superesse in concretionum dissolutione, quod inexsolubile sit. Sane enim, si adhuc exsolubile, divisibileve dicas, necesse erit, subdividendo, perveniatur tandem ad aliquid, quod sit solidum, divisionisque incapax; quippe cum neque ipsa natura infinite exsolvat, sed in aliquo ultimo consistat, neque dari ulla corporis in infinitum divisio possit.

In corpore certe finito non possunt partes infinitæ, neque magnitudinis, neque multitudinis accipi; neque adeo potest intelligi, in ipso peragi non modo illa in infinitum divisio, quæ in minus fit, seu quæ per partes semper minores, ac eadem quidem divisionis proportione semper servata procedit: verum illa quoque in infinitum progressio, quæ fit non per semper minores, sed quæ per æquales, seu aliquotas vocatas partes procedendo. Siquidem, cum partes, ut possint divisioni, progressionique in infinitum sufficere, admitti infinitæ debeant; quomodo tandem esse infinitæ in finito corpore possunt? Laert. X. 56

Illi profecto, qui semel dixit, esse in quapiam re partes numero infinitas, intelligere amplius, declarareque non licet, qua sit ratione finita ea, de qua loquitur, magnitudo; quoniam sive aliquantæ (æqualesve inter se) sive inæquales (semperve minores) sint partes, quæ reipsa debent in ea reperiri, ut possit divisio, progressiove in illas infinite fieri; manifestum est, magnitudinem, cuius partes sunt, quæque ex iis constat, & componitur, debere re ipsa esse infinitam. n. 59

Et cum aliunde magnitudo finita manifeste habeat extremum, extremamve partem, captu, ostensuque facile, nisi hæc quidem pars per se, & ut extrema spectari valeat;

leat; non licebit sane tametsi eam subdividamus, intelligere ullam aliam, quæ extrema potius habenda sit; cum illa nimirum dividua pari ratione sit futura. Quare & fiet, ut ulterius, consequenterque versus extremam in infinitum procedendo, perveniri nunquam, vel cogitando possit ad partem, quæ extrema sit; neque adeo unquam, ut vel minimum spatium percurri progrediendo valeat.

Lucret. I. v. 528. Hisce adde, quod nisi superessent in exsolutionibus corpuscula adeo solida, ut nulla vi exsolvi possent, non posset satis capi discrimen, quod inter corpus, inaneque est; utpote quod corporis, infinite tenuando, nihil, quod denique resisteret, subesset. Quo pacto aliunde omnia imbecilla, seu mavis mollia efficerentur; neque omnino fieri durum quicquam posset: quippe cum soliditas sola fundamentum sit duritiei. Neque est, quod idcirco hæreas, quasi, cum atomi fiant solidæ, fieri ex illis posse non videantur res molles. Siquidem molles possunt fieri sola intermistione inanis, in quod partes presse sese recipiant, tactuique cedant.

Id. v. 278. seq. Adde & tam multiplicem in natura constantiam, ut in provehendis semper animalibus ad certas usque virium, incrementi, ac vitæ metas; in imprimendis semper iisdem singulorum generum discriminibus, & notis; quæ præstitura sane non esset, nisi principiis uteretur certis, & constantibus; atque adeo dissolutioni, mutationique non obnoxiis.

## CAP. VI.

### *De Atomorum proprietatibus, magnitudineque inprimis.*

CUm omnes porro atomi videantur, ob expositam soliditatem, uniusmodi, eiusdemve naturæ esse; habent tamen quædam coniuncta, sive proprietates, & qualitates quasdam, quibus differre inter se possint. Huiusmodi autem solummodo sunt, magnitudo, figura, & pondus, & si quæ præterea cum ipsa figura cognationem habent necessariam, uti asperitas, & lævor. Nam color quidem, calor frigus, & qualitates ceteræ non atomis congeneæ sunt, sed concretorum propriæ, ortæque ex ipsis atomorum partim coniunctis, partim eventis, de quibus postea dicendum est. Plut. Plac. Phil. I. 4. Laert. I. 44. 54.

Attingo hic solum, si color v. g. ipsis inesset atomis, fore, ut tam esset intransmutabilis, quam ipsæ; sicque constante ex atomis, quæ uno essent colore, non possent illum commutare, & apparere alio, secus ac observamus fieri. Mare etenim spumescendo albescit, coloris alias cærulei; qui profecto, si illi inesset propter cæruleas atomos, converti in album colorem non posset: Quod enim dicunt aliqui, fieri contraria ex contrariis, id adeo repugnat, ut candida potius de nullo, quam de atro colore fint exoritura. Melius, qui censent, rerum materiam, ut varietatem subire colorum, qualitatumque aliarum possit, debere esse earum expertem, tuentur, eo modo; quo oleum destinatum odoribus, eiusmodi eligitur, quod sit maxime inodorum. Lucret. II. v. 729. seq.

Ut

Ut de singulis vero atomorum proprietatibus quidpiam attingamus; dum illis attribuo inprimis magnitudinem; non quantamlibet sane eam intelligo; neque enim atomus vel maxima est tanta, quæ cadere in visum possit, verum, quæ, licet sit infra sensum, aliquantula tamen sit, (neque enim, si atomi puncta essent, carerentve omni magnitudine, posset ex ipsis ullum corpus magnitudinis cuiusdam compingi) unde & fit, ut soleam dicere de atomo, quod sit parvum quid; videlicet, quasi non omnem, sed proceram solum magnitudinem ab ea excludendo.

Lucret. L. 1. v. 268. sq. Neque vero obstare debet, quod atomorum magnitudo non percipiatur sensibus: cum fateamur, necesse sit, *res, quæ visum fugiant*, innumeras esse, licetne enim videre ventum, calorem, frigus, odorem, vocem, aut corpuscula, quibus appellentibus hæc sentiuntur? Licetne corpuscula humoris, quibus vestes in littore suspensæ uvescunt, expansæ serescunt? Licetne ea, quæ deteruntur ex annulo diutius gestato, ex vertente cardine, ex sulcante vomere, ex lapide, quem gutta cavat, quem incedentium gressus deminuit? Licetne ea, quibus planta aut animal increscit pubescens, tabescit senescens; aliaque id genus,

Laert. X, 55. Non est interim reputandum, esse atomos omnes eiusdem magnitudinis: nam alias quidem in iis maiores, alias minores existere, rationi magis consonum est, & hac re admissa, plurium, quæ contingunt circa passiones animi, circaque ipsos sensus, reddi causa potest.

Lucret. IV, v. 115. Posse autem etiam infra sensum, magnitudinum varietatem incomprehensibilem dari, vel ex eo potest intelligi, quod animalcula quædam sint, quorum tertia pars, si divisa intelligantur, visum fugiat; & nihilominus ipsis compingendis necessaria sit partium incomprehensibilis multitudo. Quot enim, quæso, extent oportet ad conficiendum intestinum, ad conformandum oculos, ad componendum artus, ad contexendum animam, ad constituendum partes universe omnes, sine quibus intelligi animal, quod vivat, quod sentiat, quod moveatur, non potest? An possit, quasi rudi exemplo, varietas illa comprehendi ex ramentis illis pulveris, que solares radii fenestris traiecti demonstrant? Cum enim citra tales radios, cæca omnia, peræque sint, traiicientibus tamen radiis, innumera corpusculorum multitudo ita appareat, ut maiorum simul, minorumque diversitas maxima appareat. Ac non dico quidem, ut aliqui putant, huiusmodi corpuscula esse atomos, (quipe cum in minimo eorum multæ contineantur atomorum myriades,) utor duntaxat eorum similitudine, ut, cum tota atomorum quasi notio, visui quantumlibet acuto impervia, & quasi cæca sit, intelligamus, illam radiis rationis ita illustrari, ut & atomi mente pervideantur, & competere ipsis concipiamus magnitudinum varietate. Aristot. L. 1. de an. c. 2. Lucret. II, 113.

Ex hoc autem fit, ut quemadmodum in magnitudine grandi, ac mensurabili, accipimus quidpiam, quod, ut sit communis mensura, habeat rationem minimi, cuiusmodi est pes, digitus, aut granum: & Laert. X, 59.

in magnitudine sensibili accipimus etiam aliquid, quod habeatur minimum ad sensum, ut animalculum dictum acari; ita in magnitudine intelligibili, qualis est atomi, accipere aliquid liceat, quod in illa habeatur quasi minimum, qualis esse in atomo potest anguli apiculus.

Id tamen discriminis est inter minimum mensuræ, & minimum tam sensus, quam mentis, quod illud sui repetitione intelligatur posse toti magnitudini coæquari; ista vero intelligantur ceu puncta quædam individua, quæ aut termini sint magnitudinum, aut quasi quædam copulæ partibus sic interiacentes, ut respectus quosdam duntaxat ad partes hinc inde copulatas habeant, tametsi eiusmodi sint, ut ab ipsis initium mensurationis fieri possit; quippe etiam in atomo dimensiones quasdam mente fieri nihil prohibet.

Quanquam cum esse in atomo partes dicimus, copulatasve intelligimus, non est res ita accipienda, quasi illæ seiunctæ aliquando fuerint, & in unionem postea coierint; sed facimus, ut declaremus, esse in atomo veram, & ex partibus constantem magnitudinem: tametsi aliunde id habeant a concretis rebus discrimen, quod ipsæ earum partes possint designatione sola, non item separatione distingui; quippe quæ cum naturali, indiviuo, perpetuoque nexu cohæreant.

## CAP. VII.

### *De Atomorum figura.*

Lucret. lib. v. 333. seq. AD figuram, quæ terminus magnitudinis est, quod spectat; necesse est inprimis eam esse in atomis multiplicem, sive atomos esse inter se diversimode figuratas. Nimirum id ex eo arguitur, quod ex iis contexta naturalia omnia, homines, feræ, volucres, pisces, plantæ, &c. diversimode figurentur; & non modo quidem spectatis ipsorum generibus, sed singulis etiam eorundem speciebus, sive individuis; neque enim duo ulla sunt adeo similia inter se in quibus, si attenderis, non discrimina aliqua, quibus inter se differant, agnoscas.

Deinde cum sint figurarum in atomis species numero incomprehensibiles; sunt enim rotundæ, ovatæ, lenticulares, planæ, gibbæ, oblongæ, turbinatæ, hamatæ, læves, asperæ, hispidæ, tetrahedricæ, pentahedricæ, hexahedricæ &c. tam regulares, quam irregulares, absque ulla determinatione intellectus possibili, non sunt illæ tamen numero simpliciter infinitæ habendæ. Nam, non essent quidem rerum concretarum tot hæc, tantaque discrimina, si in atomis, ex quibus texuntur, eiusmodi foret figurarum diversitas, quæ animo comprehendi posset; at non possunt tamen infinitæ simpliciter esse atomorum diversitates, nisi quis forte in atomis concipiat magnitudininem, non quæ infra sensum consistat, verum quæ re ipsa infinita sit. Siquidem in magnitudine, superficieve magnitudinis, quæ finita sit, intelligi diversitates, quæ sint infinitæ, non possunt. Laert. X, 42. Lactant. Institut. III, & cap. de Nat. Deor. hit.

Tertio autem, tametsi species figurarum infinitæ non sint; sunt tamen in unaquaque figuratione Laert. X, 42. figu-

figuræve specie, atomi numero infinitæ simpliciter, hoc est, infinitæ sunt orbiculares, infinitæ ovatæ, infinitæ pyramidales, &c. quoniam alioquin universum multitudine atomorum infinitum minime foret, ut declaratum iam ante est, nisi atomi, quæ sunt inter se figuratione similes, numero infinitæ simpliciter forent.

Lucret. I. v. 486. seq. Plut. Pl. Phil I, 3. Adnotandum vero, licet angulosæ, hamatæque atomi sint, non esse tamen, cur quispiam illas deteri posse, aut frangi putet, quippe tam anguli, & hami, quam media ipsa corpuscula uniusmodi naturæ sunt, & pari ac soliditate, sic necessitate teneantur, adeo, ut nulla plane sit vis, quæ stringere atomum, aut secundum totam, aut secundum partes, etiam ad usque apices possit.

## CAP. VIII.

*De gravitate seu pondere, ac multiplici motu atomorum.*

Cicer. de fato c. 20. Lucret. II. v. 82. Denique ipsis atomis gravitatem, pondusve attribuo, quod, cum in motu, connisuque ad movendum perpetuo sint, necesse sit, ipsas moveri interno illo impetu, qui gravitas dici, seu pondus mereatur.

Lucret. II. v. 217. Cicer de fin. I. 6. Distinguendus vero inprimis occurrit in ipsis atomis motus duplex, unus ipsiusmet gravitatis, sive ponderis, quo atomus nempe suopte nutu fertur; alius ex ictu, seu reflexione, quo scilicet atomus una in aliam impacta repercutitur. Et qui motus quidem gravitatis, seu ponderis est, primario concipitur is, quo atomus ad lineam, sive ad perpendiculum fertur; tali motu videlicet moventur omnia, quæ gravia sunt. Verum, quia, si omnes atomi ad lineam, deorsumve, & quasi a regione ferrentur, fieret, ut nunquam altera alteram posset attingere; ea de causa necesse est declinare atomos perpaullum, & quo nihil possit fieri minus, ita enim effici poterunt complexiones, & copulationes, & adhæsiones atomorum inter se; ex quo & effici possit mundus, omnesque partes mundi, quæque in eo sint.

Cum dico autem fore, ut alioquin atomi se mutuo non attingerent, neque adeo coirent, idcirco est, quod nullum sit in universo, tanquam infinito existente, medium, in quod tendant, ut coire proinde possint; sed concipi duntaxat possit, iuxta ante dicta, regio quædam sursum, ex qua, absque ullo initio, atomi omnes sua gravitate, quasi imbris guttæ, hoc est motibus, quantum est ex se, parallelis adveniant; altera deorsum, in quam omnes absque ullo termino iisdemmet motibus ferantur. Lucret. II. v. 1069.

Motus autem ex reflexione intelligi potest fieri tam, cum atomus magnis intervallis resultat, quam, cum spatiis brevibus pulsa, repulsave, quasi concutitur, palpitatque. Ex quo etiam fit, ut, dum contingit, atomos incurrere in complexionem, conventumve plurium sibi mutuo obstantium, seseve mutuo irretientium, (quod maxime fit in concretionibus, ubi videntur quiescere...), tunc tamen adhuc sint irrequietæ & quantum possunt, ac prout sunt longius, propiusve mutuo diffitæ, agitationem sive speciem palpitationis obtineant, deflexam nimirum, repressamve Plut. Lib. de fac. in lun. Lucret. II. 43.

a ceteris, qua talem complexum, cœtumve constituunt.

Laert. X, 44. Causa vero huiusce non modo longioris resultantiæ, sed pressioris quoque agitationis, seu quasi palpitationis intestinæ, & continuæ in ipsis concretionibus, est partim quidem natura inanis, quod etiam intra corpora compactissima interceptum, atomos singulas aut ex toto, aut ex parte a se mutuo dirimit, neque eas sistendi, firmandique vim habet; partim vero soliditas ipsis atomis competens, quæ scilicet præ collisione, repercussioneque palpitationem efficit, quantum quidem ipsa complexio instaurari motum ex collisione patitur.

Laert. X, 42. Lucret. II, 94. Cum pondus vero, seu gravitas sit in atomis, quasi ingenitus quidam vigor, sive energia, &, ut iam dixi, impetus, quo sunt ad motum comparatæ; idcirco adsumendum est, moveri atomos (& utrovis quidem, hoc est, seu ponderis, seu reflexionis motu) continenter, ac per omne ævum. Scilicet principium, ex quo fieri ista cœperint, nullum est, utpote existentibus non atomis modo, sed etiam inani ad utrumque motum inserviente, perpetuis.

Laert. X, 46. Est autem etiam assumendum, atomorum motum, in quo nihil occurrit, quod retundendo ipsum deflectat, eius esse pernicitatis, ut quodlibet cogitabile spatium conficiat momento, hoc est, tempore inexcogitabiliter brevi, (videlicet debent etiam radiis solis, qui purum per spatium non meant, mobilitate præcellere.) Dico autem, in quo nihil retundens occurrit; nam alioquin frequens retusio speciem tarditatis, immunitas a retusione, speciem celeritatis subit.

Neque vero propterea atomus, quæ retusiones patitur varias, ad hæc, illaque complura loca, iis pervenit temporibus, quæ discernere mente liceat, quippe illa discernere, in potestate mentis non est. Quin etiam contingere potest ut sensibili tempore accepto, eadem atomus, tametsi variis deflexa retusionibus, ita feratur, ut undecunque ex spatiorum immensitate adveniat, non liceat nobis designare aliquem locum, seu terminum, quem non tempore illo superarit. Quippe talis esse ea retusio potest, (hoc est, tam parum frequens, parumque deflectens) ut ipsa quoque æmuletur quadamtenus celeritatem competentem motui, qui est retusione immunis. X, 47.

Assumendum postremo & hoc est, atomos esse æquiveloces, quamdiu per inane feruntur, neque quicquam est, quod earum impetum retundat. Neque enim graves velocius feruntur, quam leves reputatæ, cum nihil utrisvis, quod obstet, occurrat: neque item parvæ, quam magnæ, cum sit traiectio omnibus pro magnitudinis ratione æque libera, donec nihil est, quod iis impingatur. Neque vero etiam celeritate differunt motiones, quæ aut sursum, obliqueve propter collisiones, aut deorsum propter gravitatem ingenitam fiunt; siquidem quamdiu atomus neutram in partem cohibetur, tam diu viam tenet, ac celeritate quidem cogitationi æquiparanda, quousque aut extrinsecus pulsa, aut gravitate propria adacta, in referientis impetum, resistentiamve incurrat. Laert. X, 43, 61. Quin

Laert. X, 62.

Quinetiam, quod ad concretiones, compositave corpora spectat, cum sint atomi suapte natura æquivelocex, non idcirco una dicetur esse celerior altera, quasi quæ atomi in concretionibus sunt; & communi earum motu abripiuntur, ferantur aliquando in unum locum sensibili quodam, ipsoque continuo, successivoque tempore, ut dum talis motus est segnis, aliquando (sive in unum, sive in plura, ac diversa loca) temporibus ferantur adeo brevibus, ut sola ratione possint percipi, ut puta, dum motus rapidissimus est. Verum dicendum solum est, quomodocunque atomi ferantur cum ipsis concretionibus, exagitari interim illas intestinis, & creberrimis, sive potius innumeris, sensumque adeo fugientibus repercussionibus, donec ipsa motus corporis totius, in quo sunt continuitas, successiove talis evadit, ut in sensum cadat.

Laert. X. 62.

Scilicet quod adopinamur de motu atomorum inconspicuo, quasi tempora ratione percepta possint illius continuitatem, successionemve partium pernicissimam assequi, nusquam verum est, sed id potius, quicquid mente contemplamur, dum in ipsam rei naturam attendimus, verum est habendum.

## CAP. IX.

*Atomos, non item vulgaria elementa, aut homœomera esse prima principia rerum.*

HIsce circa atomos præmissis, edisserendum iam videretur, quomodo ipsæ sint principia, primave rerum materies: sed quia exequi id non licet, quin simul de generatione, & corruptione disseratur, neque illud prosequi fas est, quin prius de rerum qualitatibus, & prius adhuc de ipsis causis, illas creantibus, fuerit actum; ideo satis est hoc loco adnotare, atomos ideo esse principia, primamve rerum materiem, quod sint illud primum, simplicissimumque, ex quo contexuntur, quæ oriuntur omnia, illud ultimum, ac simplicissimum, in quod, quæ intereunt, omnia, resolvuntur.

Plut. Pl. phil. l. 1.

Primum autem, ac ultimum dico: Nam præter alias moles grandiores, ex quibus potest proxime magis, id quod gignitur, coalescere, aut in quas resolvi, quod corrumpitur, sunt moleculæ, sive mavis, concretiunculæ quædam perexiles, quæ factæ quibusdam perfectioribus, indissolubilioribusque coalitionibus, sint quasi rerum semina diu perdurantia. Adeo proinde, ut dicantur res etiam gigni ex seminibus, veruntamen non tanquam primis, quod ipsa sint adhuc ex prioribus puta ex atomis; & dicantur pariter res dissolvi in hæc semina; at non tanquam in ultima, quoniam ipsa quoque exsolvi ulterius in atomos possint.

Vide Gassend. ad Laert. X. p. 195.

Addo autem quatuor vulgaria, quæ admittuntur elementa, ignem, aerem, aquam, terram, dici quidem posse principia, sed non tamen prima, materiam quoque, sed non primam, quippe cum atomos priores, ex quibus & ipsa contexantur, habeant.

Lucret. 1. 2. 636. sq.

Et qui unicum quidem elementum pro principio ponunt, volunt ex ipso, rarefactione, condensatione que tria cetera fieri, & ex iis postea cetera: sed, quo pacto, si unum sit, & nisi aliquid misceatur, gigni aliquid poterit. Nam ex igne qui-

dem v. c. rarefacto, condensatoque, nihil aliud, quam ignis languidior, validiorque creabitur.

Ibid. v. 656. sq. Ac ut pręteream illos, qui id docent, inane non admittere, sine quo tamen neque rarefactio, neque condensatio potest fieri; ii animadvertere non videntur, non posse dici ignem mutari extinctione in aliquid aliud; quoniam illud quod simplex est, nisi in nihilum abeundo, mutari non potest; aut certe, si admittant aliquid commune manere, quod prius ignis, postea fit aer, cum illud quidem prima sit, communisque materies, primam ipsam materiem non esse ex se neque ignem, neque aerem, sed ipsas potius atomos, quę certa ratione constitutæ ignem, certa aerem, conficere possint.

Lucret. I. v. 613. sq. Qui autem plura, aut etiam omnia æque primo admittunt; id incommodi præterea patiuntur, quod illa contraria statuentes, aut se invicem peremtura, aut nunquam coalitura inducant.

Lucret. I. v. 830. Ac fuit quidem Physicus, qui generari omnia censuerit, ex corpusculis quibusdam tenuissimis, quæ & appellavit ὁμοιομερῆ, similaria, seu quasi partes similes, intellige, genitis rebus, adeo, ut illa, v. c. ex quibus res calidæ fiunt, calida sint; ea ex quibus sanguineæ, sanguinea, atque ita de ceteris: Verum, si principia eiusdem naturæ cum ipsis rebus genitis sint, poterunt ergo pari ratione, ac illæ, alterari, qualitatesve amittere: sicque & mutari, &, quod naturæ simplicis sint in nihilum abire.

Ib. Ut taceam, si esse calida oportet, quo aliquid calidum fiat, quasi nisi ex similibus non gignantur similia, debere ergo esse & ridentia, ut fieri ex ipsis ridens animal valeat; flentia, ut flens: aliaque id genus.

## CAP. X.

*De prima, & radicali concretionum causa, hoc est, de agente, sive efficiente.*

SEquitur iam, de causis dicamus quando ad aliquid faciendum necessaria est non modo materia, ex qua, sed etiam causa, a qua fiat: Unde & fit, ut dicere causam, nihil sit aliud, quam dicere id, quod in rei productione agens, sive efficiens est. Lucret. I. v. 1020. Cicer. de Nat. Deor. I. 20.

Non est porro eorum, quæ fiunt, alia causa prima, & radicalis requirenda, quam ipsæ eædem atomi, quatenus sunt eo præditæ vigore, ob quem moventur, aut in connisu ad movendum continuo sunt. Neque enim absurdum est, facere materiam actuosam; absurdum potius, facere inertem; quoniam qui talem faciunt, & ex ipsa tamen fieri omnia volunt, dicere non possunt, unde ea quæ fiunt, suam efficiendi vim habeant, cum habere aliunde, quam ex ipsa materia, non valeant.

Itaque, ut primæ moleculæ ex atomis coalitæ habent in se energiam quandam, seu sese movendi, ac agendi vim, constantem nempe ex singularum atomorum vigoribus, sed varie tamen modificatis, prout atomorum sese invicem irretientium aliæ huc, aliæ illuc feruntur; ita grandiores etiam moles contextæ ex minoribus, habent aliquam, eamque pro illarum varietate modificatam, ac unumquodvis denique ex corporibus naturalibus, ex

suis

ſtuis conſtans molibus, moleculis, & atomis, ſpecialem habet energiam, ſeu ſeſe movendi, ac agendi vim, certa ratione modificatam. Ita ſcilicet motus, ſive actio a principiis usque aſcendit, & exit.

Notandum nihilominus eſt, cum atomi omnes æque velociter moveantur, intra ipſas tamen concretiones, eas, quæ anguloſiores, hamatioreſque ſunt, intricari, ac præpediri, ſicque veluti inertiores, ſegnioreſque fieri, quam lævigatiores, atque rotundiores: quare & energiam, ſeu agendi vim, quæ eſt in concretis corporibus, ex iſtis potiſſimum eſſe. Et quia tales ſunt, ex quibus ut ignis, atque anima, ita & generalius, qui appellantur Spiritus conſtant: inde fit, ut, quæ eſt *præcipua in corporibus energia*, fit ex ipſis Spiritibus, qui ut libertatem diſcurrendi, ſic dominium intra illa habent.

Cum omnis vero effectio, aut actio, qua aliquid fit, aut ab interno fit, aut ab extrinſeco principio; conſtat, res quidem artificiales, quarum materia iners eſt, & mere paſſive ſe habet, debere totam ſui effectionem ipſi effectori, agentive externo: at res naturales, tametſi mutuentur partem aliquam ſui, ſive principium quoddam agendi ab autore extrinſeco; debere tamen ſui effectionem principiis intra ſe contentis, ut a quibus interius ſecundum omnes ſui partes digerantur, & conformentur.

Prætereo autem ipſam quoque agentis externi actionem a propriis, eſſe, interniſque principiis, quæ ipſam actionem eo ſemper vertant, atque dirigant, quo impetus plurium, aut validior tulerit. Quippe etiam in ipſis animalibus, ubi actio quæpiam voluntaria eſt, idcirco ipſa talis eſt; & illuc potius, quam alio feratur, quia & occurrit animo ſpecies illuc potius, quam alio vocans; & ipſe pro imperio, quo regit contentos in corpore ſpiritus, illos eo, non alio ducit, & cum ipſis ea, quibus inſunt, membra.

## CAP. XI.

### *De motu, qui idem cum actione, effectioneve eſt, ac de fortuna, fato, fine, & ſympatheticis, antipatheticiſque cauſis.*

NIhil interim neceſſe eſt, excuſem, quod cauſæ actionem ſive effectionem cum motu confundam; ſiquidem notum eſt utramve idem eſſe cum ipſo motu, ac addere ſolum eam connotationem, quod ad rem ſive actam, ſive effectam terminetur.

Motum autem non alium ſane, quam qui ſit migratio de loco in locum, intelligo, quippe plerumque dicitur & latio, & motus tranſitus, & motus localis. Nempe his modis nominant ad diſcrimen illius motus, quem & mutationem, & alterationem aliqui ſolent dicere; eum puta, quo res aliqua immutata manens ſecundum internam naturam, mutari, aut altera fieri ab iis creditur, ob alicuius qualitatis, ut caloris, aut frigoris acquiſitionem, vel amiſſionem.

Enimuero huiuſmodi ſive mutatio, ſive alteratio non ſpecies eſt motus, a motu locali, tranſitusve dicto diſtincta; ſed cum motus localis, ſive tranſitus ipſum genus ſit, hæc mutatio, ſeu alteratio aliud nihil eſt, quam quædam eius ſpecies, ea videlicet, qua mobilia in- *Sextus Empir. c. Phyſ. p. 187. B.*

[illegible] quippe il- [illegible]ensione mollitur, & con-[illegible]densatione durescit. Quo fit, ut motus mutationis aliud genere a transitus motu non sit.

Sed, ut ad motum, qui sit causæ efficientisve proprius, redeam, observare licet, quibuscunque rebus nomen causæ tribuitur, idcirco tribui, quod exerant motum. Nam fortuna quidem, quæ aliquibus causa est, non alio modo admitti potest, quam quia idem est cum per se mota, & agente caussa, connotatque solum effectus connexi cum eo, qui ab ipsa intenditur, ignorationem. Alias profecto tantum abest, ut congruum sit, illam Deam facere, quod vulgus facit, hominum, (neque enim quicquam a Deo inordinate peragitur,) quin etiam ne sit quidem aliqua, instabilis, reputanda causa.

Ipsum quoque fatum esse aliud

[illegible] inventio, & [illegible] causis, quatenus [illegible], & posteriores a [illegible]. Quanquam hæc [illegible] atque dependentia ne[illegible] est, quam Physi[illegible] adducere solent. Quippe [illegible] natura hujusmodi ne[illegible] eam abrumpat mo[illegible] inclinationis atomorum, [illegible] ante dictum est, qua[illegible] tempore certo, nec re[illegible] certa intercurrit.

[illegible] etiam dicitur causa, [illegible] quia efficit quidpiam [illegible], nisi quia movet. Mo[illegible], missa in animam spe[illegible], alliciatque, invi[illegible] quidem, sed physicis ta[illegible] quasi hamulis, & [illegible], quibus plerumque cum animo pellicitur & ipsum corpus. Intelligitur certe, nullam posse huiusmodi attractionem fieri, nisi per quasdam resilitiones implexionesque atomorum fiat.

Adeo proinde, ut etiam quæcunque dicuntur vel per sympathiam, vel per antipathiam fieri, ea peragantur per physicas causas, hoc est, per quæpiam invisa quidem, sed quæpiam tamen organa, quibus intercedentibus res aut ad invicem tam attrahantur, aut repellantur, quam attrahuntur repelluntur que illæ, quæ ab organis grandibus, sensibilibusque patiuntur.

Quippe, ut exemplo rem dicam, qui putemus fieri, ut leo galli conspectum ferre non valeat, sed illo viso statim aufugiat? Nisi quia sunt etiam in corpore galli corpuscula quædam, quæ cum sint speculorum instar, leonis oculis immissa, ita eius pupil-

Ex Cic. Lib. de fato &c. Gassend. ad Laert. X. pag. 1612.

Gassendi ad Laert. X. pag. 1607, 161.

Lucret. IV. [illegible]

Ex G Libe ... Gas. ad La. X, p. 164. pupillas interfodiunt, ita acrem dolorem præbent, ut contra constare ac durare, quantumlibet ferox, rapidusve, non possit. Nihil vero simile creant in oculis nostris ea corpuscula ob texturam dissimilem, ut intelligetur ex iis, quæ sunt de sensibus differenda.

## CAP. XII.

*De rerum concretarum qualitatibus generatim.*

Gassend. ad Laert. X, p. 226. QUod iam spectat ad qualitates, quibus res concretæ insigniuntur, notum est, comprehendi hocce nomine omnia, tam coniuncta, quam eventa rerum; sed coniuncta potissimum; sive ea sint proprie coniuncta, hoc est, in corpore concreto, donec perseverat, constantia, & ab eo, nisi cum ipsius pernicie non separabilia, sive improprie & laxius sumta, hoc est, quasi media inter proprie dicta coniuncta & eventa; quod nempe insint quidem ut illa, sed horum tamen instar adveniant, & abeant, adsint & absint corpori, citra illius corruptionem. Laert. X, 54.

Solet autem statim de ipsis requiri, iuxta id, quod ante insinuatum est, qui fiat, ut sint in rebus concretis, cum non sint tamen in atomis, ex quibus res concretæ constant. Et quod illæ quidem atomis non insint, declaratum iam ea ratione est, quod qualitas omnis inexistens atomis, ut magnitudo, figura, ac pondus, sic ipsis naturalis sit, ut non magis possit, quam ipsa atomorum substantia mutari; idque quia in ipsis concretionum dissolutionibus remanere necesse est, quidpiam solidum, ac indissolutum, quod præstet, ut omnes, quæ contingunt mutationes, neque in nihilum, neque ex nihilo fiant.

Itaque respondendum est, creari qualitates in rebus concretis, tum ob factam transpositionem atomorum, nunc pauciorum, nunc plurium, quæ in uno situ qualitatem unam, in alio aliam exhibeant; tum ob factam de novo aliquarum discessionem, ex quo iterum qualitates varientur, seu aliæ, quam prius appareant. Sextus Empiric. adver. Phys. p. 387. B. Lactant. III. 17. adde Gassend. ad Laert. X, p. 226.

Etenim sicut litteræ variam sui exhibent speciem, non modo, quæ varia figura, sive forma sunt, uti A, & N; sed etiam, quæ eadem, si in iis varietur aut situs, aut ordo; situs, ut in N, & Z; ordo, ut in AN & NA: Ita non modo atomi, quæ diversæ figuræ sunt, (adde & molis, atque motionis,) ad efficiendum diversos sensus, exhibendumque in hoc colorem, in illo odorem, in alio saporem, in alio aliud, sunt comparatæ; sed etiam, quæ eiusdem sunt, si inter se situm, ordinemve commutent, ita sensus afficiunt, ut que unum colorem, v. c. nunc exhibeant, mox exhibeant alium; veluti iam annuimus circa aquam maris, quæ in statu placido cærulea, in commoto alba apparet; resque trita est de columbæ collo, quod prout ad lucem varie collocatur, insignem colorum varietatem subit. Aristot. Phys. 4. Lactant. l. c. Lucret. II. v. 771.

Et sicut non modo diversitas fit, dum litteræ eædem, quæ unam dictionem componunt, ita transponuntur, ut diversas formas exhibeant, sed maxime etiam, dum ipsis aut aliquæ adduntur, aut detrahuntur aliquæ: pari modo ne- Arist. & Lactant. II. cc.

cesse est, colores, odores, qualitates alias variari, dum non modo atomi eædem situm, ordinemque commutant, sed etiam, dum illis quædam accedunt, quædam decedunt, ut constare potest vel ex ipsa rerum mollefactione, induratione, crudifactione, maturatione, ceterisque hujusmodi.

Lucret. II. 757. Ut paucis dicam, quemadmodum magni circa litteras refert, cum quibus, & quali inter se situ ac ordine sint, quando tam exiguo litterarum numero significamus cœlum terram, solem, mare, flumina, fruges, arbusta, animantes, ceteraque innumera; sic permagni refert circa atomos, cum quibus, & quo positu sint, quibus intervallis, & connexibus, quos inter se motus aut dent, aut accipiant; quippe cum hoc modo omnium sicut rerum, ita qualitatum, quæ in illis sunt, exhibere varietatem valeant.

Lucret. II. 1012. Verum, ut res paulo specialius dicatur, videntur inprimis qualitates quædam suboriri ex atomis, quatenus spectantur secundum substantiam, ac sunt in eo inter se situ, ut inane amplius, parciusve interceptum, exclusumve habeant; Quædam vero ex iisdem creari, quatenus sunt suis illis tribus proprietatibus præditæ; & nonnullæ quidem iuxta singulas, nonnullæ iuxta congeriem plurium.

## C A P. XIII.

*Qualitates ex atomis, spectatis secundum substantiam, ac inanis interceptionem.*

Lucret. I, v. 575. II. v. 96. sq. AC primo quidem modo oriuntur raritas, & densitas. Scilicet manifestum est, neque quippiam densum fieri posse rarum, nisi quatenus eius atomi (partesve ex quibus contexitur, contextæ ipsæ ex atomis,) ita a se invicem distrahuntur, ut in vastiorem locum diffusæ, plura, amplioraque in ipso inania spatiola intercipiant: neque item quidpiam rarum fieri densum, nisi quatenus eius atomi, partesve ita coarctantur, ut in locum redactæ angustiorem, inania in ipso spatiola pauciora, contractiorave comprehendant. Taceo vero esse quoque manifestum, pro ratione intercepti copiosioris, paucioris ve inanis, aerem, v. c. aut lumen rarum esse intelligi; saxum autem, ferrum, & alia horum de genere, esse densa.

Oriri & cum istis videntur perspicuitas, & opacitas. Siquidem unaquæque res tanto, ceteris paribus, est magis perspicua, quanto rarior est, tanto opacior, quanto densior: quoniam rarior est radiis lucidis, visibilibusque patentior; densior vero obstantior. Dico tamen ceteris paribus; quoniam alioqnin corpus densius, quemadmodum vitrum, habere meatulos inanes ita in directum positos potest, ut radii facilius per ipsum, quam per corpus rarius, ut brassicæ folium, cuius meatuli a corpusculis varie permistis sint intercisi, trajiciantur. Nempe ipsi quoque radii perscinduntur, nisi recta foramina, cuiusmodi vitri sunt, tranent. Lucret. VI. v. 605.

Rursus oriuntur fluiditas, liquiditasve, & firmitas. Siquidem non alia de causa videtur corpus fluidum esse, quam quia atomi, particulæve, ex quibus constat, & spatiola inania intercepta habent, & dissociatæ mutuo sic sunt, Lucret. II. v. 444 sq. conf. Gassend. ad Laert. X. p. 331. sq.

ut sint

ut sint emobiles inter se, ob spatiolorum non resistentiam. Neque etiam videtur quid firmum alia esse de causa, quam opposita; atomis nempe, seu partibus ita se presse tangentibus, mutuoque cohærentibus, ut pari ratione emoveri non valeant; cum & tales haberi possint, ex quibus magis hamatis, & quasi ramosis, ipsum corpus arcte compactum teneatur. Ut speciatim aqua, liquida cum sit, firmetur in glaciem, dicetur inferius.

Ib. Ad hæc, & quæ ex istis dependent, humiditas, & siccitas. Humiditas nempe fluoris est species, hoc superaddens solummodo, quod humidi partes corpus aliquod contingentes, aut in ipsum penetrantes, adhærescere ipsi valeant, unde & humectum, madidumve reddant. Siccitas vero firmitatis est species, id solum addens, quod siccum corpus humiditatis expers sit.

Lucret. IV. v. 266. Gassend. l. c. p. 338. sq. Præterea, quæ cum his coeunt, mollities, & durities, quæ aliunde etiam cum raritate, & densitate congruunt, prout ceteris paribus unumquodque corpus tanto mollius est, quanto rarius; tanto durius, quanto compactius; quod quidem jam ante insinuatum est, cum de soliditate atomorum. Ceteris, inquam, paribus; quoniam lutum molle, pumex durus est, ob cohæsionem majorem partium cavitates intercipientium; resistentiamque tactui, neque valentium cedere in cava alioquin postica.

Sunt &, quæ rursus ex his dependeant, ut flexilitas, tractilitas, ductilitas, aliæque ex mollitie, oppositæque ex duritie, sed indicasse abunde est.

## CAP. XIV.

*Qualitas ex atomis, spectatis secundum proprietates singulatim sumtas.*

Secundo autem modo, & quatenus quidem atomorum proprietates singulatim attenduntur, ipsa inprimis cuiusque rei magnitudo, quantitas, moles, non aliunde est, quam ex coacervata magnitudine earum atomorum, ex quibus contexitur. Constatque adeo augmentationem, deminutionemque corporum ideo fieri, quod atomi quocunque adveniunt, donent ipsas res augmine, undecunque abeunt, imminuant. Gassend. ad Laert. X. p. 307.

Prætereo autem, quatenus atomi maiores, aut minores sunt, fieri posse, quas dicimus, hebetudinem, & subtilitatem; ac reddi causam exinde posse, cur ignis fulmineus penetrantior sit, quam noster e tædis, quorsum lumen pertranseat cornu, a quo imber respuitur, & consimilia plurima. Ib. Lucret. II. v. 381. sq.

Ipsa aliunde figura rerum, nisi a figura atomorum pendeat, (cum pendere tamen videatur in omnibus rebus, quæ eadem figura constanter nascuntur,) at generatim saltem verum est, unumquodque corpus ideo figurari, quia constat ex partibus terminatis, figuratisque, figura enim terminus est.

Sic vero, tametsi ex lævore, & asperitate, quas dixi figuræ atomorum esse cognatas, non sequatur necessario fieri, ut res læves ex lævibus, asperæ ex asperis sint; universe tamen nihil potest esse læve intelligi, nisi cuius partes ad- Gassend. l. c. p. 308.

minimas usque lævigatæ sint ; asperum, nisi cujus sint asperatæ.

Lucret. II, v. 392. Hic nota, posse tam ex figura, quam ex magnitudine causam reddi, cur vinum per colum perfluat facile, olivum autem tardum cunctetur, nempe, quod possit oleum constare non ex maioribus modo, sed etiam ex magis hamatis, perque plicatis inter se atomis.

Lucret. I, 360. sq. Pondus denique, seu motrix facultas, quæ unicuique rei inest, non potest aliunde oriri: quam a pondere, seu mobilitate atomorum. Cum id vero dictum jam sit, adnotandum hic solum est, ut omnes atomi sunt graves, nullæ leves, ita omne concretum corpus esse grave, nullum leve, sive quod non sit ex se comparatum, ut deorsum tendat.

Lucret. II, v. 187. sq. Ac obiicitur quidem statim ignis; verum cum is non desinat habere propensionem deorsum, ideo tamen contendit sursum, quod ab aere ambiente eo compellatur; eo modo, quo videre licet, quanta vi tigna, trabesque, res alioquin graves, humor aquæ respuat, & quo mersimus magis altum, eo quasi cupidius revomat, ac remittat.

Ex quo fit proinde, ut ea, quæ levia dicimus, non absolute levia sint, quasi sponte contendant sursum, sed comparate solum modo, hoc est, quatenus minus gravia sunt, & a gravioribus, quæ præ ipsis se deorsum premunt, extruduntur. Adeo, ut, cum terra Simplic. in Arist. I, de cælo com. 87. Lucret. II, v. 192. sq. gravissima sit, aqua gravis minus, aer adhuc minus, & ignis omnium minime; terra quidem sursum, & procul a medio pellat aquam, aqua aerem, aer ignem; at si subductam supponas terram, aqua ad medium accessura sit, si aquam, aer, si aerem, ignis.

## CAP. XV.

*Qualitates ex atomis, spectatis secundum proprietates conjunctim acceptas.*

At vero acceptis conjunctim proprietatibus atomorum, & commistis præsertim, variatisque iis, de quibus dictum hactenus, varietate videlicet, densitate, & ceteris, oriuntur rerum facultates, quæ activæ, & motivæ cum sint, id a pondere, seu mobilitate atomorum habent; & cum hæ hoc modo, illæ illo agant, id habeant, oportet, tum a speciali atomorum magnitudine, & figura, tum a vario inter ipsas ordine, atque positu, tum a laxitate compressione, connexione, seiunctione, &c.

Hujuscemodi autem sunt, non modo in ipsis animalibus facultates sensuum, visus, auditus, olfactus, gustatus, tactus, quibus scilicet possunt res sensibiles percipere, verum in ipsis quoque rebus ipsæmet vocatæ qualitates sensibiles; eæ sunt nimirum in rebus facultates feriendi, & afficiendi certo modo sensus, ad hoc, ut ab iis percipiantur; ut puta color & lux visum, sonus auditum, odor olfactum, sapor gustatum, calor & frigus præ ceteris, tactum. Quo fit, ut dicturi de illis posterius omittere hic istas non debeamus, de quibus egisse ut operæ pretium; ita compendium futurum sit.

Atque ut a colore exordiamur, agi sane de eo non potest, quin copulanda ipsi lux sit, quoniam sine

luce

luce colores sunt nulli, colorumque adeo varietas ab ipsa nocte tollitur; unde & apud inferos nigra esse omnia dicuntur. Cum sint vero in tenebris res omnes æque expertes colores; sunt nihilominus in ipsis, ipsarumve superficiebus dispositiones extremarum particularum variæ, ob quas lux affusa ita varie modificetur, ut cum hac modificatione reflexa in oculum, varios in illis colores exhibeat; ut puta album, e. g. cum pupilla quoddam genus plagæ, ictusve excipit in se; nigrum, cum aliud, &c.

ex Plut. lib. adv. Colot. &c. Gassend. ad Laert. p. 161.

Nempe, cum colores non sint cohærentes corporibus, sed juxta quosdam, respectu visus, ordines, positusque gignantur, non gignuntur tamen, nisi ad superficialem illorum dispositionem accedat lux, tanquam complementum, seu pars coloris aliqua, neque seclusa hac parte videre, quidem dicere liceat, corpora, quæ in tenebris inconspicua sunt, colorem habere.

Laert. l. c.

Etenim cum non modo ipsum columbæ collum, cauda pavonis, & similia, colores varios pro vario ad lucem positu exhibeant; verum etiam cæteræ res coloribus aliis aliisque appareant; prout in aliis, aliisque statuuntur lucis gradibus; quis non liceat intelligi ipsam esse unicuique lucem, cujus adventu res induant, abitu amittant colores?

Lucret. II, v. 800.

Lux interim ipsa, cum nihil aliud sit, quam substantialis quædam effluxio a lucido corpore, visibilis per se non est, sed in ipso solum colore, quatenus illius est pars; neque enim per purum, liquidumque medium conspicitur, neque cum seu in lucido, seu in illustrato corpore conspici putatur, ut quid distinctum conspicitur ab ipso, sive lucidi, sive illustrati colore. Neque denique ipsa umbra illius privatio, alio modo est, quam quia simul privatio est coloris in re umbrefacta, quæ ea semper proportione colorem, qua & ipsam lucem amittit. Qui fiat porro, quamobrem umbra, tametsi mera privatio sit, moveri tamen appareat, in Canonica dictum est.

Lucret. l. c.

Sonus nihil aliud est, quam effluxio tenuissimorum corpusculorum, ab usque loquente, resonante, aut quomodocunque strepitum edente, emissa, ac idonea, quæ in aurem subiens, auditum afficiat.

Plut. Plac. IV, 19. Lucret. VI, 527 Laert. X, 52.

Et quod sit quidem corporea effluxio, ex eo probatur, quod sensum moveat, & ipsum quidem aut demulcendo, aut asperando: utique ob corpusculorum lævorem aut asperitatem, quod & per aerem moveatur, & corporibus solidis impactus resiliat, unde & echo fit; utique ob ipsam corpusculorum soliditatem. Quod & imminuatur, & confusus evadat; utique ob corpusculorum diductionem, in longo progressu, aut disvaricationem in transitu per septum densius; cæteraque hujusmodi.

Lucret. IV, 530 sq. & 546. sq.

Quod si requiras, quamobrem sonus eo, quo lux, speciesve coloris non potest, pertingat, ut cum loquimur clausis foribus: Causa est, quia lux, colorisve imago non nisi in directum potest tendere; at sonus potest etiam per ductus obliquos sese insinuare. Scilicet, quod dum excitatur, prosiliat in moleculas, quæ sursum deorsum, prorsum retrorsum, dextrorsum,

Lucret. IV, 598.

non

sum,

sum, lævorsum, & quolibet versum flectantur, eo modo, quo ignis scintilla dissultat interdum in scintillulas, quæ quoquoversum dirigantur:

De odore idem dicendum: effluxio enim quoque est, quæ ab odora re excedens, & quoquoversum diffunditur, & adiectus ad nares, ipsum quidem, aut deliniendo, aut compungendo. Et proinde & ipse corporeus, & magis etiam, quam ipse sonus, quippe cum & segnius per spatium incedat, & non tam procul perveniat, & non per ea septa penetret, per quæ ipse sonus.

Laert. X, 53. Lucret. IV, 679.

Circa saporem id discriminis est, quod licet consistat in corpusculis re, quæ dicitur sapida, contentis, ea tamen in dissitam linguam, palatumque non exeant, sed tum solum, cum res sapida linguæ admovetur, in illam sic subeant, ut texturæ ipsius applicentur, aut leniter, sicque sensum suavem faciant, aut asperiter, sicque insuavem creent.

Ad calorem, & frigus quod spectat, is quidem sensus, quem exprimunt, ad tactum referendus est, sed cum ad tactum proprie pertineant ex enumeratis qualitatibus plures, veluti durities, mollities, humiditas, siccitas, aliæ, quæ rei tactilis ad manum, partemve aliam corporis, applicationem exigunt; hæ tamen duæ sentiri possunt, non modo, cum calida, frigidave res manui alterive parti applicatur, verum etiam cum dissita, & in ea quidem distantia est, ut in ipsam transmittere corpuscula ex se quædam possit.

conf. Gassend. ad Laert. X. p. 318.

Nempe ipse quidem potissimum calor effluxio est corpusculorum, seu atomorum mavis, quæ sint mole exiles, figura rotundæ, motu celeres. Etenim, qua exiles sunt, nullum est corpus adeo compactum, ut non inveniant porulos, per quos in illud subingrediantur: qua orbiculares, tum facile moventur, tum se quoquo versum insinuant, qua celeres, tum rapide impinguntur, & in corpus subeunt, tum aliis, aliisque succedentibus sic urgentur, ut per totum penetrent, &, si pergant agere, partes illius secernant, exturbent, ac totum denique dissolvant. Tales quippe sunt effectus caloris, & ignescentis potissimum, (neque enim ignis aliud est, quam calor intensus,) erga universa corpora, ac in animali solum additur ipse caloris sensus, qui ex divulsione, solutione ve continui est.

Frigus autem, est quidem etiam effluxio, verum atomorum, quarum sit moles grandior, figura angulosior, motus segnior. Scilicet, cum sint contrarii effectus, debeant principia esse contraria, ac ejusmodi quidem, ut cum calor disgreget, atque dissipet, frigus compellat, constipetque; ac in animali quidem cum speciali sensu id faciat; quatenus subiens in cutis poros, tum faciebus corpusculorum caloris corpuscula reprimit, introrsumque abigit; tum angulis vellicat, discerpitque, qua prætervadit.

Epicurus Ep. ad Pythocl. ap. Laert. L. X. Plut. de primo frigido.

## CAP. XVI.

### De iis qualitatibus, quæ habentur rerum eventa, ac præsertim de tempore.

Superest, ut pauca attingamus de illis qualitatibus, quæ non

Laert. X. 70. conf. Gassend. p. 602.

non tam conjuncta, quam eventa accidentiave sunt; ac idcirco rem non interne afficiunt, sed externe solum, ac intercedente quodam respectu tales faciunt. Non quod intra res quosque ipsas eventa aliqua non sint, cujusmodi sunt positus, ordines, intervalla partium, particularumve, & similia: sed quod talia cum sint, eventa sint ipsarum partium, non constantis ex iis totius.

Sunt vero eventa hujusmodi illa universe omnia, ex quibus consurgit aliqua relatio, propter quam unaquæque res dicitur esse ad aliquid, ut similis, dissimilis, major, minor, multa, pauca, superior, inferior, dextra, sinistra, causa, effectus, dans, accipiens, & quæ id genus innumera sunt.

Notum est autem, relationem esse opus mentis, sive opinionis, unum referentis, comparantisque ad alind, adeo proinde, ut seclusa opinione, unaquæque res sit illud solum, quod est in se, non vero, quod respectu alterius. Quo pacto ad eventa retulimus quoque superius libertatem, & sanitatem, divitias, & paupertatem, &c. quoniam seclusa opinione, homo nihil aliud est, quam homo, non vero liber, aut servus, dives, vel pauper, &c.

Sext. Empir. Pyrrh. Hyp III. 17. Porro ex omnibus eventis, unum est, quod eventum eventorum, sive accidens accidentium licet dicere, tempus nimirum, a quo res omnes aut præteritæ, aut præsentes, aut futuræ denominantur, itemque aut diuturnæ, aut parum durantes, aut momentaneæ, interdumque etiam veloces, aut tardæ.

Nam inprimis quidem eventum esse tempus, ex eo constat, quod non sit aliquid per se, sed cogitatione duntaxat, seu mente attributum rebus, prout concipiuntur in eo, quo sunt statu, perseverare, aut desinere, & longiorem, aut breviorem extantiam tueri, ac ipsam habere, habuisse, aut habituræ esse. Ex quo fit, ut tempus non eo modo sit disquirendum, quo disquirimus cetera, quæ in subjecto aliquo, cogitatione seclusa, insunt. Neque proinde, ut quid sit, percipiatur, referendum hoc sit ad anticipationes rerum, nobis ob oculos versantium; sed sit de ipso ratiocinandum juxta evidentiam, qua familiari sermone utentes, neque nos ambagibus intricantes, longum, aut breve dicimus tempus.

Deinde vero esse eventum eventorum, sive accidens accidentium dicimus, quia cum rerum aliæ per se cohæreant, ut corpus, ut item inane, seu spatium; aliæ autem cohærentibus eveniant, sive accidant, ut dies, noctes, horæ, ut item passiones, & vacuitates ab ipsis, ut motus, quies, &c. Tempus ista omnia eventa, seu accidentia consequitur, ipsisque, mente interveniente, quasi supervenit, superacciditque.

Siquidem & dies, & nox accidentia sunt aeris ambientis, (& dies quidem accidit ex illuminatione solis, nox vero ex privatione solaris illuminationis: Sext. l.c.

hora

hora autem; cum seu diei, seu noctis pars sit, aeris rursus accidens est, perinde ac dies, & nox:) at tempus coextenditur omni & diei, & nocti, & horæ: hancque ob caussam aliquando & dies, & nox longa, vel brevis dicitur, dum ferimur cogitatione ad superveniens ea ratione tempus.

ib. Pari ratione, passiones quoque, & indolentiæ, seu dolores, & voluptates nobis contingunt, ac ideo non substantiæ quæpiam, sed eorum, qui iis afficiuntur, (nimirum cum delectationis, aut molestiæ sensu,) accidentia sunt. Porro & ista accidentia sine tempore non eveniunt.

ib. Præterea vero & motus, & quies, ut jam declaravimus, corporum accidentia sunt, neque illa sine tempore. Quocirca motus celeritatem, tarditatemque tempore metimur, itemque quietem multam, aut exiguam. Et quia tempus nemo per se, seu motumve a rerum motu, quieteque percipit: ideo percipiendo res gestas, ut bellum Trojanum, & alia, quæ cum motu fiunt, & partim hominum gerentium, partim locorum in quibus geruntur, accidentia sunt, percipitur una ipsum earum tempus prout comparantur ad nostram, & rerum inter ipsas, ac nos intercepearum existentiam.

## CAP. XVII.

*De ortu, & interitu, seu generatione, & corruptione rerum concretarum.*

Simplicius in l. de cœlo com. 73. SUperest, hisce subjiciamus, quomodo oriantur, & intereant, res, seu quæ sit illarum generatio, atque corruptio. Itaque est quidem tam illa, quam hæc quæpiam mutationis, sive alterationis species; at cum per alias mutationes non novum corpus fiat, ac extet, sed id duntaxat, quod jam est, novam qualitatem, novamque ex ipsa denominationem acquirat; generatio mutatio est, qua unumquodque corpus primo producitur, esseve in rerum natura, ac denominari tale incipit: corruptio vero est mutatio, qua ultimum dissolvitur, ac esse in rerum natura, & denominari tale desinit. Sic enim ignis, planta, animal, & quicquid in certo corporum genere est, cum in lucem primum oritur, & denominari tale incipit, generari dicitur; cum ex luce abit, neque amplius tale denominari potest, corrumpi. Themist. in Phys. iii.

Cum dico autem corpus primo produci, sive esse incipere, non contendo sane non præfuisse, quicquid substantiæ, seu corporis, corporeumve in ipso est; siquidem præfuere omnes atomi, & moleculæ, sive semina, ex quibus contexitur, ut cum domus dicitur fieri, intelliguntur lapides, ligna, & alia, ex quibus construitur, præextitisse. Sed contendo solum ejus atomos, seminaque sic commisceri, eaque ratione adunari, ut novo sint modo, sive nova forma, qua nullatenus ante fuerant: ac idcirco corpus exinde resultans sit tunc primum ejusmodi, ac tale incipiat denominari.

Hinc, quia non tam nova substantia, quam in substantia coaduna-

dunata qualitas nova oritur, ef-
ficitur, ut generatio species ali-
qua mutationis, sive alteratio-
nis sit; & corruptio similiter,
sed opposito sese habens modo.
Quamobrem & sit, ut genera-
tio, & corruptio sola principio-
rum concretione, & secretione
fiat, non item vero transmuta-
tione, quod atomi sint, ut jam
dictum est, omnis mutationis, ac
ideo transmutationis incapaces.

Laert. X. 54. Et certe, cum omnis muta-
tio, sicut jam diximus, & re-
petetur etiam mox, aut transpo-
sitione, aut adjectione, aut de-
tractione fiat partium, consequi-
tur, ut atomi, cum ita compa-
ctæ, solidæque sint, ut nullæ
earum particulæ transponi, ad-
di, detrahi possint, immutabiles
sint, atque incorruptæ; ac ta-
les sint etiam earum proprieta-
tes, cujusmodi sunt quantillæ-
cunque illæ magnitudines, & fi-
guræ, propriæ. Nempe ista quo-
que remanere cum atomorum sub-
stantia in ipsis concretorum dis-
solutionibus est necesse. Quid-
ni? cum etiam in rebus, quæ
apud nos ex arbitrio transfor-
mantur, ut cum homo ex stan-
te aut recto fit sedens, contra-
ctusve membris, (adde & si ve-
lis, denigratur, aut calescit,) in-
telligatur semper inexistens ipsis
eadem magnitudo, eademque fi-
gura, sive ordo partium inter
ipsas competere; qualitates ve-
ro non inexistentes, nec pro-
priæ, veluti statio, rectitudo,
albor, frigus, &c. non perinde,
ac illæ superstites maneant in
subjecto, quod transmutatur, sed
ex ipso corpore toto, aut ex
parte, cui inerant, pereant.

Cum principia ergo intransmutabilia sint; & in generatione nihil aliud, quam misceantur, concernanturque, sequitur, ut mistio fieri nulla possit, quæ sit perfecta quædam per coalitionem confusio, sed quæ sit solummodo quædam per appositionem compositio; atque ea quidem, seu moleculæ ex atomis conflatæ duntaxat misceantur, seu moleculis etiam resolutis in atomos misceantur ipsæ atomi; idque proinde, non sine molecularum, corporumque ex iis constantium, ut vini, aquæ, mellis, similiumque interitu, & corporis misti, molecularumque ipsius exortu. Videlicet, non quasi aqua, & vinum, v. g. sed quasi aquificæ, ut sic loquar, & vinificæ atomi misceantur. ex Alexandr. Aphrod. lib. de mistione. Gassend. ad Laert. p. 186.

Et ad generationem quidem, quæ in inani infinito fit, concipiendum est atomos ab invicem sejunctas, & figura, magnitudine, positione, ac ordine differentes inter se, ferri per inane, ac ubi concurrunt, mutuo comprehensas, addensari, & conditionem rei variam, quatenus contigerit, fieri: coeunt scilicet juxta proportionem magnitudinum, figurarum, positionum, ordinum, & hac ratione accidit, ut ipsa generatio compositorum perficiatur. Plut. Plac. l. Lucret. l. v. 1020. 635.

At, ubi generatio unius ex corruptione alterius fit, contingere id solet juxta triplicem, quem circa alterationem attigimus, modum. Nempe aut sola partium, atomorumve transpositione, ut cum rana ex limo, vermis ex caseo gignitur: aut accen- Lucret. 676.

den-

dentium additione, ut cum semine accedente ad grandiorem massam, tanquam coagulo in lac, b. aut fermento in pastam, gignitur planta, vel animal: quomodocunque fit augmentatio, qua res genita adaugescit: aut abjectione præexistentium, ut cum a. ex secretione aquosarum, cinerearum, aliarumque partium, quæ erant in ligno, generatur ignis; ex secretione mellis, quod in favo, cera, atque ita de ceteris.

Lucret. I. 823. sq. adde Gassend. ad Laert X. p 906. Inservit porro hic illa quoque litterarum similitudo, ut duo quæpiam intelligamus; unum, speciales generationis (ac pari ratione oppositæ corruptionis) modos, qui possint sub quolibet trium expositorum accipi, evadere, nisi infinitos, saltem innumerabiles, ineffabiles, incomprehensibilesque, quippe cum vel ex solis viginti quatuor, quæ in alphabeto sunt, litteris, ea possit dictionum, quæ sit propemodum incomprehensibilis, multitudo creari.

Lucret. II. 688. seq. Alterum, ut non ex omni litterarum commistione, accommodatæ pronunciationi, lectionique dictiones fiunt; ita in naturalibus rebus non omnia ex omnibus fieri, seu atomos omnes non esse idoneas, ut ad quamlibet rerum concretarum constituendam speciem coalescant. Scilicet unaquæque res eam exigit dispositionem, ut atomi ipsam constituentes, eas, quæ sibi sint congruæ, addiscant, ac velut consocient, aliquas prætereant, ac veluti respuant: ex quo rursum fit, ut, cum res dissolvitur, congruæ quæque se mutuo trahant; & ab incongruis expediant. Quod sane & ex nutritrione, quæ ag. generatio est, patefit, & vel ex eo constat, quod vulgo alioquin gignerentur portenta, ut semiferæ species hominum, chimeræ, & plantanimalia.

Quod superest; ille profecto ne primis quidem, ut dicitur, labris gustavit Physiologiam, qui quidquam, quod ortum sit, putet æternum esse posse. Quæ est enim coagmentatio non dissolubilis? aut quid est, cujus principium aliquod sit, nullum sit extremum; Nempe, ut desint causæ externæ, quæ compaginem destruant, non deest tamen intestina motio, indomitusque ille atomorum connisus, quo compactissima etiam, & durabilissima corpora, ob quem necesse denique fit, consequi eorum exsolutionem. Lucret. II. 900. adde Gassend. ad Laert. X. p. 402.

Quanquam non immediate semper in atomos ipsas exsolutio fit, sed plerumque in moleculas, partesve ex ipsis compositas, quæ sint species quædam concretorum corporum, ut cum fit ligni partim in ignem, partim in fumum; partim in quempiam humorem aqueum, partim in cineres exsolutio. Quocunque autem modo fiat, tenendum est semper, ut in generatione nulla substantia de novo fit, sed præexistens concernitur, ita in corruptione nullam esse desinere, sed in superstitem secerni.

CAP. XVIII.

## CAP. XVIII.

*De iis, ob quæ genitum corpus in certo rerum genere est, & discernitur a ceteris rebus.*

PORRO, cum unumquodque corpus gignatur ex sola materie, sive principiorum materialium, substantialiumque certo ordine, posituque coalescentium aggerie, ideo, quod concretum, genitumve est, intelligitur nihil esse aliud, quam ipsamet principia, quatenus certa hac ratione, sive positura coalita sunt, ac proinde certa hac forma, seu qualitate exhibentur.

Est vero hæc forma, sive qualitas, qua res genita & statuitur in certo rerum genere, ut metalli, aut lapidis, plantæ, aut animalis; & distinguitur ab omnibus aliis eius, in quo est, generis speciebus, sive individuis: Est, inquam, hæc forma, non una, & simplex, sed potius quædam quasi aggeries, & collectio compluribus, quæ in nulla alia reperiri, quam in ipsa, valeat.

Quare & hoc loco adnotandum est, rerum figuras, colores, magnitudinem, gravitatem, & qualitates universe alias, quæ enunciari solent de concreto corpore, tanquam ipsius accidentia, idque sive omnia visu deprehendantur, sive aliis etiam percipiantur sensibus, illa sic cogitanda esse, non quasi sint quædam per se existens naturæ, seu substantiæ, (id siquidem mente assequi non licet,) neque rursus, quasi plane non existant, seu prorsus nonentia, merumque nihil sint, neque iterum, quasi talia sint, cuiusmodi alia, quæ ipsi accidunt incorporea; neque denique, quasi sint quæpiam ipsius corporis partes. Verum ita habenda esse, quasi, cum sint varii modi sese habendi corporis, ipsum totum corpus ex illorum aggregatione obtineat propriam, peculiaremque, seu speciei suæ naturam.

Non sane, quod corpus exinde tale quid evadat, qualis evadit moles maior contexta ex minoribus, illisque aut primis, minimisque, aut grandiusculis, & universe contextis ex aliis minutioribus, sed solum, quemadmodum dixi, quod ex iis omnibus coniunctis, habitisque pro differentia, propriam sibi, & ab omni alio distinctam naturam possideat.

Ac illa quidem omnia specialibus notionibus, conceptibusque comprehenduntur, sed ita tamen, ut interim corpus, quod ex ipsis, quasi totum quid resultat, ac minime est divisum in se, sed ut unum quid intelligitur, denominationem obtineat talis corporis quod in certo rerum genere habeatur.

Et potest quidem intelligi pene idem fieri, ex eventorum quorundam congerie, quæ in nullo alio reperiantur eadem, hoc est, potest quidem res, quibus illa congruunt, ex ipsorum notionibus discerni, ac denominari, sed tum tamen solum, cum ea singula advenire deprehenduntur, utpote cum non sint ex illo accidentium genere, que ut in existentia sunt, sic sunt necessario, semperque coniuncta, ac idcirco faciunt perpetuam denominationem.

Quæri hic posset, an, si facta per mortem nostri exsolutione, contingeret ipso temporis progressu, ut casu quodam eadem omnia, ex qui-

quibus constamus, principia, iterato, ac eodem modo, quo iam sunt, coadunarentur, iidem, qui iam, existeremus, ac denominari possemus? Respondendum vero, id quidem indubium, sed ita tamen, ut nihil ad nos, prius aliquando fuisse, attineret; quoniam in ipsa exsolutione periisset omnis habitus, omnisque memoria eorum, qui fuissemus: sicque proinde foret omnis repetentia, reminiscentiaque nostra interrupta, ut ne posset quidem, quod olim extitissemus, in mentem venire. Atque hæc quidem de universo.

## CAP. II.

### De Mundo.

Laert. X. 88. Sequitur, de mundo dicamus, qui ipsius universi, seu infinitatis rerum quædam portio, ac describi potest non incongrue, cœli complexio, sidera, terramque, & quicquid est rerum conspicabilium, continens.

Cum cœli complexionem dico, innuo cœlum esse partem mundi extimam, quæ & æther dici, & regio ignis valeat, ob sidera, quæ continet, quæque sunt totidem, quasi accensi ignes.

Terram autem cum memoro, partem mundi imam, seu quasi mediam intelligo, cui & inest aqua, & incumbit aer, ignis regioni proximus; & cum varia sint, quæ ex pobis, & in his creari videmus, id circo illa nomine rerum conspicabilium comprehenduntur.

Quoniam vero & potest, & solet requiri de mundo, qua forma interius, qua figura exterius sit? æternusne sit, an initium habuerit? alione autore, quam ipsa natura, fortunave indiguerit? qualis exortus & totius, & partium ejus fuerit? aliquone egeat rectore, an vices per se obeat? an, quomodo, quando sit interiturus? unicusne sit, an sint præter ipsum alii innumerabiles? ideo paucis est de singulis dicendum.

## CAP. I.

### De forma, & figura mundi.

Et circa primum quidem caput, non est sane mundus interna sua forma, constitutioneve animatus, ac multo minus Deus, ut aliqui existimant, sed cum quidquid unum forma aliqua, seu constitutione censetur, tale sit, vel quod ejus partes uno habitu contineantur, veluti planta, aut animal, vel quod compingantur quidem inter se, verum absque crasi aliarum in alias, quemadmodum domus, aut navigium, vel quod dissitæ quidem mutuo sint, sed quandam tamen relationem ad se invicem habeant, ut exercitus, & respublica; mundus est solum partim secundo, partim tertio modo reputandus unus. Cicer. de Nat. Deor. I. & II. 17.

Et secundo quidem modo haberi unus potest, quatenus inter solem, lunam, ceterasque partes mundi solidiores, compactioresque intercipitur, sive aer, sive æther diffusilis, quo veluti cohæsio fiat. Potest vero etiam tertio, quatenus rursus sol, luna, terra, aliaque corpora compacta, sic dissita inter se sunt, ut non sine quodam tamen ordine superiorum, inferiorum, antecedentium, consequentium, illustrantium, illustratorum, regiones, sedesque obtineant.

Dice-

Dicere autem esse mundum primo praeterea modo unum, qui intelligi valeat? cum, si res ita se haberet, ac mundus, ut volunt, foret animans, nihil existimandum inanime foret, non lapis, non etiam cadaver, non demum quidvis aliud, scilicet uno habitu, qui anima esset, per omnia diffuso.

Nec vero, qui esse mundum animantem, sapientemque asserunt, satis attendunt, intelliguntque, in quam cadere naturam id possit. Siquidem quemadmodum arbor non nascitur in aethere, non piscis in arvo, non sanguis in ligno, non humor in pumice, ita non potest animus, animave nasci, aut esse indiscriminatim in quolibet corpore, sed cum certum sit, ac dispositum, *ubi quidvis crescat*, & insit, quaerenda omnino est eius natura non longe a nervis & sanguine, ac proinde nullatenus in putribus terrarum globis, in aqua, in sole, in aethere, &c.

Cic. Nat. Deor. l. 10. Quod autem aliqui contendunt, esse non modo animo, & sensibus praeditum mundum, verum esse quoque rotundum, ardentem, volubilem Deum; haec jam sunt portenta, & miracula, non sane disserentium, sed somniantium Philosophorum. Ecquis enim possit intelligere, qualis sit iste volubilis, & rotundus Deus? Quae vero illi tribuitur vita? Nempe, ut ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidem possit. In qua non video, ubinam mens constans, & vita beata possit insistere.

Ibid. Esto vero mundus Deus, ut sol, luna, ac cetera, partes Dei sunt; sic ipsa quoque profecto terra, quoniam pars mundi est, pars est etiam Dei. Atqui terrae maximas regiones inhabitabiles, atque incultas videmus, quod pars earum appulsu solis exarserit, pars obriguerit nive, pruinaque, longo solis abscessu. Quae, si mundus est Deus, quoniam partes mundi sunt, Dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt.

Ad externam formam, figuramve quod spectat, certum inprimis esse videtur, esse quoddam mundi extremum, quoniam mundus est aliquod, quasi resegmentum universi infiniti; at vero quale istud sit, ecquis valeat coniicere, nisi illinc advenerit? Laert. X. 88.

Nam, cum illud quidem esse videatur cęlum, nihil esse rerum apparentium, quod repugnet, quo minus sit rarum, nihil, quo minus densum sit. Rarum, quod possint sidera, quae in ipso sunt, moverique apparent, motus suos per ipsum obire. Densum, quod possit ipsummet sidera sibi infixa clere.

Rursus, nihil proinde repugnat, quo minus aut quiescens sit, si sidera quidem per ipsum moveantur, aut circumactum, si sidera ab ipso rapta circumducantur.

Adhaec, nihil quoque repugnat, quo minus rotundum, ovatum, aut lenticulare sit, ac praesertim quidem, si ipsum moveatur; nihil rursus, quo minus sit triangulare, pyramidaleve, quadratum, hexahedricumve, aut figura alia facierum planarum, ac potissimum, si immotum sit. Laert. X. 74. 88.

Qui certe quibusdam ducti argumentis, unamquampiam determinatam figuram mundo sic asserunt, quasi habere aliam non possit, Cicer. Nat. Deor. l. 10.

est quorsum miremur eorum tarditatem. Nam tuentur quidem plerique esse mundum, ut immortalem ac beatum, ita & rotundum; quod ea forma ullam esse negat pulchriorem Plato; at mihi quidem vel cylindri, vel quadrati, vel coni, vel pyramidis videtur esse, (propter varietatem scilicet,) formosior.

## CAP. II.

### *De novitate Mundi.*

Quod ad secundum attinet caput, non est sane æternus mundus, sed esse aliquando cœpit.

Lucret. V, 336 seq. Nam primum quidem, cum eadem sit natura totius, quæ partium, & observemus partes mundi esse ut interitui, ita ortui obnoxias; idcirco oportet totum quoque mundum esse interitui, ortuique obnoxium. Partes porro ipsius mundi exoriri, ac interire, seu nativas esse, ac mortales, tum sensu ipso demonstratur, tum inferius quoque deducendum est.

Neque dicat quis, mutationes, quæ in partibus mundi fiunt, non præcipuarum esse partium, ut solis, lunæ, terræ, aliarum; sed minorum solummodo, quæ sunt duntaxat particulæ, ex quibus illæ præcipuæ constant. Quippe is coniicere debet, si præcipuæ partes ex partibus constant mutationi obnoxiis, esse & ipsas totas mutationi obnoxias; ac nisi crebro occurrant causæ adeo validæ, ut illas immutent, nihil obstare nihilominus, quin tales aliquando occurrant; uti & inter ipsas minores quædam diu perstant incolumes, quæ temporis tamen progressu mutationis causas inveniunt.

Lucret. V, 329. Deinde, cum rerum historiæ omnium antiquissimæ, bello Thebano, Troianoque superiores haudquaquam sint, quorsum id quæso, nisi quia mundus admodum vetustus non est, tantum abest, ut sit æternus? Nam si æternus quidem, cur non Poetæ quoque alii alias aliasque res cecinerunt? Quonam tot virorum illustrium toties cecidere tot gesta? cur nusquam florent insita æternæ famæ monumenta?

Pari ratione, cum omnes artes recens adinuentas habeamus, quando inventores omnium non nesciuntur, (nam & quod in dies multæ excolantur, incrementumque accipiant, nimis quam manifestum est,) quorsum id quoque nisi quia mundus non potest valde pridem cœpisse? Neque enim potuisset mundus tamdiu carere artibus, quæ tantæ ad vitam sunt utilitatis. Id. V, 333.

Quod si forte credis paria monimenta, paresque artes antehac fuisse, quæ magnis quibusdam incendiis, diluviis, terræmotibus, una cum ipsis urbibus, gentibusque eversis perierint: annon fatearis necesse est, futurum quoque aliquando terrarum, cælique exitium, uti & contigisset, si illis casibus gravior aliqua causa incubuisset? Quippe & nos ipsi non alia de causa mortales reputamus nos, quam quia deprehendimus nos iisdem morbis ægrescere, ac illos, quos vidimus mori. Ib. V, 339.

Habuit ergo mundus initium; neque, ut constare ex his potest, vetustatis est valde magnæ. Quandocunque autem cœperit, videtur omnino a verna anni tempestate cœpisse. Nempe, cum tunc omnia

nia

nia primum germinarint, floruerint, fetus conceperint, & ipsa mundi novitas temperiem caloris, frigorisque exegerit, (scilicet fovendis novis fetibus,) priusquam deinceps in alterum extremorum deflecteret ur.

## C A P. III.

### *De causa Mundi.*

Ad succedens caput quod spectat, eximendum inprimis est a sollicitudine, ac labore mundi exstruendi divinum Numen: Neque enim esse potest a causa beata simul, ac immortali, quæ ipsum fabrefecerit.

Lact. X, 76.

Quibusnam certe oculis intueri Plato potuit fabricam illam operis tanti, qua construi a Deo, atque ædificari mundum facit? quæ molitio? quæ ferramenta? qui vectes, quæ machinæ? qui ministri tanti muneris fuerunt? Quemadmodum autem obedire, & parere voluntati architecti aer, ignis, aqua, terra potuerunt? unde vero orta illæ quinque formæ, ex quibus reliquę formantur, apte cadentes ad animum efficiendum, pariendosque sensus? Longum est iterare omnia, quæ talia sunt, ut optata magis, quam inventa videantur.

Cicer. de Nat. Deor. 61.

Sed & is, quem perhibet, Deus, aut non fuit, priore illo ævo, quo corpora sive immota erant, sive nullo ordine ciebantur, aut dum dormivit, vel vigilavit, neutrumve istorum. Primum admitti non potest, siquidem Deus æternus est. Neque secundum, quippe si ab æterno dormivit, mortuus ergo fuit; quoniam æternus somnus mors est. Sed ne capax quidem somni Deus est; magno enim intervallo divisa sunt immortalitas Dei, & res vicina morti. Quod si vigilavit, aut aliquid ipsi ad felicitatem defuit, aut perfecte beatus fuit. At prius non sineret eum esse felicem; non est enim felix, cui aliquid ad felicitatem deest. Posterius vero absurdum est, quoniam, cui nihil deest, inanis illi rerum molitio.

Cic. Ibid. Plut. Pl. l. 1.

Quid ergo erat, ut hæc inculcem, quod concupisceret Deus mundum signis, & luminibus, tanquam ædilis ornare? si ut Deus melius habitaret, antea videlicet tempore infinito in tenebris, tanquam in gurgustio habitaverat? Post autem, varietatene eum delectari putamus, qua cœlum, & terras exornatas videmus? Quæ ista potest esse oblectatio Deo, quæ si esset, non ea tamdiu carere potuisset?

Ibid.

An dicet quis hominum causa fuisse hæc a Deo constituta? Veruntamen sapientumne? Propter paucos ergo tanta est facta rerum molitio? An stultorum? At primum, causa non fuit, quod de improbis bene mereretur. Deinde, quid est assecutus, cum omnes stulti sint sine dubio miserrimi, maxime quod stulti sunt? Miserius enim stultitia, quid possumus dicere? Deinde, quod tam multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vitare venientia possit, nec ferre præsentia.

Cic. Ibid. Lactant. VII. 5. Lucret. V, 166.

An & mundum fecit, & in mundo homines, ut ab hominibus coleretur? At quid Deo cultus hominum confert, beato, & nulla re indigenti? Vel, si tantum honoris homini habuit, ut ipsius causa mundum fabricaret, & institueret eum sapientia, ut dominum viven-

Lactant. I. 6.

tium faceret, eumque diligeret, tanquam filium, cur mortalem, fragilemque constituit? cur omnibus malis, quem diligebat, obiecit? Cum oporteret & beatum esse hominem, tanquam coniunctum & proximum Deo, & perpetuum, sicut & ipse, ad quem colendum, & contemplandum figuratus est.

Hisce ergo de causis dicendum est potius, effectum esse mundum natura, seu mavis, ac ut aliquis Physicorum dixit, fortuna.

Natura, inquam, quatenus ea natura est atomorum, per illam universi, seu naturæ rerum immensitatem discurrentium, ut sibi invicem magna quadam copia occurrentes, apprehendere se, irretireque, & implectere mutuo possint; ac sese varie commiscentes, primum quoddam veluti Chaos, & in vorticis modum glomerari, ac deinde post multas convolutiones, evolutiones, factisque molitionibus, & quasi tentamentis variis, (omnigenos videlicet motus, cętusque experiundo) in eam tandem formam coire, qualem mundus hic exhibet.

Lucret. l. 1020. Fortuna vero, quod atomi non consilio aliquo, sed prout sors obtigerit, concurrant, cohærescant, coaptentur, adeo, ut fortuna proinde, quemadmodum dictum jam est, non ideo sit causa per se aliqua, quæ atomos temperet, & ad talem effectum disponat, sed quod atomi sint ipsa fortuna, quatenus nulla præmeditatione sibi invicem occurrentes, sese complectuntur, & tale concretum, prout obtingit, faciunt.

## CAP. IV.

### *De exortu Mundi.*

VErum ut rem paulo specialius deducam, & ad aliud caput interim accedam, videtur mundus in hanc figuram circumtornatus, conformatusque huiusmodi quadam, sine follibus, & incudibus, ratione prodiisse.

Inprimis, cum atomi motu inconsulto, ac fortuito essent, & continuo simul, celerrimeque cierentur, ubi in hunc immensitatis locum, in quo jam est mundus, occeperunt concurrere, seseque apprehendere, coacervatæ simul fuere in unam rudem, indigestamque molem, in qua magnæ parvis, rotundæ angulosis, leves hamatis, aliæ aliis commistæ fuerint. Plut. pl. 1. 4. Lucret. v, 420.

Deinde, in confuso hoc cętu, eæ, quæ maiores, gravissimæque omnium erant, cępere lensim subsidere, & quæcunque fuerunt exiles, rotundæ, parvæ, lubricæ, illæ ipso earum concursu, cępere exprimi, & in sublime ferri. Prorsus ut in turbida aqua, donec quiescit, inclarescitque, partes terræ deorsum subsidunt, aquæ sursum quasi eliduntur. Postquam vero impellens, elidensque vis, quæ sursum agebat, elanguit, neque ictus amplius in altum evexit, ipsæque interim atomi elisæ regredi deorsum, prohibitæ ab aliis sunt, tum agiliores ad oras usque circum extremas avolarunt, tum aliæ, & ab ipsis reflexæ, & ab aliis pone instantibus repressæ, facta est mutua quædam implexio, quæ cęlum generaverit. Lucret. v, 450.

Quæ atomi autem & eiusdem naturæ fuerunt, (cum, ut dictum est, Ibid. v. 434.

variæ

variæ fuerint,) & acervatim, dum in sublime compellerentur, circumvolutæ; eæ perfecerunt, solis ac lunæ, astrorumque aliorum naturam. Hujusmodi autem fuerunt potissimum ignificæ; nam quæ ab ipsis relictæ sunt, neque tam altum emergere potuerunt, illæ aeris naturam crearunt.

Tandem ex iis, quæ subsederunt, ipsa terra genita est. Et cum multum adhuc in terra superesset materiæ, eaque verberibus ventorum, aurisque ex astris spirantibus condensaretur; quæcunque eius figuratio ex particulis minutis constabat, expressa est, humidamque genuit naturam. Ista hæc, cum esset fluida, in cava, & ad excipiendum, continendumque idonea loca defluxit, aut ipsa per se aqua consistens, idonea loca excavavit. Præcipuæ ergo mundi partes genitæ fuere in hunc modum.

De minus præcipuis, ac veluti partium particulis quidpiam addam: Videntur in prima illa commistione effecta fuisse generabilium corruptibiliumque rerum varia semina, ex quibus res variæ & conformatæ tum fuerint, & deinceps magna ex parte propagari etiam potuerint.

Et saxa quidem, ac metalla, ceteraque fossilia, intra ipsummet terræ corpus, tum, cum ipsa formata est, ideo concreari potuerunt, quod massa foret heterogenea, seu ex atomis, ac seminibus diversæ naturæ constaret. Et quod ipsæ saxorum moles ad usque superficiem diversimode extuberarent; ideo creati exinde montes, uti & quæ convalles, ac planities non potuere ipsis non intercipi.

Subinde vero circum montes, collesque, & in vallibus, ac per arva, herbæ, virgulta, arbores, eo proxime modo, quo circa volucrum, & quadrupedum corpora ac membra, plumæ, pili, setæ, nascuntur.

Verum, ad ipsa quidem animalia quod attinet, par est ipsam terram, novum genitale semen retinentem, quosdam ex se folliculos, in quorundam quasi uterorum similitudinem protulisse, eosque cum maturuissent, natura cogente ruptos, animalia tenera profudisse: deinde terram ipsam humore quodam, qui esset lacti similis, exuberasse, eoque alimento animantes esse nutritas.

Nutritas, inquam, eas animantes, quæ ita fuerunt conformatæ, ut partes omnes nutritioni, usibusque aliis necessarias habuerint. Nam, ut dum Nilus agros deseruit, & terra cœpit ardore solis exarescere, cultores varia animalia versis glebis inveniunt, partim inchoata, partim imperfecta, & trunca, ac ita quidem, ut in eodem altera pars vivat, altera rudis terra sit, sic par est inter prima illa telluris, quasi tentamenta, præter animalia perfecte formata, enata fuisse aliqua, orba manuum, orba pedum, orba oris, orba aliarum partium, sine quibus non licuit aut alimentum sumere, aut diu ætatem producere, aut genus suum propagare.

Quod de aliis autem animalibus dico, idem & de homine ipso dictum volo intelligi. Videlicet folliculos, uterosve aliquos radicibus terræ cohærentes, & a sole con-

Lib. V. 476. sq.

Lucret. V. 781.

Ib. 789.

Ovidius Metam. I. 423. seq.

Lucret. V. 804. sq.

concalefactos primum increvisse, & infantibus ex se editis ingenitum lactis humorem natura ministrante præbuisse, quos ita educatos, & adultos genus hominum propagasse.

Lucret. V, 836. Duo quædam addo: Unum, hautquaquam esse probandum, quod aliqui aiunt, fuisse tunc enatos, ac viguisse Centauros, Scyllas, Chimæras, aliaque monstra ex diversis generum partibus constantia. Qua enim ratione potuerunt in Centauro, exempli gratia, hominis & equi membra cohærere, cum tertio quidem ætatis anno vix puero adhuc ablactato, equus jam floreat; & dum equus jam præ senio languescit, homo florescente juventute sit?

Ib. 911. Alterum, ut tellure nova, & seminibus pluribus, vegetioribusque, plura ac maiora, quam nunc, creata fuere animalia, & in ipsis homines quoque, adeo, ut illud hominum genus fuerit in arvis durius, tanquam ex ossibus, nervisque & maioribus, & solidioribus compactum; sic destitisse demum terram, tanquam seminibus exhaustis; & quasi mulierem spatio vetusto defessam talia animalia sponte parere; exinde fieri, ut jam nusquam sponte erumpant homines, sed & ipsi, & perfectiora, maioraque alia animalia propagatione sola oriantur.

## CAP. V.

*De obeunte suas vices mundo.*

Lucret. II, 1092. Cic. de Nat. Deor. I, 8. SEquitur quæstio, an per se, an alicuius Numinis providentia regatur mundus?

Itaque existimare inprimis non oportet aut motum cœli, aut æstivam, hybernamque solis conversionem, aut solis, lunæque defectum, aut ortum, occasumve astrorum, aut alia huiuscemodi ideo fieri, quod sit præfectus aliquis, qui sic disponat, disposueritve, ac simul beatitudinem, immortalitatemque possideat. Non enim cum felicitate congruunt negotia, sollicitudines, iræ, gratiæ, sed hæc præ imbecillitate, metu, opisque externæ indigentia contingunt. Ib. 19.

Neque oportet rursus, cum id muneris & molestum sit, & a felici statu abhorrens, existimare eam naturam, quæ felicitatem est nacta, eiusmodi esse, ut sciens, ac volens hasce animi commotiones, sive perturbationes subeat, sed tuendam potius respectu illius venerationem omnimodam, ac orationis genere uti, eas suggerente cogitationes, ex quibus nullæ venerationi contrariæ opiniones nascantur. Laert. X, 76.

Quare opinandum est potius, tum, cum mundus procreatus est, factos fuisse eos circumplexus circumvolutionum seu atomorum, ut creatis exinde corporibus cœlestibus, nata in ipsis fuerit hæc necessitas, qua tali modo moverentur, & circuitus tales obirent, ac pari modo cetera omnia vices suas agerent, pro cœpto semel iterum cursu. Laert. X, 77. Damis Epicur. ap. Lucian. in Jove Trag.

Cur vero hoc potius non sit opinandum? Nam, sive Deus ipse est mundus, ut aliqui existimant, quid potest esse minus quietum, quam nullo puncto temporis intermisso, versari circum axem cœli admirabili celeritate? Cic. I. c. sup.

Nisi quietum autem, nihil beatum est. Sive in ipso mundo Deus inest aliquis, qui regat, qui gubernet, Ibid.

beruet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordinesque conservet, qui omnibus in locis, omni tempore, præsto sit, & quantaquanta singularum rerum varietas, seu innumerabilitas potius est, in totidem distrahatur curas, dando scilicet operam, ut hoc, non alio modo fiant: næ ille negotiis, ut ante obiiciebam, molestis, operosisque est implicatus.

Quid quod, tametsi vel supponatur solum, non curari a Deo res, contingere non secus omnia, ac si nulla esset providentia, deprehendetur? Quippe nonnulla quidem bene, verum pleraque etiam male, & secus, quam deberent, eveniunt. Nam, ut omittam cetera, nonne, si ipse Jupiter fulminat, fulminave regit, deberet saltem parcere templis, saltem non facere occasionem, qua dubitetur, annon id, casu potius, quam divino consilio eveniat? Scilicet, quasi omnibus rebus cursum tenere pergentibus, vicesque suas obeuntibus, prout fuerit ab initio ceptum.

Lucret. VI. 416.

Certe hoc quoque maxime valet, quatenus specialem hominum respectu asserunt providentiam. Nam ut præteream, quod jam dixi, non posse beatam, immortalemque naturam ulla teneri ira, aut gratia; sic hominum res a Deo non curari, qui se illæ secus habiturae sunt. Par in illis, aut etiam major, quam in ceteris animalibus imbecillitas: paria incommoda, par malorum seges. Servantur eorum aliqui conceptis votis, ex naufragio, quam multi, votis conceptis, pereunt? Multi liberos precati obtinent, quam multi frustra, ut obtineant, precantur?

Senec. de benef. L. IV, c. 4. Lucret. II. 645. &c. Lactant. de ira Dei c. 4. Lucret. V, 123. Lucret. V, ... Lucr. IV, ...

Sed, ne longum faciam, cur, si curæ Deo res humanæ sunt, & bonis male, & malis est bene? Movet me sane, quod video bonis adversa semper contingere, paupertatem, labores, exilia, charorum amissiones: malos contra beatos esse, augeri potentia, honore affici. Quod innocentiam minus tutam; scelera impune committi; quod sine delectu morum, sine ordine, ac discrimine annorum sævire mortem, sed alios ad senectutem pervenire, alios infantes rapi, alios jam robustos interire, alios in primo adolescentiæ flore, immaturis funeribus extingui: in bellis potius meliores & vinci, & perire. Maxime autem commovet, homines inprimis religiosos gravioribus malis affici, iis autem, qui aut Deos omnino negligunt, aut non pie colunt, vel minora incommoda evenire, vel nulla.

Lactant. lib. II.

Quin etiam mihi videor, non male hac ratione argumentari. Aut Deus vult tollere mala, & non potest, aut potest, & non vult; aut neque vult, neque potest, aut & vult, & potest. Si vult, & non potest, imbecillis est, ideoque non Deus. Si potest, & non vult, invidus, quod æque alienum a Deo. Si neque vult, neque potest, & invidus, & imbecillis est, ideoque neque Deus. Si vult, & potest, quod solum Deo convenit, unde ergo mala? aut cur illa non tollit?

Lactant. de ira Dei c. 13.

## CAP. VI.

*Obiter de Geniis, seu Dæmonibus.*

Perinde est porro, seu Deus res curet se ipso, ut aliqui volunt, seu, ut contendunt, per administros, quos Genios, ac Dæmonas

Cassius Epicureus ap. Plut. in Bruto.

passim appellant. Quippe & res non secus contingunt, ac si administri huiusmodi esse nulli supponerentur, & ut concedantur esse aliqui, non possunt ii sane, quales fingunt, esse, humana videlicet forma, & voce, quæ ad nos pertingat. Ut taceam, cum plerumque mali & vitiosi esse dicantur, non posse eos proinde felices, longævosque esse, quod pravitati comes adsit & cæcitas multa, & pronus ad ea, quæ interimunt, lapsus.

Epicurus ap. Orig. L. I. & IV. c. Celsum.

Quam optandum foret, ut aliqui essent, qui nostri curam gererent, ut, quæ desunt prudentiæ nostræ, nostrisque viribus, supplerent! Quam speciatim optandum iis, qui sunt in bello sanctissimorum honestissimorumque facinorum duces, ut non solum armis, equis, navibus, sed ipsorum quoque Deorum auxilio possent fidere.

Cassius ap. Plut. l. c.

Ac nonnulli quidem interdum apparere quibusdam dicuntur: sed quidni ii, qui Genios sibi apparere commemorant, aut mentiuntur, & fingunt, aut melancholici sunt, talesque, ut ærumnosorum corpus ipsis tum suspendat, tum ad extraordinaria deflectat imaginationem? Notum est certe, nihil esse imaginatione comparatius ad movendum, transformandumque, (tametsi in re nihil subsit,) in omnem speciem. Quippe, quod facta menti impressio similis sit illi, quæ in cera fit, quodque humanæ menti habenti in se, quod fingit, & quod fingitur, ea insit vis, ut sumta ex rebus visis, auditisve occasione quapiam vel levissima, speciem ex se ipsa facillime variet, atque transfiguret, ut manifestum quidem faciunt, quæ per somnum fiunt, insomniorum commutationes, tanquam ex quibus deprehendatur imaginatrix facultas, varietatem omnigenam affectuum, visorumque subire. Ut proinde mirum non sit, si, ubi facultas est læsa, dæmones, aut alia, de quibus quidpiam, quocunque modo præconceperint, videre videantur.

Solent insuper argumento ad stabiliendum, ut providentiam, ita extantiam dæmonum, obtendere divinationem: sed piget humanæ imbecillitatis, quando & ex somniis divinationem repetit, quasi nempe Deus per grabatos incedens stertentes admoneat visis tortuosis, quid sit venturum: & ex omni portentorum, ostentorumque genere; quasi, nisi Deum commiscuerimus, non modo cum sole, cum luna, cum variis animalibus, sed cum omni etiam aere, ac lapide, non habeamus satis idoneum eventuum huiusmodi opificem, fortunam & casum? Cic. de Divinat. II, 63

Verum, ut de solis oraculis dicam, cum possit tot modis convinci, esse illa meras vatum imposturas, tum vel ex eo sane subodorari in promtu est, quod versibus utantur malis, quique sint plerumque principio trunci, medio elumbes, fine claudicantes: quod sane non contingeret, si funderentur divinitus, quando a Deo, nihil, nisi bene, decenterque fieri par est.

Et memini quidem, cum Sami adolescerem, solitum jactari oraculum illud, quo ferebant, Polycratem insulæ tyrannum, Pythia, & Delia celebrantem, mis- Apollonius Orat. 26. ἢ γὰρ Σαμίοις

fisse simul Delum; sciscitatum Apollinem, num, quæ spectarent ad sacrificium, ad præfinitum tempus offerret: ac respondisse Pythium, hæc tibi Pythia, & Delia sunt; addentes inde significatum, ea illi extrema futura, siquidem ipsum non multo post tolli e medio contigit: verum, qui potuit responso illo significari ea sacrificia fore extrema potius, quam media? nisi quod vulgo avidi nimis auricularum homines sunt?

## CAP. VII.

### *De fine seu interitu mundi.*

Cic. de Nat. Deor. L. 2. JAm esse mundum interiturum, finemque habiturum, ex eo dependet, quod genitus sit, exortumque habuerit. Siquidem necesse est, omnia, ut concernuntur, ita discerni, inque ea dissolvi, ex quibus coaluerint: illa quidem id perpessa ab istiusmodi caussis, sed omnia aliunde, & aliquando tamen. Quo magis profecto mirari par est; esse aliquos, qui non modo natum introducentes mundum, sed etiam manu pene factum, edicant ipsum sempiternum. Quæ esse enim potest, ut supra arguebam, coagmentatio non dissolubilis? aut quid est, cujus principium aliquod sit, nihil sit extremum?

Plut. Plac. lib. 4. Videtur sane esse mundus, animalis, aut plantæ instar, quemadmodum genitus, ita corruptioni obnoxius; tum, quia non secus ac illa, ex atomis constat, quæ propter motum intestinum, quo indesinenter cientur, moliri denique exsolutionem possunt, tum, quia, ut illis, ita & mundo accidere potest extrinsecus caussa, quæ ipsi exitium afferat; maximeque, cum notum sit, unamquamque rem una via natam, denasci posse compluribus; tum, quia, ut in illis tres ætates sunt, adolescentia, vigor, & senium; ita mundus primum Lucret. II. v. 1104. &c. quodammodo increverit, (quatenus etiam post genitale tempus accessere extrinsecus ex universo atomi, quæ per ipsa mundi quasi spiracula subierint, & ex quibus cœlum, sidera, aer, mare, terra, alia adaucta fuerint, congruis videlicet ad congrua sese accommodantibus.) Deinde vero, quia crescendi debuit aliquis esse finis; in perfecto quodam quasi statu constiterit: ac jam demum occœperit ita quasi fatiscere, ut agnosci omnino possit ad extremam vergere ætatem.

Confirmatur autem inprimis Lucret. V. v. 307. &c. ex eo, quod, ut videre licet temporis progressu turres ruere, saxa putrescere, delubra, & simulacra fatisci, unde & denique exsolvuntur: ita videamus mundi partes sensim deteri, ac deminui. Terræ pars multa abit in auras, Lucret. V. 252. Lucret. VI. 600. &c. (ne aliquid dicam de majoribus illis concussionibus, quibus metus incutitur, ne quando tota corruat, & subtracta pedibus, quasi in barathrum feratur,) aqua partim quoque in auras Lucret. V. 262. halatur, partim per terras sic dividitur, ut non omnis sit refluxura; Ib. 273. aer continuo immutatur, rebus quidem multis in ipsum excedentibus, sed & multis quoque ex Ib. 282. ipso recreatis: ignis demum, non modo noster, sed etiam sidereus, ut qui est in sole, sensim deperit, abjectu

abjectu & emissione lucis. Quo circa neque est, cur rearis, debere hæc mundi corpora manere æterna.

Ib. 381. Deinde, ex eo, quod videmus esse inter ipsa mundi corpora continentem pugnam, ob quam interdum quidem incendia, interdum vero & diluvia, quasi viribus contingunt. At quemadmodum in palæstra, ita necesse est, ut in mundo contrariorum alterum denique prævaleat, omniaque pessundet. Si quis autem quærat, utrum duorum ratione verisimili sit prævaliturum: responderi potest, illud esse ignem, tanquam actuosiorem, & a sole præsertim, cœlitusque suppeditatum; adeo, ut superantior evasurus denique sit, ac sit mundus proinde conflagratione periturus.

Ib. 382. Postremo ex eo, quod nihil indissolubile sit, nisi quod sit aut solidum, quemadmodum atomus, aut intactile, ut inane, aut nihil habens extra, unde aut dissolvens causa adveniat, aut quo ipsum possit excedere, ut universum; mundus autem neque solidum quid sit, propter inane intermistum, neque etiam intactile quid, propter naturam corpoream, neque denique nihil extra habens, ob sui extremum; quo fit, ut & clades contingere extrinsecus, a corporibus, nempe incurrentibus, & confringentibus valeat, & sive ea extrinsecus, sive intrinsecus accidat, habeat, quo dissolvi, & effundi queat.

Lucret. II. 1144. Quod addo quidem, quia potest mundus non conflagratione duntaxat, aut, si velis, etiam inundatione perire; sed modis quoque pluribus, quos inter ille præcipuus est, ut, quemadmodum animal, quicum jam illum comparavi, ipsa animæ compagine soluta, in varias partes solvitur, quæ & ipsæ tandem plane exsolvantur, & vel dissipentur, abeantque in auras, ac minutissimos pulveres, vel inserviant etiam ad procreandum alia animalia; ita ipsis mundi quasi mœnibus fatiscentibus, dantibusque ruinam, frusta illius varia subinde solvantur, ac abeant tandem in atomos; quæ libertatem inanis nactæ, & coeffundantur, & repetant motus primigenios, & vel longum, diuque procurrant, vel brevi, aut in mundos alios incidant, aut cum atomis aliis concurrentes in gignendos novos mundos coalescant.

Tametsi certe, ut animal potest ab animæ excessu aut ocyus, aut tardius omnimode exsolvi, ita utrumvis possit ipsi mundo contingere; attamen probabilius est, fore, ut puncto temporis nihil reliquiarum extet, præter atomos, ac spatium desertum, quod quacunque ex parte lethi quasi janua aperta prius fuerit, illac omnis materiæ turba sese foras datura sit. Lucret. II. 1162.

Quod dixi autem vergere ad extremam ætatem mundum, id vel ex eo fidem ducit, quod effœta tellus, ut jam quoque attigeram, vix parva creet animalia, quæ edidit olim ingentia, quodque vix plurimo labore segetes, frugesque suppeditat, quas initio ubertim effudit. Unde & frequentes sunt queri- Lucret. II. 1150.

mo-

moniæ laudantium sæcula prio-ra, accusantium præsentia; cum non videant hanc esse rerum sortem, ut omnia paullatim tabescant, & spatio ætatis vetusto defessa, veluti in scopulum tendant. Utinam modo ratio potius, quam res ipsa persuadeat, fore, ut parvo in tempore conquassari omnia cernamus.

## CAP. VIII.

### *De infinitis Mundis.*

Laert. X. 45. Plut. Plac. l. 5. Lucret. II. 1047. PORRO, quod demum requiritur, sintne præter hunc alii, & non modo plures, sed etiam numero infiniti mundi? Videtur omnino dicendum, dari numero infinitos. Quippe atomi, cum sint infinitæ, ut demonstratum jam ante est, per infinitatem spatiorum feruntur; ac alibi aliæ, proculque ab hoc varie invicem concurrentes coalescere in fabrefactionem mundorum infinitorum possunt. Atomi siquidem ad hoc comparatæ, ut ex ipsis mundus constare, efficique valeat, absumi non possunt, cum sint infinitæ, neque in unum, neque in aliquot qui definito numero sint; & neque in quotcunque unius modi; neque in quotcunque inter se diversos. Quare & nihil obstat, quo minus sit talis mundorum infinitudo.

Metrodorum ap. Stobæum Ecl. Phys. p. 52. Sane vero tam est absurdum, in universo infinito unum mundum fieri, quam in magno agro, granis plurimis consito, unam spicam nasci.

Nempe, ut in agro causæ plurimæ, ipsa nimirum semina simul cum loco in promtu sunt, sic in universo, præter ipsum locum, non modo causæ plurimæ, verum infinitæ etiam suppetunt; ipsæ scilicet atomi, perinde ac illæ, ex quibus hic mundus coaluit, coeundi capaces.

Lucret. II. 1077. Plut. de Orac. def. Accedit, quod nullam videamus rerum generabilium ita esse unam, ut non eodem sub genere multa consimilia obtineat: (sic enim homines, sic feræ, sic volucres, sic pisces singulatim sub suis quibusque generibus multiplicantur.) Quare & cum non modo sol, luna, terra, mare, & partes mundi ceteræ fuerint genitæ, sed ipse etiam totus ex iis constans mundus, fatendum est prorsus & illas, & hunc non singulares esse, sed plures, & numero quidem, ob jam dictas causas, innumero, atque infinito.

Laert. X. 45. 73. 74. Cum nihil vero sit, quod repugnet, mundos alios partim similes, partim dissimiles isti nostro, esse: nam & possunt esse æquales, possunt majores, possunt minores; possunt qui habeant easdem, eodemve ordine sitas partes, possunt, qui habeant alias, aliove sitas ordine: possunt, qui sint eadem præditi figura, possunt, qui præditi diversa, (quippe non possunt quidem esse figurarum omnigenarum, ut dictum ante est, atomos, cum definiti sint ambitus, non posse infinitis modis figurari: sed possunt tamen innumerarum, ut globosæ, ovatæ, pyramidales, &c.) cum, inquam nihil repugnet; hæ tamen omnes diversitates sunt duntaxat quædam quasi conditiones, quæ communem mundi qualitatem, ac rationem varient.

Laert. X. 73. 89. Videtur autem quilibet alio-

rum

rum mundorum, veluti & iste, & omnis alia concretio, quæ in immenso inani fit, & simile quidpiam cum iis, quæ passim observamus, habet, per proprios quosdam atomorum quasi vortices, convolutionesve seorsim procreari, atque id quidem sive in intermundio, (ita vocamus, juxta ante dicta, intervallum, inter duos aut plures mundos non multum dissitos comprehensum,) sive in loco multivacuo, (seu in quo versantibus licet corporibus corpusculisve, plurimum tamen spatiorum vacuorum intercipitur,) sive denique in magno, immistoque, & puro inani; tametsi non, ut aliqui hujusmodi inane assumentes, describunt.

n. 89. Nimirum, secus ac fit ab illis, intelligendum est confluere, nisi ex infinito, at saltem ex uno, pluribusve, sive mundis, sive intermundiis, idonea quædam semina, hoc est, congeriem quandam congruam atomorum, corpusculorumve, quę sensum hic, illic mutuo coaddantur, varieque formentur, & locum etiam varie, prout contigerit, commutent, ac insuper extrinsecus accrementa quædam quasi irrigua accipiant, quousque constans ex omnibus concrementis specialibus moles perficiatur, stabilimentumque obtineat, quantum quidem ferre ipsius quasi fundamenta substrata valuerint.

Ib. 90. Alioquin certe quo in inani generari mundum contingit, non sufficit acervum fieri, convolvique, & incrementum, quamdiu in aliud incurrerit, accipere, eo modo, quo acervus nivis, dum supra nivem volvitur, juxta opinionem, quod sic fieri ex necessitate oporteat, ut Physicorum appellatorum ait aliquis: siquidem id pugnat cum iis, quæ apparent. Neque enim acervus, cujus intimus quasi nucleus solidus sit, & extima etiam quasi crusta solida, aut convolvi potest, aut incrementum accipere, si interstitium, nucleum inter crustamque interceptum, sit fluxum; quale in mundo esse contingit.

Quod superest, esse alios quoque mundos, quia geniti sint, corruptioni obnoxios, manifestius est, quam ut dici debeat. Nam & quod alii ocyus, alii segnius, alii ab his, alii ab illis dissolvi causis valeant, res pertinet ad singularem uniuscujusque diversitatem. Laert. X, 74.

## CAP. III.

### *De rebus humilibus, seu terrenis.*

VErum, ut missis ceteris, de hoc nostro mundo specialius dicamus, age, cum omnia, quę in eo sunt, aut terræ ambitu contineantur, elatiorave humo non sint, aut sint in sublime, hoc est, supra humi, terræve superficiem elata, ac ideo possint generatim in res humiles, terrenasve, & sublimes, sive cœlestes, atque aereas dividi: age, inquam, sermonem primum de prioribus instituamus, & ex eo quidem præsertim, quod, ut nobis propiora sunt, magisque familiaria, ita possint fieri argumenta, ex quibus conjicere de posterioribus, quæ remotiora nobis, minusque perspecta sunt, liceat.

Videtur autem esse inprimis ipsum terrę corpus generatim spectandum; ac subinde aqua, pars

massæ

massæ insignis; terræque ipsi varie, partim ad superficiem, partim etiam intus commista, & postea quæ minora sunt, ac passim tota massa visuntur corpora, partim inanima, ut sunt mineralia, lapides, ac plantæ, partim animata, quæ & dici animalia, seu animantes, moris est.

## CAP. I.

### *De terra in medio mundi consistente.*

Lucret. V. v.450-481. PRimum itaque circa ipsam terram, diximus jam ante, quemadmodum fuerit cum reliquis mundi partibus formata. Sane vero nihil fuit necesse, formari eam prius extra mundi ambitum, ac ita formatam recipi in mundum, cum satis fuerit, comprehendi in mundana massa talia semina, ex quibus una cum reliquis mundi partibus gigneretur: eo modo, quo nihil fuit necesse, ipsa animalia exterius, seu ex ipsa rerum infinitate prius secerni, ibique formari, uti in hunc mundum jam perfecta deducerentur; neque item e cœlo, tanquam illic prius elaborari debuerint, delabi in terram, cum ostendere nemo valeat, cur comprehendi illic potuerint ejuscemodi semina, ex quibus animalia, plantæ, & quæ cetera videre licet, constituerentur, non potuerint vero comprehendi hic; ac pari modo suppetere, unde illa & gigni, & nutriri possent.

Laert. X. 74. 75. ib. v.547.

Lucret. L. II. v.1151. Diximus vero etiam, terram, cum cœlum, aliaque sublimia sursum veluti avolarent, subsidisse in mundi medium, ac ibi, ut in imo loco, remansisse. Addendum jam, non quemadmodum ipsa media est mundi pars, in quam omnia pondera cadunt, ita dari in ipsa medium, seu, ut vocant, centrum; versum quod omnia pondera dirigantur. Scilicet omnia pondera parallelis motibus cadunt, non in angulum vero connituntur, quod fit sicut in universo, ita & in mundo regio unica sursum, e qua gravia omnia adveniant, unica deorsum, in quam eadem tendant.

Lucret. L. I v.1051-ibid.

Quo fit, ut probandi non sint, qui dant antipodas dicunt, homines nempe in aversa terræ regione ita sitos, ut vestigia nobis opposita urgeant, eo modo, quo videre licet simulacra hominum, aliarumve rerum inversa aut consistere, aut procedere etiam subtus aquam. Quippe illi præter naturam, & conditionem rerum gravium, tueri conantur, & homines, & alia corpora terrena illic posita, sursum seu versus terram niti, & tam non posse e terra in loca cœli inferiora recidere, quam nostra hæc non possunt in cœlum sponte avolare. Utcunque aliunde cohærenter suę suppositioni dicant, esse antipodibus diem, cum nobis est nox, & noctem, cum nobis est dies. Ibid.

Itaque, terra quidem in orbem, circulumve est conformata; sed tamen quasi discus, aut tympanum, non vero quasi sphæra, aut globus. Nempe hæc ejus facies, quam nos incolimus, quæque habitari sola potest, lata est, seu plana, non vero globosa; ac talis, in quam omnia pondera recta, seu ad normam ferantur, quemadmodum dictum jam est. Ex iis, quæ de Leucippo, & Democrito habet Plutarch. & Laert. Gassend. ad Laert. X. p.672.

At vero, cum sic res se habeat, difficultas tamen non exigua est, qui fieri possit, ut consistat, neque Lucret. V. v.535.

que deorsum, in quam regionem diximus lapsuros antipodas, cadat. Verumtamen terra non cadit, quoniam insidet aeri, tanquam ipsi congenea, neque adeo ipsi oneri existens, ut animalia insident, tanquam congenea, ipsi terræ.

Lucret. V. v. 538. Nimirum facile est captu, esse in aere subjecto hanc terræ sustentandæ vim, quod terra, & aer, ab ipsa mundi conformatione, res congeneæ sint, & cognatione quadam revinctæ, tanquam ejusdem totius partes oneri sibi mutuo non sint; sed quasi omni gravitate, compressioneque deposita, Lucret. V. v. 535. mutua complexione teneantur; maximeque, cum possit terra, ad superiorem hanc sui partem magis compacta, gravisque esse, & sensim inferius magis laxa, minusque gravis fieri, quousque tandem parte sui infima ad aeris suppositi naturam proxime accedat.

ib. v. 541. seq. Propterea autem dixi, terram non fuisse exterius formatam, extrinsecusque illatam in mundum, eo nempe casu pondere suo aerem illum premeret, quemadmodum minimum pondus nostris sentitur corporibus, si extrinsecus imponatur, cum tamen nec caput, nec cetera membra sibi mutuo sint gravia, quod congenea sint, communique jure totius ejusdem corporis vinciantur.

ib. v. 559. Ac, ne incredibile sit, rem adeo tenuem, ac est aer, posse adeo crassam molem sustentare, cogita duntaxat, quam res sit tenuis anima, animalisve spiritus, & quam tamen crassam, quamque ponderosam molem corporis sustentet, ac regat, & vel eo quidem nomine solum, quod ipsi conjuncta, uniterque apta res sit; quemadmodum est aer ipsi terræ.

Non est vero propterea reputandum, terram esse animatam, ac multo minus Deam quandam, id enim jam ante refutatum est. Lucret. L. II v. 652. seq. Et terra quidem varias frequenter animantes parturit, at non, quod ipsa sit animata, sed quod continens varias atomos, variave rerum semina, multa modis multis efferat in lucem, unde animata formentur. Non desunt, qui aliunde terram magnæ Deum matris, ac Berecynthiæ nomine colant. Verum quod terra quidem donetur iis nominibus, (si abuti quidem divinis ad res naturales designandas, liceat,) potest res videri tolerabilis, at non sane, quod terræ quoque inesse divinitas credatur.

## CAP. II.

### *De terra motu, ac obiter de Ætnae incendio.*

Lucret. VI. 535. Interim autem mirum videtur, qui fiat, ut terra interdum commoveatur, concutiatur, tremat; verum hæc una est earum rerum, quæ possunt omnino pluribus modis contingere, & supponendo quidem rem, de qua ambigendum non videtur, esse ubique terram sui similem, ac subtus, perinde ac supra, habere speluncas, laculas, fluminaque volventia fluctus, saxa submersa, &c. Seneca Qq. Nat. VI. 10. Nam potest terram movere aqua, si partes aliquas eluit, & abrasit, quibus excavatis desiit posse sustineri, quod ferebatur integris, ib. paulo post. vel, si interiores lacunas, seu quasdam palustres, & jacentes aquas, impellat flatus aliquis, &

&

& inde aut ictus terram quatiat, aut agitatio spiritus, ipso motu crescens, & se incitans, ab imo in summum perferatur. Scilicet ut vas constare non potest, nisi quæ commota in ipso est aqua jactari intus desierit.

Lucret. VI. 554.

Potest & parte aliqua subito decidente terra percuti, & inde motum capere: cum & aliquæ ejus partes, quibusdam veluti columnis, ac pilis sustineri possint; quibus vitiatis, recedentibusque, tremat onus impositum. Quippe, cum videre etiam liceat totas ædes, propter plaustrorum, ferratorumque curruum agitationem successione tremiscere.

Senec. l. c. Lucret. VI. 547.

Potest quoque terram movere ipse spiritus: nempe, si aut terra, cum in partibus sui interioribus, inferioribusque crebritate foraminum, rimarumque sit interstincta, a spiritu varie disperso, & in cavernosas ejus cavitates incidente, concutiatur, ac tremat, eo modo, quo membra frigore subeunte, tremere, ac moveri invita coguntur; aut si superne ingrediente, compellenteque deorsum spiritu, terra ab aere subjecto, ut crassiusculo, & aquoso, (quippe sustentante,) sursum repellatur, & quasi subtercussa subsultet; quod contingit quidem rebus omnibus, quæ non modo in aliquid durum seu firmum, (aut ita intensum, ut pressum redeat) compelluntur; sed etiam in aliquid fluxum, si ad repellendum comparatum sit, ut cum intra aquam deprimitur lignum.

Plut. Plac. III. 15. Lucret. VI. 590. Plut. l. c.

Potest demum vis spiritus, si concipiatur in ignem versa, & fulmini similis, cum magna strage obstantium ferri. Scilicet, ut ignis fulmineus intra nubem genitus, tum ipsam perrumpit, tum aerem totum miro impetu concutit, sic commovere, perrumpereque, & concutere terram potest, qui potest intra ejus cavernas ex spiritu coacervato, exagitatoque generari ignis.

Senec. Qu. Nat. VI. 20.

Cum nulla porro caussa potior, quam petita ex spiritu, & hoc quidem modo postremo, videatur; tum aut ex ejus dispertitione in crebra terræ foramina tremor duntaxat gignitur, & (quasi per laxiorem terram transpiratio sit,) non sic terra perrumpitur, ut hiatus fiat, & vel subverti aliquid, vel inclinari deprehendatur; aut ex illius acervatione in cavernis majoribus, ea potest succussio, impulsioque consequi, ut terram subvehat, diffindat, eosque hiatus aperiat, quibus etiam integræ urbes, quemadmodum variis in locis sæpius contigit, absorbeantur.

Laert. X. 105.

Quod dico interea de vi spiritus, quæ in ignem versa, terram perrumpat, concutiatque, valere eo potest, ut intelligamus ex eadem esse caussa eructationes ignium, quæ fieri crebro iisdem in locis, ut ad Aetnæ crateras, solent.

Nam totius quidem hujusmodi montis subcava natura silicum cavernis ita suffulcitur, ut spiritus in iis conclusus percalescat, & qua hiatus superne patent, accensus erumpat, latera exedat, percoquatque, unde & cum flamma fumoque, favillas & pumices vomat.

Lucret. VI. 682.

Quoque magis facere id possit, adest mare ad radices montis, quod aquas advolvens, resorbensque ad littus, quousque speluncæ montis pro-

Ib. v. [illegible]

protenduntur, aerem intrudat, propellatque, quo ceu follium flatu intendatur, foveaturque incendium.

## C A P. III.

### *De mari, fluviis, fontibus, & de inundatione Nili.*

QUod ad aquas spectat, quæ in terra sunt, (nam de illis quidem, quæ in sublimi creantur, & ex sublimi decidunt, erit posterius dicendi locus) mira est inprimis illa earum congeries, quam mare vocamus, quippe prętet mare internum, quod oras nostras alluit, est etiam externum, seu Oceanus, qui universam terram habitatam circumiens, ita creditur a plerisque fornici cœli suppositus, ut sol & alia sidera ex ipso oriantur, ac in ipsum occidant; ut occurret quoque dicendum inferius.

Lucret. VI. 613. seq. Et certe, cum sit vastitas, seu quasi immensitas maris tanta, potest hæc haberi non postrema causa, quamobrem, ex tot fluminum ingressu non appareat augescere, nimirum, omnia flumina ad tantam molem comparata vix guttæ instar sunt. Adde, quod aliunde sol, qui radiis suis vestes madentes tam cito exsiccat, tametsi ex unoquoque loco non multum humoris delibet, non potest nihilominus non ex tanto spatio detrahere multum. Ut præteream, quantum possint quoque venti, dum mare verrunt, absumere, qui una sæpe nocte & vias resiccant, & lutum incrustant.

Ib. 616.

Ib. 631. Quanquam precipua videtur causa, quod cum ipsa terra sit raro, permeabilique corpore, & mari undique alluatur, debeant aquæ, ut in mare ex terra provolui, ita ex mari in terram subtermanare, ut iterum emergant, ac iterum fluant.

Neque vero debet facere negotium, quod aqua maris salsa sit, aqua vero fontium, & fluminum, dulcis; quoniam aqua ex mari terram pervadens sic percolatur, ut corpuscula salis exuat, illisque deinceps denudata redeat. Videlicet, cum maris corpus sit ex sale & aqua commistum, quia semina salis hamatiora sunt, aquę vero lęvigatiora; ideo ista quidem pręterlabuntur facile, illa autem non possunt non irretiri, ac passim relinqui. Ibid. 635.

Interea patet exinde causa, quæ esse videtur præcipua perennitatis fontium. Quippe potest quidem, qua illi scaturiunt, esse quædam aquæ vis ingens collecta, quæ ad fluendum suppetat, sed & ea videtur debere ex eo sufficì, quod aliunde quidpiam in ipsam continuo subter confluat. Et quamvis subterfluentes illi quasi riuuli conformari, ex respersis variis per terram seminibus possint; debent tamen semina hæc suffici ex mari terras subingresso. Lucr. X. 106.

Ibid.

Adeo, ut hinc fiat, quod jam dictum est, ut nimirum in fluenta primum minora abeuntes, dum per convalles coeuntes defluunt, in magnos tandem alveos coeant, cieantque magna flumina, quæ mare immensum assidue renovent, integrentque.

Quoniam vero nullus est fluvius, qui majorem sui admirationem pariat, quam Nilus, quatenus quotannis per æstatem exundat, Ægyptumque irriguam facit; ideo pręterеundum non est, contingere id posse, quia reflantes versus Ægyptum Lucret. VI. 714. seq.

ptum

ptum per id tempus Etesiæ mare attollunt ad Nili ostia, & arenas quoque ad illa provoluunt, adeo, ut non possit Nilus non resistere, intumescereque, & elatior alveo, in subiectam ipsi planitiem effundi.

Forte etiam contingit, ut flantes ab Aquilone Etesiæ nubes in
729. meridiem ultra Aegyptum convehant, quæ ubi ad præaltos convenerit montes, ibi contrudantur, exprimantque pluviam qua Nilus increscat.

ib. 735. Quid, quod contingere etiam potest, ut præcelsi Æthiopum montes iis onerentur nivibus, quæ tabificis solis radiis in aquam liquescant, Nilique alveum compleant.

## CAP. IV.

### *De aquarum quarundam proprietatibus, & de glacie.*

Lucret. VI, 888. UT seligamus autem præterea quasdam aquarum proprietates, visas vulgo mirabiles, prætermitto illam iam dictis affinem, quod cum aqua sal tam facile exsolvat, inque se ipsam induat, quidam sint tamen dulces fontes, qui e medio mari scaturiant. Scilicet perspicuum videtur id fieri, quod aqua inferne, seu ex fundo maris prosiliens, tanta emergat vehementia, ut marinam aquam dispellat, & neque ipsam, neque eius sal commisceri secum patiatur.

ib. 879. Fons ille Epiri admirandus, supra quem sita stupa, tædaque igne protinus concepto, flammescit. Sed nempe ex supposita terra tam multa caloris semina exspirantur, ut licet aquam pervadentia, calefacere eam non valeant: egressa nihilominus in libertatem aeris, & incurrentia in stupas, taedasve, seminibus igneis, quibus scatent quoque res huiusmodi, consocientur, ipsaque explicent in flammam, eo modo, quo, ubi lychno recens extincto flammulam admoves, accendi ipsum vides, priusquam a flamma contingatur.

At, quid dicendum de illo fonte, qui esse ad Ammonis fanum dicitur, frigido interdiu, & calido noctu? Nimirum, quod terra, quæ, circa hunc fontem, laxior licet ceteris terris, frigore tamen nocturno compressa, veluti elidat, sive exprimat, transmittatque in aquam, quæ continet multa ignis semina, unde & aqua incalescat; calore vero diurno laxata, eadem semina veluti resorbeat, inde & aqua frigida remaneat. ib. 848.

Quin fieri etiam potest, ut, quæ aqua ex eisdem seminibus, propter aerem, tempore nocturno frigidum, repressis, efficitur calida, evadat deinceps frigida tempore diurno, radiis solis ita aquam pervadentibus, ut liberum iis seminibus exitum in aerem faciant; idque non secus, ac dum glacies iisdem radiis penetrantibus, & rarefacientibus solvitur: quod, tametsi effectus oppositi sint, ex eadem tamen causa esse possint, ut liquefactio ceræ, & induratio luti. ib.

Eadem certe causa videtur proportione esse cum ea, ob quam aqua in puteis calida per hyemem, frigida per æstatem est. Id quippe contingit, quia terra æstate calore rarescit, & quæ continet semina caloris, exhalat; unde &, quæ in illa est abdita aqua, frigidior fit: hyeme autem, frigore comprimitur, condensaturque; unde &, si quem ib. 840.

continet calorem, exprimit in puteos.

Hæc interim me admonent, ut dicam de glacie, ob quam aqua nativæ suæ fluiditatis quasi oblita, solidescit, indurescitque. Quo loco supponendum est, sola corpora, quæ ex partibus, sive corpusculis planarum superficierum coadunantur, posse solida fieri, quod ob inanis exclusionem partes optime inter se cohæreant: cum, si orbicularia aut orbicularibus adiungantur, aut planis intermiscantur, intercipiatur circum inane, in quod ipsa evolui, & plana inclinari possint: unde & mollities, &, (nisi aliunde hami sint, qui retineant,) fluxibilitas consequatur.

Laert. X, 109. Itaque glacies ipsa fit, aut dum exploduntur ex aqua orbicularia, & caloris efficientia corpuscula, coarctantur vero, quæ in eadem aqua reperiuntur plana, ipsaque partim obtusorum, partim acutorum angulorum: aut dum ea corpuscula adsciscuntur extrinsecus, (& fere quidem ex aere, ubi ipse ex illis refriguerit,) quæ & pressa, & extrudentia quotquot occurrunt orbicularia, firmitudinem in aquam inducant.

## CAP. V.

*De terrenis rebus inanimis.*

CUm iam dicendum sit de rebus, quæ ex terra & aqua gignuntur, notum est inprimis illa aut animata, aut inanima esse; Animata vero esse, quæ cum sensu sunt, & vulgo animalia, animantesque dicuntur; inanima, quæ carent sensu, unde & hoc nomine veniunt cetera, quæ neque animalia, neque animantes dicere licet.

Huiuscemodi autem sunt, primum succi quidam concreti, quemadmodum sal, & quod sulphur gigni, quod bitumen tetro odore concrescere in terra videmus. Continent hæc vero non modo caloris subterranei, incendiorumque, (quale Aetnæum iam diximus,) præcipuam causam, sed graves etiam halitus, qui in sublime elati, averna creant, morbosque inducunt, unde & erit hac de re, cum de sublimibus, agendum. De succino, quo attrahuntur paleæ, attingendum erit quidpiam statim post. Lucret. VI, 806.

Sunt deinde ipsa metalla, quæ tum reperta primum fuerunt, cum sylvæ seu fulmine accensæ, seu igne aliunde excitato, inductove, arserunt, & facto radicitus incendio cohærentia radicibus metalla fuere liquefacta, ac tum sui nitore perstrinxere oculos, tum eadem figura observata fuere, qua ipsæ lacunæ, in quas fluentia fuerant excepta: Nempe coniecturam exinde duxerunt, posse eadem vi ignis liquefacta in figuram quamlibet, etiam acutam, ac tenuem formari, & ob resumtam soliditatem ad perforandum, ad cædendum, & ad alios usus accommoda fieri. Lucret. V, 1240.

Præterea autem, ut non modo plumbum, sed etiam aurum, & argentum, quod ad istos usus inutiliora reperirentur, neglectiora iacuerint, solumque æs in pretio fuerit, ex quo tela, gladii, secures, vomeres, alia parabantur; donec repertum ferrum est, ex quo potius ista, ob duritiem maiorem, confici cœperunt. Ibid. v. 1272.

Sunt rursus saxa, lapidesque, quo-

quorum multi quidem indies gignuntur, aut e rupibus deripiuntur: sed ipsa tamen rupium, saxorumque præcipua moles ab initio usque fuit conformata; cum & hæc causa, ut ante dictum, montibus ansam fecerit, & nunquam non videatur terra gessisse in gremio, ut flumina, lacunas, ventos, ita & speluncas, & rupes, saxaque derupta.

Lucret. VI, 536

Cum soleant vero lapides ipsa suiduritie, soliditateque discerni, tum prima quasi acie constant & saxa adamantina, sueta ictus contemnere, (nempe incudibus sic deprehenduntur, ut ferrum utrinque dissultet,) & validi silices, ex quibus ferri ictu ignis idcirco evolat, quod semina ignis abstrusa in venis contineat, neque vis ferri frigida obstet, quin ad eius ictum excitata concurrant.

Lucret. II, 447.

Denique sunt ex genere inanimorum & ipsæ plantæ, hoc est herbæ & arbores. Quippe anima sine sensu non est, ac videmus eorum, quæ animata sunt, quæque idcirco animalia, animantesque, ut dixi, vocantur, alia donata esse movente, appetenteque anima, alia etiam ratiocinante; at vero plantæ nec sensu pollent, nec utravis anima præditæ sunt, nec possunt proinde animalia dici.

Plut. Pl. V, 26

Ac habent quidem commune quidpiam cum ipsis animalibus, puta nutritionem, accretionem, generationem; verum ista sponte naturæ, non ductu animæ peragunt, ac proinde non nisi imitatione quadam vivere; & mori, sicut animalia, dicuntur. Unde & quæ dici de istis possent, intelligenda a pari, & proportione quadam sunt, ex iis, quæ sunt de animalibus dicenda.

Adderem, ut prima sationis, insitionisque origo tum facta fuerit hominibus, cum baccæ, glandesque caducæ observatæ fuerunt pullulascere, novasque, & similes iis, ex quibus essent, plantas creare; sed rem insinuasse est satis. Lucret. V, 1360.

## CAP. VI.

### *De Magnete specialiter.*

Hærendum potius nonnihil est circa rem inanimem quidem, sed admirabilissimam tamen visam. Lapidem inteligo Herculeum, quem & magnetem dicimus, quod in Magnesia fuerit primum repertus. Is nempe admirationi habetur, ob singularem illam vim, qua ad se allicit, ac pertrahit ferrum. Lucret. VI, 907.

Ad explicandam porro hanc vim tria, aut quatuor quædam supponenda sunt, quorum unum est, effluere continue corpuscula quædam ex omnibus rebus, ut quæ ad colorem, & lucem spectant, ex coloratis, & lucidis, quæ ad calorem, & frigus, ex calidis, & frigidis, quæ ad odorem, ex odoris, atque ita de ceteris. Ib. 921.

Alterum, nullum esse corpus adeo solidum, quod non inania spatiola intercepta contineat; id nempe declarant omnia corpora, per quæ humor manat aut transsudatio fit; per quæ præterit lux, aut sonus; per quæ intime penetrat, aut calor, aut frigus. Ib. 936.

Tertium, emissa corpuscula non esse rebus omnibus eadem ratione congrua: Sol quippe emissis a se radiis lutum indurat, liquefacit nivem; ignis metallum solvit, corium contrahit, humor ferrum cale- Ib. 959. sq.

factum reddit durius, corium vero mollius: oleaster homini amarissimus, capellæ gustatum delectat: amaracinum hominis olfactum alliciens, fugat sues, &c.

lb. 981. Quartum, inania spatiola non esse in rebus omnibus, uniusmodi circumscriptionis: quare neque eadem quibuslibet corpusculis accommodari. Nempe id sensuum texturæ monstrant; propterea enim, quæ corpuscula ista afficiunt, illa non movent, aut quæ afficiunt ista uno, afficiunt illa alio; itemque texturæ ceterarum rerum, quæ eædem sane non sunt permeabiles iisdem rebus.

Galenus lib. 1. de nat. fac. Iam ex his intelligitur, posse Herculeum lapidem attrahere ferrum, (uti & succinum paleas) ratione quidem duplici. Nam primum quidem concipere licet, atomos effluentes ex lapide, ita congruere cum illis, quæ ex ferro effluunt, ut in amplexus facile veniant. Quare & impactas utrinque, (nempe in ipsa tam lapidis, quam ferri corpora concreta,) ac resilientes deinde in medium, circumplicari invicem, & ferrum simul pertrahi.

Galen. l. 1. Quoniam autem videmus fieri, ut ferrum a lapide attractum possit ipsum quoque aliud ferrum attrahere; An dicemus effluentium ex lapide particularum non nullas quidem, ubi ferro occursaverint, resilire, & has ipsas esse, per quas suspendi ferrum contingat; nonnullas vero illud subeuntes per inanes meatulos transire: quam ocyssime, & consequenter impactas in ferrum aliud proximum, (cum illud subingredi omnes nequeant, tametsi prius penetrarint,) hinc resilientes versus prius complexus alios prioribus consimiles efficere: si quas autem adhuc penetrare contigerit, posse illas aliud adhuc ferrum pellicere, aliudque adhuc pari ratione?

Deinde, si rem concipere licet, ut effluant quidem tam ex magnete, quam ex ferro corpuscula, sed plura nihilominus, potentioraque ex magnete, ex quo fiat, ut aer semper longe magis discutiatur circa magnetem, quam circa ferrum, atque idcirco plura circa ipsum, quam circa ferrum inania spatiola cieantur. Et, quia cum ferrum collocatur intra discussi aeris sphæram, multum inanis inter ipsum & magnetem est interceptum; tunc evenit, ut in eam partem corpuscula ferri liberius prosiliant, ac versus magnetem proinde ferantur; non possint vero maiore quadam, insolitaque copia eo contendere, quin pelliceant simul cohaerentia, atque idcirco totam ferri massam, quæ ex cohærentibus constat. Lucret. VI, 1000.

Dici etiam posset, motum ferri adiuvari ab aere, ob continuam quandam ipsius motionem, agitationemque. Et primum quidem ab exteriore, qui cum semper urgeat & urgeat vehementius, qua ex parte copiosior est, non potest non impellere ferrum, in quam partem est parcior, seu inanior, utpote versus ipsum magnetem: ac deinde ab interiore, qui pari ratione cum semper agitet, commoveat, compellat, non possit non indere motum, in quam partem spatium factum est inanius. Sed de magnete nimis. Ib. 1022 seq.

CAP. VII.

## CAP. VII.

*De Animalium generatione.*

Dicamus iam de animalibus, quæ tanta varietate sunt, (cum alia gradiantur, alia etiam volent, alia natent, alia repant, alia maiora, alia minora, alia perfectiora, alia imperfectiora, & nos ex illis etiam simus, ) quæque aliunde sane sunt eiusmodi, ut admiranda naturæ vis in ipsis presertim eluceat.

ex Laert. X, 75. iuxta paraphras. Gassend. p. 54. Quippe, cum supponendum sit, fuisse naturam ab ipsis rebus, continuatave rerum serie veluti edoctam, & necessitate quadam, seu motuum concatenatione coactam, ad hæc tam multa, tamque varia, quæ appellitamus opera naturæ, patranda, tum ipsum accipiendum, præsertim de ipsis animalibus est; quoniam in illis potissimum ipsa motuum concatenatio, profecta licet ab aliqua rationis experte substantia, effecta est artificialis.

Videlicet, cum atomi præditæ ex se ratione non sint, & ipsarum motus, quantum est ex se, absque ductu rationis fiant; natura tamen cuiusque animalis, talis initio mundi coaluit, ut pro temperatione motuum, quos tunc subierunt atomi, alii, aliique sint consecuti, qui pari ratione eliciti, pares semper produxerint; at- Galen. l. de foetus format. c. 17. que ita, qui initio casuales fuerant, procedente tempore artificiales, hoc est, certa lege succedentes evaserint, naturaque proinde iis utens, necessaria quasi doctrina imbuta sensim fuerit.

Verum, ut res paulo uberius dicatur, cum mundi initio varia animalium procreata fuissent genera, evenisse primum videtur, ut sumtis alimentis congruis, familiares atomi a iam inexistentibus attraherentur, irretirenturque, (excretis dissentaneis, ) adeo, ut specialis cuiusque natura, (huiusmodi nempe concretum ex huiusmodi atomis,) adolesceret, ac roboraretur. Adde Gassend. ad Laert. X, 619.

Deinde, ut ex atomorum motione perpetua, ac evolutione intestina, aliquæ semper sedibus suis emotæ, atque excurrentes in partes genitales dictas, undequaque confluerent, factaque sexuum distinctione, post appetitionem mutuam, complexumque initum, in utero reciperentur.

Tum, ut atomi aut ex ipsis moleculæ semineæ, quæ ex singulis defluxissent partibus, (ex quo debet proinde semen, quasi aliquid incorporeum intelligi, non sane per se, quia huiusmodi est solum inane, sed ob familiarissimum vocis usum, quo incorporeum dicimus, quidquid facile per solidissima visa corpora penetrat, ac subit,) ut atomi, inquam, seu moleculæ, quæ sic defluxissent, ideo motione perseverante, sese ex confusione subducerent, & cum similes traherentur, confluerentque ad similes, ideo, quæ forent ex capite, in unam regionem se reciperent, quæ ex thorace in consequentem, & quæ ex aliis partibus singulis, in singulas suas, sicque animalculum tandem formaretur illi simile, ex quo semina decidissent.

Insuper, ut tale animalculum suctu similium, seu atomorum, seu molecularum concurrentium, aleretur, & cresceret, quousque uterus lassatus, neque amplius nutri-

endo par, motionibus eius laxaret habenas, seu potius fores aperiret, exitumque permitteret. Ad hæc, ut istud animal simili ratione adultum, nec cessante corpusculorum agitatione, consecutioneque, simile aliud gigneret, ipsumque aliud consequenter.

Tandem, ut natura, paulatim adsueta propagationem animalium generibus similium ita procurare, quasi disceret, ut ex motione, ac serie illa atomorum perpetua, necessitatem contraxerit ita continuo operandi.

Atque hæc quidem, quod attinet ad generationem animalium, quæ propagatione proveniunt, nam, quæ sponte alioquin enasci videmus, possunt ea iam non secus gigni, ac fuere initio omnia genita, seu remanserint ab usque initio conformata quæpiam eorum semina, seu conformentur etiam in dies aut intra, aut extra ipsa animalia: &, si intra quidem, dispergantur deinceps foras, (ut in erucarum, muscarumque generibus,) ac superfint eorum, seu in terra, seu alibi, quædam quasi reliquiæ, ex quibus alia generum eorundem animalia deinceps gignantur.

Quod porro, inter cetera, de feminis defluxu dixi, id non mari solum, verum feminæ etiam tribuo, quando ipsa quoque emittit, cum adstites, testesve habeat, positione obversa licet, ac propterea appetitione ad venereos usus feratur.

Sane & hoc videtur esse assumendum, ut reddi causa valeat, cur mas, cur femina formetur? Quippe nihil magis congruum dici potest, quam quod, cum fœtus ex paterno, maternoque semine constet; si paternum prævaleat, mas; si maternum femina fiat.

Quin etiam causa reddi hinc potest eius similitudinis, quæ est cum altero, aut utroque parente. Nam si femina quidem vi subita commulxit, corripuitque semen masculeum, tum fœtus matri similis fit, si mas femineum, similis matri, si ex æquo uterque, similis utrique, sed mixtim. Lucret. VI, 1203.

Quod si requiras, cur interdum nascantur filii avorum, proavorumque similes: id fieri ex eo videtur, quod semen ex pluribus contexatur moleculis, quæ non semper exsolutæ omnes ad atomos usque, proximeve ipsas, in generatione prima, proximave aliqua, sese deinceps in aliqua succedentium se explicent, ut quod potuissent in proxima, id præstent solum in remota. Ib. v. 1211.

At, undenam sterilitas? Nempe ex eo, quod semen sit aut æquo tenuius, ut non possit locis adfigere adhæsum, aut crassius, ut ægre admisceatur. Quippe inter masculeum, femineumque semina harmonia quadam opus est, exindeque fit, ut persæpe, qui vir, mulierque inter se gignendi incapaces sunt, gignere seorsim cum aliis possint. Præterea autem causas aliunde petitas, ut ex alimento, cum aliud esse constet, ex quo concrescunt membris semina, aliud, ex quo extenuantur, ac tabent. Ib. vi. 1234.

## CAP. VIII.

### *De usu partium in animalibus.*

EX hisce autem sequitur, ut partes animalium non fuerint ab usque initio, eo quo sunt, modo conformatæ, propter fines, ususve illos, quos habere deprehendun- Lucret. L. IV. v. 822. Lactant. de opif. c. 6.

duntur; (siquidem nulla fuit causa, quæ hoc prospiceret, cum & nihil tale præcessisset, ad quod illa attenderet, ut ex eo coniecturam capiens quidpiam simile destinaret:) verum, quia contigit partes eo, quo sunt, modo fieri, aut existere, ideo hosce usus, potius, quam alios obtinuere, dedereque illius notitiam.

Lucret. l. c. Lactant. III, 17. Hinc neque fuere oculi ad videndum facti, neque aures ad audiendum, neque lingua ad loquendum, neque manus ad operandum, neque pedes ad ambulandum, quoniam membra hæc prius nata sunt, quam esset videre, audire, loqui, operari, ambulare, sed ipsorum officia extitere ex natis.

Gassend. ad Laert. X, p. 683. Nempe, quia intra ipsum corpus conformata est simul anima, eaque sensus capax, contigit simul oculum eiuscemodi fieri contexturæ, ut aplicita illi anima, non potuerit sensum videndi non elicere, & aurem eiuscemodi, ut illi adiuncta, non potuerit non exserere auditionem. Et quia concreatus intra corpus fuit animalis spiritus, impetus & motionis capax, contigit simul linguam ea esse ratione contextam, ut ad eam appellens, non potuerit eam non movere, & exspiratum simul aerem in vocem non elidere; & manus quoque ac pedes, & ceteras partes ea ratione esse dearticulatas, ut in ipsas irruens, non potuerit non istam, & illam indere motionem.

Galen. L. 1. de Usu part c. 21. Certe, ut vel hoc de tendinibus, quæ manifesta organa sunt, quibus partes cientur, attingam, perspicuum videtur, non, quia ii sunt crassi, actiones esse validas, nec quia tenues, imbecillas, sed actiones quidem ex usibus vitæ, ut tales sint, vel tales, cogi, ipsam vero tendinum molem sequi motionis quantitatem. Qui videlicet exercentur, bene se habent, & incrassescunt, ut par est, qui vero otiosi sunt, non nutriuntur, & extenuantur.

Quamobrem, non, quia melius fuerit, vehementiorum functionum tendines fortes, crassosque esse, aut imbecilliorum tenues, debilesque, ita conformati a natura sunt, (utique enim similis quoque formantur digiti,) verum, ut dictum prius est, crassities necessario exercitatos consequitur, eo, quod præclare nutriantur; pigrescentes gracilitas, eo, quod nutriantur deterius. Lucret. IV, 841. sq.

Prætero autem, argumentum hisce confirmandis posse ex eo deduci, quod pleræque partes ad eos interdum usus flectantur, ad quos nemo fuisse destinatas dicat, idque, ubi illos demonstrat aut necessitas, aut occasio, aut sumta aliunde quæpiam coniectura. Quo pacto, ne somniassent quidem homines concertare armis, nisi manibus prius depugnassent, neque clypeos obiicere, nisi prius vitanda vulnera sensissent, neque apparare lectos molles, nisi terræ prius indormiissent, neque pocula conficere, nisi prius manu haurire aquam scissent, neque domos exstruere, nisi antrorum usus illis innotuisset, atque ita de ceteris.

## CAP. IX.

*De anima, quæ animalium interna est forma, seu nota.*

Laert. X, 63. Lucret. III, 162. Nunc, ut de ipsamet anima, a qua animalia & sunt, & dicuntur,

cuntur, agamus, illa inprimis est habenda corporea, tenuissimum nempe aliquod, ut puta ex particulis tenuissimis contextum, corpus. Profecto enim, qui illam dicunt, (etiam citra abusum vocis,) esse incorpoream, ineptiunt, quoniam, si huiusmodi foret, neque agere quidquam, neque pati posset; neque enim, ut ageret, posset quidpiam contingere, neque, ut pateretur, a quopiam contingi, sed haberet se, ut merum inane, quod, ut ante dixi, eiusmodi est, ut neque agere, neque pati quid valeat, sed motum duntaxat quam liberrimum pertranseuntibus corporibus præbeat.

Laert. III, 169. Agere porro, & pati quidpiam animam, declarant perspicue ea, quæ circa sensus, affectusque eius contingunt: motiones item, quibus membra impellit, totumque animal intus regit, versat, somnio corripit. Unio universe, & consensio, qua cum ipso crasso, (quod solet fere in hoc negotio corporis nomine intelligi,) conspirat.

Laert. l. c. Lucret. III, 206. Interim vero non abs re dico esse eam corpus tenuissimum, tanquam contextum ex tenuissimis, subtilissimisve corpusculis, quæ aliunde sint maxima ex parte, ut lævigatissima, ita & rotundissima: quippe alia ratione permeare non posset, cohærereque intus cum Lucret. III, 218. corpore toto, omnibusque eius partibus, ut venis, nervis, visceribus, aliis; cum & res manifesta fiat vel ex eo, quod, ubi anima excessit a corpore, nihil delibatum ex Ib, 222. toto, neque ad speciem, neque ad pondus deprehenditur, similemque est, ut dum ex vino ipsius flos, spiritusve evanuit, aut ex ungueuto est odor efflatus: perinde enim moles vini, unguentique se, ac si nihil ex ea deperierit, habet. Adeo proinde, ut punctum sit prope, loculusve exilissimus, in quem recipi possit anima, si totam fingas conglomerari.

Ceterum, tametsi ea sit texturæ adeo tenuis, non obstat hoc tamen, quin mista, & composita sit ex quatuor quibusdam naturis. Plut. Plac. IV, 3 & adv. Colot. Nempe ea concipienda est, quasi quidpiam coalitum, temperatumque ex quodam igneo, ex quodam aereo, ex quodam flatuoso, & ex quarto innominato, unde sentiendi vis illi insit.

Ratio vero est, quia, cum moribundos tenuis quidam deserat flatus, talis flatus sit calori commistus, & calor secum aera trahat, quod nullus calor sine aere sit. Habemus iam tria, ex quibus anima contexatur; & quia nullum est horum trium, a quo esse motus sensiferi possint, ideo admitti debet quartum tametsi expers nominis, cui sentiendi vis attribuatur. Lucret. III, 233.

Confirmari autem res ex eo potest, quod flatus quidam, seu quasi aura atque ventus, sit ipsi corpori causa motus, aer quietis, calidum illius caloris, qui in eodem cernitur; at esse præterea quartum debeat, quod sit causa ipsius sensus. Stobæus Ecl. Phys. p. 93. sq.

Quin etiam, cum necessitas istius quarti perspicua sit, ira aliunde, qua cor fervescit, & micat ardor ex oculis, inesse calorem convincit; formido horrorem ciens in membris, auram frigidam copiosamque prodit, & tranquillus pectoris status, vultusque serenus aerem demonstrat. Lucret. III, 290.

Ex

Ib. v. 295. sqq. Ex quo fit proinde, ut, in quibus animalibus dominatur calor, ea sint iracunda, ut leones, in quibus aura frigida, ea sint timida, ut cervi, in quibus portio aerea, ea sint magis placida, ac veluti media inter leones, cervosque, ut boves. Quod idem quoque homines inter observare discrimen licet.

Denique autem, utcunque res mista, compositaque anima sit, & Ib. v. 263. quartum illud innominatum, seu sentiendi vis principatum inter partes teneat (nempe animæ quasi anima est, quod anima ab ipso habeat, ut anima sit, ipsaque animalia tanquam interna eorum forma, essentialisque nota discernat a ceteris rebus:) nihilominus hujusmodi partes adeo perfecte temperantur, ut inde fiat una quædam, æque ut tenuissima, ita & cohærentissima substantia. Neque enim, donec anima in corpore constat, secerni illa quatuor a se invicem magis possunt, quam a quolibet viscere, aliave re, odor, calor, sapor, qui insint ab ipsa natura.

Lucreti III. v. 324. Cum vero hujusmodi substantia in ipso corpore contineatur, & quasi cum ipso cohærens, ab eo veluti sustentetur: tum ipsa & causa est illi omnium facultatum, passionum, ac motuum, & vicissim ipsum continet ac regit, estque ipsi proinde salutis, & incolumitatis causa: neque enim magis secerni a corpore sine illius dissolutione potest, quam e thure odor evelli, quin ejus natura intereat.

Ib. v. 371. sq. Nihil est interim necesse, admoneam, videri abs re quempiam Physicorum existimare, totidem esse partes animæ, quot sunt corporis, quæ alternis mutuo applicentur: quoniam, cum animæ substantia res sit adeo tenuis, moles corporis adeo crassa, debent sane illius principia esse, ut tenuiora, ita & pauciora, quam ipsius corporis, adeo, ut non utique singulæ singulis, sed plusculularum moleculis, ac veluti aggerulis duntaxat singulæ cohæreant. Quo fit, ut interdum neque adhæsum pulveris, gressumve culicis supra corpus sentiamus, neque item nebulam noctu, neque fila aranei obvia, neque incidentes in nos plumas, pappos, id genus alia: utque adeo *ciendum sit* * nobis, corpuscula animæ complura ipsis corporis partibus immista, priusquam quidquam sentiscere contingens, concutiensque possint. * cienda sint.

Notandum est porro, esse aliquam internam in corpore partem ejusmodi temperaturæ, ut qua anima illi hæret, eximium quoddam complementum, quo perficiatur, accipiat. Hujuscemodi vero complementum ipse est animus, intellectus, mens, seu quam vulgo animæ partem rationalem appellitamus: idque, quod, cum cetera toto fusa corpore, animæ pars irrationalis sit, ipsa sola ratiocinetur. Lucret. III. 94. 137. sq.

Cum sit vero pars irrationalis duplex, sensus nempe, & affectus, seu appetitus, & medio quodam modo se animus habeat, quoniam & sensum habet prævium, ut de rebus judicium ferat, & appetitum consequentem, ut suo judicio illi præluceat; ideo, cum dicendum de singulis sit, ab ipso exordiendum est sensu. Laert. X. 63.

## CAP. X.

### *De sensu, qui est anima quasi anima, universe.*

Laert. x. 64. ITaque, ut de sensu primum universe quidpiam dicamus, observandum est, anima sic eum obtinere, ut tam ad habendum, quam ad utendum, corpore indigeat, quippe a quo interim contineatur, & quicum operari valeat. Cum vero corpus illi præstet, ut sentiendi causam possideat, ac uti illa valeat, efficitur quidem & ipsum hujusce effectus, ab ea pendentis, particeps (sentit scilicet,) at non tamen omnium, quæ illius sunt, ut tenuitatis, & similium.

Ib. 65. Quo minus sane mirum est, si discedente anima, corpus expers sensus remaneat: neque enim ipsum ex se ipso facultatem hanc possidebat, sed apparabat solum illam animæ congenitæ sibi, quæ per facultatem in ipso collaboratam, actum sentiendi, pro speciali sua motione exserens, tum sibi ipsi, tum illi quoque sensum, ob viciniam, cohæsionemve mutuam, atque consensionem tribuebat.

Lucret. III. 351. Hinc proinde fit, ut intelligamus, non animam solam, aut corpus solum per se sentire, sed utrumque potius conjunctim. Quippe, & quamvis ipsum sentiendi principium sit in anima; si quis tamen renuit ipsum corpus una sentire, & credit, animam toto permistam corpore, posse per se hunc sentiendi motum suscipere, is rei nimis quam manifestæ repugnat.

Lucret. III 360. Dicere profecto, quod aliqui faciunt, non oculos ipsos quidpiam cernere, sed animam solam per ipsos, ut per reclusas fores videre, non est advertere, si oculi quidem pro foribus sint, fore ut oculis exemtis, res debeant longe melius, tanquam foribus sublatis, spectari.

Enim vero, cum difficultas hoc loco præcipua videatur, qui fiat, ut res sensilis, sive sensus capax gignatur ex principiis, quæ plane insensilia, sive sensus expertia sint, idcirco adnotandum est, deberi hoc certæ, ac speciali eorum principiorum magnitudini, figuræ, motui, positioni, ordini, prorsus ut ante est declaratum, cum de qualitatibus ageremus. Nempe facultas sensus una est qualitatum, quæ, ut appareat, ubi non fuerit, fieri exigit adiectionem, detractionem, transpositionem, ac uno verbo, novam texturam, quæ id, quod præcedens, non potuerit, præstare valeat. Lucret. II. 882. seq.

Id certe imponere non debet, quod lapides, ligna, glebæ, aliæ res commistæ non sentiant, quippe, ut qualitates aliæ, ita & ista non ex qualibet, aut quorumlibet mistione creatur, sed refert omnino, & quantula principia sint, & quibus prædita figuris, motibus, ordinibus, ceterisque adjunctis. Ex quo efficitur, ut glebæ etiam, & ligna, aliaque hujuscemodi, ubi & imbribus putrefacta, & calore solis tepefacta, commutatos habuerint partium situs, ac ordines, in vermes, aliaque sensilia vertantur. Potest res sane intelligi, ex alimentis variis, quæ animalium corporibus applicita varieque immutata, haut secus evadunt ex insensilibus sensilia, ac ligna applicita igni, ex non inflammatis flammantia redduntur. Lucret. II. 885. seq.

Ib. v. 902. Ac ut appareat, quam abs re aliqui

qui contendant principia, ex quibus est sensus, ac res sensilis, debere esse sensilia; ecce, si illa ejusmodi sint, erunt igitur sane mollia, cum nulla res dura, solidave sit capax sensus. Quare &c, ut superius arguimus, erunt corruptibilia; quoniam, nisi solida sint, videtrahi possunt, atque idcirco naturam suam amittere; cum debeant tamen rerum principia, ut jam aliquoties inculcatum est, incorrupta perseverare.

ib. 906. Confirmatur autem, quia, si principia esse admittantur incorrupta, haberi sensilia non valeant, neque, ut partes, quia partes separatæ non sentiunt, neque ut tota, quia hoc modo essent quædam animalia, ac ideo mortalia, sive rursus corruptibilia, quod adversatur suppositioni. Quin etiam, licet admittantur, & quasi animalia, & immortalia simul; tum nullum animalium, qualia jam visuntur, gigni poterit, (quod nimirum sit sui generis, coalitumve in unam speciem,) sed acervus solummodo variorum animalculorum.

ib. 912. Hisce addice, quod si res, sensiles cum sint, gigni ex sensilibus debeant, hoc est, similes ex similibus, necesse sit ergo, juxta ante dicta, hominem, v. g. constare ex principiis, quæ ipsa rideant, plorent, ratiocinentur, quæ de mistura proinde rerum, deque se ipsis differant, requirentia, ex quibus constent, quippe ipsa similia facta rebus corruptibilibus, constare quoque ex aliis debent, quæ ipsa rursus ex aliis sint, aliisque in infinitum.

Quod superest, cum notum sit, esse in corporibus animalium quinque diversa sensoria, sive organa, quibus anima, (seu quæ est in ea sentiendi facultas,) res sibi objectas, seu sensibiles, diversimode, hoc est, videndo, audiendo, olfaciendo, gustando, tangendo, apprehendit, ac sentit, ideo nihil vetat quinque sensus admittere, videlicet, visum, auditum, olfactum, gustatum, & tactum.

Universe autem diversitas hæc ex eo oritur, quod partim colorum, visibiliumve rerum species, itemque soni, odores, sapores, & qualitates ceteræ texantur ex corpusculis, quæ sint magnitudinibus, figuris, positionibus, ordinibus, motionibus specialibus donata, partim ipsa sensoria visus, auditus, & aliorum sensuum contexturæ sint intercipientes ea spatiola, seu eos porulos meatulosve, qui sint quoque ipsi suarum magnitudinum, figurarum, positionum, ordinum, atque adeo, ut varia sunt, ita varias concinnitates, proportionesque tueantur, quibus commensurentur variis qualitatum corpusculis, sicque & isti illa, & illi ista admittere in sese possint. Unde & fiat, ut corpuscula solum, ex quibus species colorum constant, penetrare possint in sensorium visus, ipsumque adeo commovere, & afficere, non item vero corpuscula, quę sola, ac solummodo subire possunt, ac movere & afficere sensorium auditus, neque rursus alia, quæ sola, ac solum sensorium olfactus, atque ita de ceteris. Lucret II. 441. Plut. adv. Col. L. 1.

Exinde vero etiam fit, ut, cum observemus non modo diversa inter se animalia, sed homines etiam, non iisdem sensibilibus rebus affici, intel-

intelligi liceat, esse in ipsis non unius modi contexturas, & cum in confusis, simulque permistis corpusculis omnibus comparatum sit a natura, ut alia aliis congruant; ideo neque ejusdem qualitatis impressionem, apprehensionemque, seu sensionem in omnibus fieri; neque subjectum sensibile afficere pari modo omnes quibuslibet partibus, sed singulos quoque iis solis, ad quos prout incurrerint, concinnatum habuerint sensum.

Plut. l. c.

Nihil hic subiiciendum est de communibus sensibilibus, cujusmodi sunt magnitudo, figura, motus, alia, quæ pluribus sensibus possunt percipi, quod sufficere ea, quæ de ipsis in Canonica attigimus, possint.

## CAP. XI.

### *De visu, deque simulacris in ipsum incurrentibus.*

Cum deinceps pauca dicturi de sensibus singulis simus, ita exordiendum a visu est, ut; cum illius organum esse oculum manifestum sit, reputare oporteat, ideo externas rerum facies, formasve a nobis videri, quod aliquid extrinsecus ex ipsis ad nos, seu in oculum allabatur. Verum priusquam ostendamus; id esse longe probabilius, quam quod ab aliis assumitur; declarandum est, an, & quale sit, quod ex rebus adveniens allabi in oculum censemus.

Laert. X. 49.

Dicimus itaque inprimis, nihil repugnare, quo minus fiant ex corporibus extimis effluxiones quædam avolantium continenter atomorum, in quibus idem positus, idemque ordo, qui fuerit in solidis, superficiebusve ipsorum, servetur; ut tales proinde effluxiones sint quasi formæ, sive effigies, & imagines corporum, a quibus dimanant, & delineatione iis consimiles, superent longe sua tenuitate, quicquid est rerum conspicabilium. Tales certe sunt formæ, sive effigies, & imagines, quas nobis est moris, ut idola, seu simulacra appellitemus.

Lucret. IV. 46.

Et non repugnat quidem etiam formari in aere medio, circumfusoque spatio hujuscemodi quasdam contexturas; uti neque esse repugnat quasdam in ipsis rebus, & maxime in atomis dispositiones ad operandum ejusmodi spectra, quæ sint, quasi quædam meræ, inanesque cavitates, & superficiales, profunditatisque incompletæ, tenuitates: Verum nos hoc loco de iis loquimur, quæ quasi membranulæ, pellesve, aut exuviæ quædam e corporibus deripiuntur.

Lucret. IV. 35.

Non repugnare porro, aliqua ejuscemodi simulacra deripi, atque avolare ab extimis corporibus, ex eo insinuatur, quod, cum semper ab intimis corporibus aliquid effluat, odor, calor, frigus, &c. ut ante quoque attigimus, proclivius fit longe effluere, deripive ab extimis, quia cum atomi tam illic, quam hic, in perpetuo nisu sese extricandi, & abeundi sint, illic tamen, quasi obductis, obstet aliquid, hic vero, tanquam in prima fronte locatis, nihil sit, quod obstet. Ut præteream, fieri quoque hinc posse, cum avolantes ex superficie, eundem ordinem, situmque inter se, quem in ipsamet superficie obtinuerint, servent; non servent, quæ interne prodeunt, quod non possint non varie, ob ductus varios, conturbari.

Ibid. 67.

IV. Deripi autem, ac dari reipsa effluxiones hujusmodi, probari ex eo quidem posset, quod dum vela rubra, alteriusve coloris, theatris intenta solari luce perfunduntur, ea fiat ex ipsis dereptio, & emissio, qua conclusa intus omnia colorentur: verum abunde est experientia ab ipsis sumta speculis, quod vel ipsa sola demonstrent emitti revera, transferrique simulacra ab usque corporibus, quatenus, ipsis præsentibus, appellunt in specula; re quapiam interposita, a progressu in specula arcentur; ac si moveantur corpora, moventur & ipsa, si invertantur, invertuntur, si discedant, abeunt, si absint, sunt nulla.

Laert. X. 48. Lucret. IV. 160. sq. Cum nullum sit vere punctum temporis, quo non in medium simulacra hæc prodeant; debet sane eorum procreatio temporis puncto fieri, esseque ad ipsam superficiem jugi fluore indesinens; propterea enim discerni sigillatim non possunt, quod uno simulacro abeunte, aliud cohærenter succedat, inque ejus locum veluti suppleatur, ac servet continuo eundem atomorum ordinem & positum, qui in ipsa solidi, sive corporis superficie fuerit, idque in multum tempus, multamve distantiam, (tametsi tandem confunduntur,) ac fiat exinde, ut corpus semper iisdem cum adjunctis, eademque forma appareat.

Dico autem hoc loco formam, Laert. X. 50. quæ est ipsius corporis propria, ac esse intelligitur quasi collectio partium certo ordine positarum; vel quasi superficies, quæ relinquitur ab avolante simulacro.

Laert. X. 47. Mirum videri interim potest, quod, quasi nihil delibetur, corpus nihilo deminutum appareat; sed facit nempe tenuitas, quam incomparabilem jam dixi, quæque intelligi, nisi ex atomorum perspecta tenuitate, non potest. De hac porro dictum superius, circa animalculum ejus parvitatis, ut pars ejus tertia si esse supponatur resecta, inconspicua sit, & quod tamen, ut eas, quas obit animales functiones, eliciat, contexi ex iis partibus, particulisque debeat, ad quas commandas vix innumeræ atomorum myriades sufficiant.

Quare & hic prætereo illam conjecturam, quæ ex eo desumi posset, quod multæ odoræ sint res, e quibus tametsi indesinenter aliquid effluat, nihil in longum tempus neque ad speciem, neque ad pondus deminutum appareat; idque cum factæ effluxiones longe fiat ut crassiores, ita copiosiores ipsis simulacris, quæ simul cum ipsis excedentia, tantula pars excedentium sunt, ut nemo assequi, dicereque possit. Lucret. IV. 122. add. Gassend. ad Laert. X. 243.

Mira quoque videri potest avolantium celeritas, sed intelligi nempe illa debet, ex declarata superius celeritate atomorum. Quippe, cum ob eam tenuitatem, de qua dictum mox, simulacra nihil aliud sint, quam texturæ quædam atomorum simplicium, ea celeritas ipsis competit, quæ captum omnem fugiat, habentibus trajectionem omnem per circumfusum, transparensque spatium, consimilem illi, quæ per spatia illa infinita est, quandoquidem non admodum differt, seu nulla, seu pauca retrudentia sint, quæ ipsis per spatium circumstans occurrant. Certe, cum Laert. X. 47.

lux

lux solis, siderumque aliorum observetur tanta coelitus celeritate advenire, debet non minor, nisi etiam major, simulacrorum celeritas, propter atomos in fronte paratas, & ob nullam causam remorantem, esse.

## CAP. XII.

*Peragi visionem intercedentibus hujuscemodi simulacris.*

Laert. X. 49. adde Gassend. p. 249.

Hisce præmissis, cum aliqui sentiant res externas, ac dissitas idcirco a nobis videri, quod illæ nobis imprimant, quasi sigillatione quadam, sui, colorisve, atque formæ speciem, intercedente aere, qui inter ipsas, & nos est, tanquam organo, quo sigillatio peragatur: Alii autem id existiment fieri intervenientibus radiis, aut effluxibus aliis quibuscunque ex nobis, oculisve nostris ad ipsas promanantibus: Attamen longe est probabilius, peragi rem per simulacra, cujusmodi descripta sunt, quæ nempe advenientia ex rebus, coloreve, & forma ipsarum incurrant in nos, & servata congrua magnitudine, celeriterque admodum translata, in oculum subeant, visumque percellant.

Sane, illa quidem sigillatio res & nimisquam operosa, & inexplicabilis est; & ad effluxionem ex oculis quod spectat, dici non potest, quid specula, ut in ipsis quoque simulacra pingantur, emittant, neque quid id sit, quod ex oculo in totum usque coelum momento mittatur.

Macrob. Saturn. VII. 14.

Ut præteream, cum in audiendo, odorando, gustando, tangendo, nihil e nobis emittamus, sed accipiamus extrinsecus, quod sensum sui moveat, (quippe & ad aures vox ultro venit, & auræ in nares influunt, & palato ingeritur, quod gignat saporem, & corpori nostro applicantur tactu sentienda,) promtum est intelligi, non aliquid foras nostris ex oculis proficisci, sed aliquid ex ipsis rebus, earum puta imagines in oculos ultro meare.

Sic Democritus ap. Arist. de sensu & sensil. c. 2.

Non potest vero anima, quatenus adest oculis, non videre, hoc est, non apprehendere colorem, formamque extimam ejus rei quæ ipsi obiicitur; quod propter ipsam organi tersam, perspicuamque texturam, excipiat rei imaginem, & ab ipsa secundum omnes objectas partes percellatur.

Certe & cum res pulcræ sint, quæ visum permulceant, ac foedæ, quæ offendant, qui fieri id posse putemus, nisi quia venientes ex illis imagines, ex iis constant corpusculis, quæ lævore suo oculi texturæ accommodentur placide, venientes ex his, illis constent, quæ squalore suo texturam discerpant?

Lucret. IV. 331.

Et cum oculus ictero laborat, qui fieri potest, ut omnia conspecta lurida appareant, nisi quia imagines in ipso sui in oculum appulsu tingantur; aut tingantur etiam extra oculum, dum luroris corpusculis, simulacrisve, quæ ex oculis pari ratione prodeunt, incurrunt?

Lucret. IV. 245.

At, quorsum non modo corporis colorem, formamque videmus, sed videmus etiam, internoscimusve illius distantiam? Nempe hoc pendet ex aere, quem imago ante se protrudit: Quippe licet celerrime, inper-

imperceptoque tempore appellat, oculumque pertergeat, antequam imago adveniat; appellit nihilominus, pertergitque ex ordine, & quanto id facit longius, tanto res apparet distare remotius, quanto brevius, tanto propinquius.

Ib. 270. Valet vero hoc etiam, ut causa dicatur, cur imago videatur ultra speculum: quoniam, ut cernenti e loco intra ædificium rem, quæ foris fit, appellit aer tum exterius ad usque limen, tum interius ab usque limine procursus; ita in speculum inspicienti appellit tum is, qui a speculo in oculum est, tum is, qui a re usque ad speculum succedenter.

Ib. 338. Quin valet etiam, ut dicatur, cur ex tenebris ea videantur, quæ in luce sunt, non item ea, quæ sunt in tenebris, ex luce. Quippe lucido aere post tenebrosum succedente, potest oculus illo informatus, videre, non potest vero tenebroso succedente post lucidum.

Ib. 319. Quorsumnam vero simulacra intra speculum incedere nobiscum videntur? Nempe ob variatas partes speculi, ex quibus aliis, ac aliis necessarium est reflexionem in oculum fieri, ac proinde imaginem progredi nobiscum videri.

Ib. 293. Quod si requiras, cur, quæ a nobis appellit speculo imago, non posticam partem, sed anticam, ac ita quidem, ut dexteram lævorsum, & lævam dextrorsum exhibeat? Observandum est, idem illi proportione contingere, ut si cretea, fictilisve persona non indurata, sed mollis adhuc, ad globum, columnamve allidatur.

ib. 303. Notum est interim, si imago ex speculo in speculum, & porro in oculum reflectatur, partium situm ita restitui, ut dextra dextrorsum, læva lævorsum appareat, (imo & posse hac ratione fieri, & multiplicatis præsertim speculis, ut quæ sunt retro abdita, in prospectum quasi educantur,) quod etiam contingere potest, vel ex uno speculo, si latuscula habeat, quorum unum imaginem ex alio acceptam reflectat.

Verum ista quidem de visu, cum & huc faciant aliqua, quæ attigimus, cum & de criteriis, & de qualitatibus ageremus.

## CAP. XIII.

### *De Auditu.*

Circa auditum, id repetendum, quod supra quoq; attigimus, cum aurem esse organum illius in confesso sit, quemadmodum visio fit ex quapiam re adveniente in oculum: sic auditionem peragi in aure, affluxu aliquo translato ex eo usque, quod loquitur, aut re- Lucr. X. 51. sonat, aut strepitum edit, aut quomodocunque ad sensum auditus excitandum est comparatum. Hujusmodi autem effluxus, quatenus eo sensus afficitur, appellatur sonus.

Porro & hic effluxus, aut in ore loquentis, aut universe in re pulsata, strepitumque edente, in frustula innumera similis figuræ comminuitur, (dico autem similis figuræ, orbicularia orbicularibus, & quæ sunt laterum inæqualium, ac triangularium iis, quæ ejusdem sunt generis,) id videlicet instar guttularum, quas fieri in effusione utrium, & in exsufflatione sullonum in vestes, observare licet. Ib. vide version. Gassendi.

Scilicet isthaec frustula, seu moleculæ mavis, ita deinceps disper-

gun-

guntur, ut & servent inter se mutuam aliquam convenientiam, (ac varios proinde auditus pari ratione feriant, fiatque adeo, ut videantur sonum audire numero eundem, tametsi non sit plusquam similis,) & maneant in se unaquæque speciali cohærentia, qua efficiatur, ut agnoscantur ad illud spectare, a quo sint emissæ, & talem sensionem, utplurimum creent, qualis ab illo, quod sonum emisit, apparata est, (ut dum sonus prope, liberoque spatio incurrit in aurem,) sin minus, (ut præ intervalli magnitudine, aut intersepto aliquo,) confuse solum aliquid exterius sonare insinuet. Quippe absque translata quadam, & a sonante usque re servata convenientia, cohærentiaque, non fieret unquam ejusmodi, quæ esset distincta, auditio.

Ibid. Neque vero est, cur existimemus, cum semel vox, exempli causa, emissa in aerem est, ipsum deinceps aerem, aut ab ea, aut ab aliis ex ea creatis configurari, conformarive in similes, quæ, ut aliquis ait, perinde una avolent, ut juxta proverbium, graculus cum graculo volat, (quippe nimio foret molimine opus, si aer quidem ad tale quid subeundum destinatus foret,) sed simul ac in nobis fit ictus, quando vocem emittimus, ipsam talem ex certis quibusdam spiritualis, subtilissimive effluxus frustulis, seu moleculis ad hoc idoneis articulari, & appulsu ad aurem facto, auditionem in nobis creare.

Lucret. IV. 545. Quod tales porro moleculæ in aurem subeuntes figuratæ sint, vel ex eo potest argumentum duci, quod sonus non possit auditum jucunde, molestève afficere, nisi quia est aut eo lævore præditus, qui organi texturæ sit accommodatus, aut ea scabritie, quæ organum dilaceret. Res profecto videtur posse haut male intelligi, si quis horrorem serræ stridentis conferat cum dulcore chelyos, vel raucum corvi bombum, cum suavi cantu cygni moribundi. Lucret. II. 410.

Plutarch. Symp. VIII. q. 17. Ut non repetam autem ea, quæ facere huc visa, dicta ante jam sunt, difficultatem solum attingo, unde fiat, ut noctu voces magis sonore sint, & simul cum magnitudine claritatem pure conservent? Ad hoc autem id assumendum, quod constat ex superius dictis, motum scilicet fieri per inane, & multum inane intersperfum esse corpusculis, seu moleculis aeris, quæ sunt ex atomis contextæ; addendumque; dum interdiu est calor, & moleculæ hæ rarescunt, diffunduntur que atomi, intercepta illa inania spatiola angustiora necessario fieri; dum vero noctu viget frigus, & moleculæ comprimuntur, constipanturque atomi, fieri patentiora. Res scilicet constat in omnibus rebus, quæ, dum intra vasa effervescunt, emollescunt, liquescunt, ampliorem locum occupant, quam dum refrigescunt, in sese redeunt, & contrahuntur.

Ibid. Exinde ergo efficitur, ut progressa interdiu vox per dilatatum aerem, & incurrens in multa, creberrimaque corpuscula, aut obtundatur penitus, aut discerpatur, & multum, varieque elidatur, deteraturque; at noctu progressa per liberum a corpusculis intervallum, pleno, expedito, & inoffenso cursu ad auditum perveniat, & una

cum

cum celeritate, claritatem quoque & distinctionem servet.

Ex eodem certe capite est, cur pulsata vasa vacua resonent, plena muta sint, quodque corporum solidiora, ut aurum, sonum exilem, & obscurum edant, laxiora, ut æs, insignem & clarum. *Ibid.*

## CAP. XIV.

### *De Olfactu.*

AD olfactum quod attinet, existimandum est odorem, ut proportione circa auditum, de voce, aut sono declaratum est, non facturum ullam sui impressionem, nisi ab odora re usque deferrentur moleculæ, seu corpuscula quædam ea ratione commensurata ipsi olfactus sensorio, (quod ipsas esse nares constat,) ut moveant, & afficiant ipsum. *Laert. X, 53 Lucret. IV, 678.*

Effluere certe, recedereque a rebus odores, vel id unum arguit, quod omnia habita odora, oleant magis fracta, contrita, igne exsoluta, quam integra; nempe, quia seges corpusculorum idoneorum, quæ olfactum moveant, quasi intra corpus odorum stipata, revinctaque tenetur; & corpore fracto, contrito, cremato, halitus, sive fumi instar, prosilit, ac effunditur, & olfactum afficere, si in eam inciderit, potest. *Lucret. IV, 699.*

Afficere porro ipsum solet, aut perturbate, aut discrepanter, ex quo odores ingrati sunt; aut placide & accommodate, ex quo sunt odores iucundi. Nimirum intelligi oportet, quia nonnullæ moleculæ, sive corpuscula odoris, æquabili sunt, & accommodata superficie, nonnullæ æquo pluribus, maioribusque angulis, hinc fieri, ut alii odores organum, quasi demulcendo, voluptate afficiant, alii, quasi dilacerando, dolore quodam exacerbent. *Lucret. IV, 680.*

Alio certe modo se habeant oportet, quæ odoris corpuscula penetrant in nares, cum torrentur cadavera, & cum scena est Cilici croco recens perfusa, resque ea ratione potest concipi, ut quemadmodum manus, dum admota lanugine, ipsam premit; admota urtica, ab ea resilit, nempe illic lævor, hic asperitas, (seges puta illa aculeorum) oppositis afficiunt modis, ita oporteat corpuscula, quæ ex croco prodeunt, esse lævia, quæ ex cadavere, aculeata, ut illa deliniant, alliciantque nares, hæc compungant, & retro pellant. *Lucret. II, 414. conf. Gassend. ad Laert. X p. 289.*

Quin etiam, cum sint inter se tam varia animalium temperamenta, (imo & hominum quoque inter se,) ac aliis adeo alia sit organi olfactus textura, mirum videri hautquaquam debet, si alii odores aliis placeant, ob figuras dissimiles corpusculorum, ex quibus constant; atque idcirco, si apes delectentur floribus, vultures cadaveribus, itemque, si canes percipiant, qua feræ transierint quod ipsi non percipimus, quasi quod illæ in transcursu exhalatum reliquerint, non perinde nostrum percellat olfactum. *Lucret. IV, 682.*

## CAP. XV.

### *De Gustatu.*

DE gustatu idem dicendum: scilicet, cum constet ejus organum esse linguam, ac palatum, ac nos tum gustare, sentireve in ore saporem, cum cibum mandentes, *Lucret. IV, 622.*

ita succum exprimimus, ut dum spongiam aqua combibita comprimimus manu, succusque expressus interim per poros, seu plexa foramina linguæ, perque palatum diditur; tum asseri generatim posse, esse illum saporem dulcem, cujus corpuscula illi leniter, placideque accommodantur, illum amarum, salsum, acrem, acidum, acerbum, austerum, &c. quæ asperiter atque discrepanter. Neque enim possunt mel, aut lac, jucundo linguæ sensu tractari, ingrato absinthium, aut centaurion, nisi quia illa constant ex corpusculis magis lævibus, ac rotundis, ista ex asperis, & hamatis magis, ut illa proinde suaviter attingant, ista compungant, & lacerent.

Lucret. IV, 660. Quo fit, ut is rem non incongrue definiat, qui rotundas esse, congruaque mole atomos, quæ dulcem faciunt saporem, dicit: magna figura, quæ acerbum; multangula, minimeque orbiculari, quæ asperum: acuta, conica, incurva, non tenui, non rotunda, leni, distorta, parva, quæ amarum: tenui, rotunda, parva, quæ pinguem.

Lucret. IV, 649. At speciatim, cum sint varia, ut animalium, sic hominum temperamenta inter se, & cum, ut differunt inter se extremis lineamentis corporum, non possint non similiter differre internis texturis; ideo dici potest sapores, qui grati sunt istis seu animalibus, seu hominibus, esse ingratos illis, quod corpuscula, ex quibus sunt, texturæ organi illorum congrua, & accommoda sint; incongrua & incommoda, texturæ organi istorum. Videlicet quatenus possunt, qui in isto organo sunt meatuli rotundi, atomos rotundos leniter excipere, triquetras discrepanter: qui in illo sunt triquetri, leniter triquetras, discrepanter rotundas.

Intelligitur quin etiam ex his, ib. 657.
qui fiat, ut ea per febrim, quæ prius placebant, displiceant. Nempe, quia textura conturbata est, & commutata proinde pororum figuratio, non possunt figuræ corpusculorum subeuntium, quæ prius congruebant, non esse incongruæ.

Pari etiam ratione, qui fiat, ib. 637.
ut cibus uni animali salutaris, alii acre venenum sit, veluti cicuta, aut veratrum, quod exitio est homini, & quo tamen capræ, coturnicesque pinguescunt. Id videlicet evenit, propter texturas intimas, quæ diversæ inter se cum sint, potest, quod uni accommodum sit, alteri incommodum esse.

## CAP. XVI.

### De Tactu.

Denique de tactu, non illo profecto, qui communis est omnium corporum, quatenus contingere se suis superficiebus invicem dicuntur, (secus scilicet, ac inane, quod nec tangi potest, neque tangere,) sed de illo animalium proprio, qui non sine animæ perceptione est, & non unam corporis partem, sed omnes pro organo habet: de hujusmodi, inquam, tactu subiicio duntaxat, illud, quod ab ipso percipitur, percipi trifariam. conf. Gassend. ad Laert. X. p. 297.

Nam in primis quidem res tactu Lucret. II, 434. sq.
sentitur, cum applicatur exterius, seseve exterius insinuat. Applicatur,

tur, inquam, ut cum manus sentit lapidem sibi applicitum, humerus impositum onus. Insinuatur, ut cum re calida emittente calorem, aut frigida frigus, subeunt in poros corpuscula, quæ pro eo statu, quo fuerit corpus ipsum recreent aut offendant.

Ibid. Deinde, cum res, quæ interius est, egeritur foras, ac fit interdum cum voluptate, maximeque cum oneri est, & incommodat, ut dum semen excernitur, interdum cum molestia, ut dum propter corpusculorum angulos, meatum excoriat, quemadmodum per stranguriam, urinæve difficultatem.

Ibid. Postremo, cum res intra ipsum corpus eos motus subit, ut arietando, diducendo, distrahendo, convellendo, compungendo, radendo, excoriando, inflando, tendendo, rumpendo, aliisque modis innumeris constitutionem genuinam turbet, confundat, & concitet sensum. Quomodo omnes, & capitis, & aliarum partium dolores interne creantur, animalque seipsum perinde afficit, ut si manu propria partem quamlibet sui corporis feriat.

## CAP. XVII.

*De animo, seu intellectu, mente, ratione, illiusque sede.*

Lucret. III-94, 140. ET hactenus quidem de sensu. Dicendum jam de animo, qui & intellectus, mens, ratio, & rationalis, princepsque pars appellitari passim solet. Quin dicitur etiam pleramque cogitatio, imaginatio, opinio, consilium; ac illius est proprium, feriante etiam sensu, cogitare, quidpiam ve apprehendere, intelligere, versare, meditari, discurrere, deliberare.

Pars est vero animi texturam constare ex corpusculis omnium subtilissimis, lævigatissimis, rotundissimisque. Scilicet, quod esse nihil possit, ut tenuius, ita mobilius: neque enim res ulla est, quæ se ocyus perciat, celeriusve quid faciat, quam mens, quæ si quid proponat, inchoetque, ipso momento exequatur, unde & in confesso fit, nihil fieri ipsa ejus actione, seu cogitatione celerius. Ib. 180, 181.

Et sane, ut aqua est longe mobilior, fluctuantiorque, quam mel, quod ex corpusculis magis lævibus, magis parvis, magis rotundis contexta sit, congruum est nullam rem constare ex rotundioribus, minoribus, lævioribus, quam mentem; quando res nulla esse mobilior, agitabilior, flexibilior potest. Ib. 190.

Et in qua quidem corporis parte hæret animus, ita cohæret animæ, ejusve portioni eadem in parte coexistenti, ut conjunctus ipsi individue sit, unamque naturam cum ipsa conficiat: verum suam semper naturam ita tuetur, ac retinet, ut ejus proprium sit cogitare, animæ vero affectus subire, utcunque propter cohæsionem & cogitare anima, & affici animus censeatur. Ib. 323, &c.

Nempe animus quidem affectus, sive passionis expers est; at quia, ut passiones a sensu pendentes excitantur in anima ad eas partes, in quibus est sensus, ita eæ, quæ pendent a cogitatione, in ea excitantur, ad quam partem Ibid.

cogitatio est, & ad quam anima res una cum ipso animo cogitante est; efficitur, ut quasi aggregatum, quod in illa est parte, ex animo, & anima, unicus esset animus, animo quoque ipsi passiones tribuantur.

Ibid. 143. Hinc, seu divisim, seu conjunctim accipiatur animus, id saltem habet proprium supra reliquam partem animæ, ut, sicut dum caput, aut oculus dolet, non idcirco toto concruciamur corpore; sic aliquando animus dolore afficiatur, aut lætitia, cum cetera pars animæ per corpus diffusa, tali affectu caret. Aliquando, inquam, quia fieri potest, ut animus ea percellatur metus vehementia, qua reliqua anima una concutiatur, ac inde excitetur sudor, creetur pallor, infringatur lingua, oculi caligent, aures sonent, succidant artus, homo denique concidat.

Lucret. III. 107. Quin etiam potest animus censeri ad vitam dominantior, quam anima, reliquave animæ pars, quatenus anima in membris ne minimum quidem residere potest sine animo: animus autem cæsis circum membris, circumcisaque adeo plurima partem animæ, ita superest, ut vitam tueatur; plane ut pupilla ad visionem conferentior est, quam reliquus oculus, quatenus læsa pupilla, incolumibus licet aliis partibus, visio perit; salva pupilla, corruptis licet aliis partibus, visio constat.

Ibid. [illegible]. Videtur porro animi, rationalisve partis sedes assignari alia non posse, quam media regio pectoris, atque idcirco, quam præcordia, sive ipsum cor, quod in media est pectoris regione. Quippe id manifeste produnt, quos in pectore persentiscimus, metus, lætitiæque affectus, & quoscunque alios pendere a cogitatione; cogitanteve animo experimur.

## CAP. XVIII.

### *Non cogitare animum, nisi per simulacra incurrentia.*

Difficultas est solum, qui fiat, ut excitari animus ad cogitandum rem aliquam possit? Verum, cum manifestum sit, cogitari animo res, eo modo, quo oculo videntur: constat, debere ut visionem, ita cogitationem fieri per simulacra incurrentia. Plut. Pl. IV. 8. Cic. de fin. I. 6.

Scilicet præter simulacra, quæ incurrentia in oculum, & propter aliquantulum majorem crassitudinem accommodata illius texturæ, ipsum ad visionem eliciendam movent, vagari oportet per aerem innumera alia longe tenuiora, eaque seu derepta e corporibus, seu in ipso aere formata, ut non multo ante dictum est, quæ per ipsum corpus penetrantia, & accommodata animi texturæ, ubi ad illum pertigerint, ipsum ad cogitandum moveant. Lucret. IV. 721.

Quo circa &. fit, ut quemadmodum leonem, v. c. videmus, quia illius imago allabitur oculis: ita leonem cogitemus, quia ejus imago allabitur menti. Quod si cogitemus Centauros, Scyllas, ac ejusmodi alia, quæ neque sunt, neque unquam fuerunt, contingere id potest, non tam ob formata sponte simulacra, quam ex eo, quod cum v. c. hominis, & equi simulacra sibi obvia fiunt, facile, propter tenuitatem, (& sicut aranea, bracteaque auri,) ib. 755.

jun-

junguntur; indeque unum exinde formantur, quale Centauro tribuitur.

Ib. 772. sq. Sciendum vero, dum aliquando in eadem sive vigilando, sive dormiendo, cogitatione perseveramus; id fieri, non quod aliqua una ejusdem rei imagine, sed quod pluribus continente fluxu succedentibus utamur, quæ, si eodem situ occurrant, cogitata res immota appareat, si variato, mota videatur: Unde et fiat, cur in somnis præsertim videantur nobis simulacra & moveri, & brachia, ceteraque membra in numerum jactare.

Ib. 780. At, qui fieri potest, ut quod cuique libuerit, id ipsum statim mens cogitet? Nempe, quia cum præsto ubique simulacra omnifaria sint, maxima pars tamen incogitata præterit, ac ea solum mentem movent, ad quæ ipsa adverterit, attenderεve voluerit, seu ad cogitandum sese comparavit. Et, nonne videmus etiam oculos, cum aliquid tenue cernere cœperint, contendere se, & ad id parare, ac donec quidpiam attente cernunt, perinde esse cetera, ac si nusquam forent; tametsi eorum quoque simulacra excipiat?

Ib. 800. Cum sit porro aliqua attentio menti necessaria, ut res distincte apprehendat, tum est adhuc magis, ut opinetur simpliciter, seu judicium quodpiam de ipsis affirmando aut negando ferat; at vero est demum maxime, ut de iisdem met ratiocinationem instituat; ac si curæ ipsi potissimum sit, ne hallucinetur.

Verum & rem deduximus, de criteriis cum ageremus; & in gratiam speculationis rerum naturalium adnotare, hic sufficit, humanum ratiocinium ea, quæ natura in lucem effert, suspicere primum, & posterius disquirere, ac adinvenire, causasve ipsorum deprehendere: sed in his citius, in illis tardius, & aliquando quidem per prolixiora, aliquando per breviora tempora id evincere, seu ad cognitionem perfectam venire.

## CAP. XIX.

### *De affectibus, seu passionibus animæ.*

Superest alia, præter sensum, irrationalis animæ pars, quæ dici affectuosa potest, propter affectus, passionesve, quæ excitari in illa solent. Nominant etiam appetitum, cupiditatemve ab affectione quadam præcipua; cum & sint, qui concupiscentem, atque irascentem distinguant.

Cum dictum porro jam ante fuerit, affectus, qui sensum sequuntur, in iis partibus, quæ sentiunt, creari, illos vero, qui opinionem, creari in ipso pectore; idcirco, cum aliunde sint duo quidam affectus præcipui, voluptas scilicet, ac molestia, seu dolor; & prior quidem familiaris, accommodatusque animæ, posterior alienus, naturæque incommodus; par est utrumque excitari non modo in ipso pectore, (ubi fere voluptas venit nomine gaudii, lætitiæ, exultationis, hilaritatis, & dolor, ægritudinis, mœroris, angoris, &c.) sed in partibus etiam aliis, in quibus, dum a statu naturali dimoventur, excitatur dolor, cum in eundem statum restituuntur, voluptas. Laert. III. 142. Laert. X. 66. Laert. X, 34.

Ac si possent quidem partes omnes in naturali statu manere, tunc aut nulla esset affectio, aut, si esset ali- Ex Laert. Gassend ad Laert. X. 138.

aliqua, ea dicenda esset voluptas, propter placidum & tranquillum statum: at quia, vel propter continuam principiorum motionem in animalis corpore, quaedam abscedunt, quaedam accedunt, quaedam diducuntur, quaedam acervantur, &c. vel propter motionem, quae est in rebus circumstantibus; quaedam admoventur, quae subeant, immutent, invertant, secernant, &c. efficitur dolor, (& ob priorem quidem causam, qualis v. c. ex fame, siti, morbo, sentitur; ob posteriorem vero, qualis, ex ustione, contusione, contorsione, vulneratione,) idcirco videtur primario creari affectus doloris; ac simul, quod alienus sit, aversationis, seu fugae illius, ac rei ipsam inducentis, cui idcirco mali attribuitur nomen.

Subinde autem insequitur cupiditas exemtionis a dolore, seu ejus status, a quo ille absit, atque adeo rei, a qua abigatur, quaeque idcirco boni nomen obtineat, at tum, cum dolor eximitur, & fit in meliorem, hoc est, in naturalem statum reductio, ipsa excitatur, concomitaturque voluptas, adeo, ut non esset futura voluptas, nisi species quaedam doloris antecederet, ut observatu facile est, vel in ipsis, fame ac siti, & voluptate, quę mandendo, bibendoque percipitur.

Lucret. IV. 85. seq. Siquidem voluptas ista non creatur, nisi quatenus, cum actione interni caloris plurimae partes dissipentur, unde ipsum corpus rarescit, omnis natura subruitur, & stomachus praesertim vellicatur, aut glomerata aliunde caloris corpuscula praebent ipsi angorem, unde & dolor subenitur; quatenus, inquam, advenit cibus, qui defectum suppleat, artus suffulciat, patentem per membra, ac venas cupiditatem edendi obturet; advenit & potus, qui ardorem restinguat, exsiccatas partes humectet; ipsasque in statum priorem restituat, ac alium, de utrumque fit cum placido, grato, jucundoque naturae sensu, quem tunc abesse manifestum est, cum quis non esuriens comedit, aut non sitiens bibit.

Videntur ergo isti esse quatuor generales animae affectus, dolor & voluptas, ut extremi, fuga & cupiditas, ut interjecti. Generales, inquam; quoniam ceteri istorum sunt species, ac opinione intercedente fiunt, & quę possunt potissimum ad cupiditatem, fugamque referri.

Nam, ut praeteream cupiditatem, speciatim voluntatem dici, cum mens illud, quod cogitat, ac bonum opinatur, vult; & fugam dici aversionem, cum, id, quod cogitat, ac esse opinatur malum, aversatur; subinde vero amorem, v. c. esse voluntatem, qua ad fruendum aliquo referimur; odium aversionem, qua a consuetudine alicujus recedimus; videtur aliunde ira nihil esse aliud, quam cupiditas, qua in vindictam efferimur; metus nihil aliud, quam fuga, qua ob malum futurum contrahimur, & in nos quasi secedimus, atque ita de ceteris.

Ceterum, quia cupiditas, (ac proportione etiam fuga,) partim ipsa sponte naturae, & ex indigentia quapiam excitatur, eamque exple- Laert. X. 127.

[im]plere neceſſe eſt, ut natura incolumis conſtet, partim creatur ex opinione, quæ interdum quidem ipſi naturæ inſtituto conformis eſt, & ad illius indigentiam tollendam ſic tendit, ut tollenda tamen neceſſario non ſit; interdum denique nihil ad naturam, neque ad aliquam illius indigentiam tollendam conducit; hinc fit, ut ſint cupiditatum aliæ quidem naturales & neceſſariæ, aliæ naturales, ſed non neceſſariæ, aliæ neque naturales, neque neceſſariæ, ſed inanes.

Et naturales quidem, ac neceſſariæ illæ ſunt, quæ ut indigentiam, ſic dolorem ortum ex indigentia tollunt, cujuſmodi eſt cibi, potus, indumenti, quo arceatur frigus; naturales vero, ſed non neceſſariæ ſunt illæ, quæ nihil aliud, quam voluptatem variant, non vero abſolute dolori detrahendo neceſſariæ ſunt, ut quæ edulitorum ſunt delicatiorum; imo etiam, quæ venereorum, quibus natura præbet principium, & a quibus tamen poteſt quis non incommode abſtinere. Denique neque naturales, neque neceſſariæ illæ ſunt, quæ ad nullum dolorem ex naturæ indigentia ſubortum, tollendum feruntur, ſed ex inani ſolum opinione creantur, quales ſunt, v. g. coronarum, ſtatuarum, cultus elegantis, pretioſæ veſtis, auri, argenti, eboris, & ſimilium.

Galenus IV. de dogm. 4. adde Gaſſend. ad Laert. X, 530. ſeq.

Adhæc vero notandum eſt cum voluptas in boni fruitione ſit, dolor in perpeſſione mali, ideo illam quidem, cum quadam animæ effuſione, ac relaxatione fieri, iſtum non ſine contractione, demiſſione que ejuſdem eſſe; atque idcirco ille proclivius ad iram decurrens,

nihil eſſe mirum, ſi anima ſeſe, quantum poteſt, dilatet, ut bonum admittat in ſe; comprimat, ne admittat malum.

Fit porro diffuſio, ſive dilatatio, quia ſtatim ac boni, ſeu rei gratæ ſpecies ſenſum perculit, aut animum quoque permovit, corpuſcula, ex quibus conſtat, ita in ſenſorium, corve ipſum ſubeunt, ut texturæ tam animæ, quam corporis accommodata, ipſam ſpeciatim animam demulceant, jucunde afficiant, & verſus rem ipſam, a qua ſunt emiſſa, quaſi catenulæ alliciant, ac trahant; adeo proinde, ut anima in rem converſa, intentaque verſus ipſam, fruitionis ergo, quanto poteſt niſu veluti exiliat.

Contractio vero, quia ſtatim ac mali, ſive rei moleſtæ ſpecies ſenſum, animumve percelluit, corpuſcula, ex quibus conſtat, quaſi contuli, aut ſpiculula ipſam cum ſenſorio animam ita fodicant, ut texturam ipſius ſolvant; ipſaque illorum, quantum poteſt, devitandorum gratia, ſeſe ipſam coarctet, & verſus ipſum ſui centrum, ſeu quaſi radicem, qua nempe eſt cor, animuſve, refugiat.

Nihil porro neceſſe eſt ex antedictis repetere, ex ipſa animæ textura pendere, cur animalium aliud ad iram, aliud ad metum proclivius ſit, aliud comparatius ad placidos motus; neque addere, varietatem hanc reperiri quoque in hominibus, prout ex igneo, ex flatuoſo, ex aereo principio participantiorem habent animam; quippe cum videre liceat, homines etiam doctrina perpolitos non ita poſſe radicitus ſemina iſta evellere, quin ille proclivius ad iram decurrens,

Lucret. III, 289. ſeq.

iste metu magis tentetur, alius ad clementiam æquo pronior sit, cumque aliunde varietas morum, quæ tanta observatur, ut in animalibus, ita in ipsis hominibus, manifeste satis deducatur ex varia horum seminum inter se mistura.

## CAP. XX.

*De motu voluntario, ac speciatim de locutione, nominumque impositione.*

Lucret. IV, 869 JAm cum anima suapte natura mobilis sit, ac ipsum corpus, cui inexistit, ejusque membra movere valeat, notum est, quoties corpus aut membra hisce aut illis motibus ciet, idcirco fieri, quia illorum ciendorum voluntatem habet, hanc voluntatem ab animo imaginante excitari; & imaginationem hanc fieri ob imaginem, sive simulacrum, quod ipsum percellat. Nempe nihil unquam facere animus, mensve aggreditur, quin illud providerit, neque providet, quia illius simulacrum, seu imago constet.

Ib. 880 Itaque, cum, exempli causa, crura movemus, incedimusque, illud ideo fit, quia primo simulacra incessus, animo accidentia, eum pulsant: inde incessus voluntas fit, tum autem, cum se animus ita commovet, ut ire, incedereque velit, ferit extemplo animam, qua parte ipsi junctus tenetur: ista vero animæ pars reliquam compulsat toto corpore dissitam, & per crura, ac pedes speciatim diffusam: unde & tota moles sensim protruditur, ac movetur. Ut prætercam aerem quoque eatenus aliquid conferre, quatenus corpus totum rarescit, aer vero in partes subit: adeo ut corpus duplici de causa perinde moveatur, ac navis, dum remis, ventisque impellitur.

Quod motus porro initium ab ipso usque corde, in quo inest animus, sit, vel ex eo intelligi potest, quod videamus interdum, v. c. equos patefactis repente stabulis, quasi carceribus, prorumpere tam subito, quam mens ipsa avet, non posse. Id nempe, quia quasi conquiri tota substantia animæ, totos per artus diffusa, debet, ut concita, mentis ipsius studium consequatur, atque ita procedit res primum ex voluntate animi, & porro exinde per corpus, & artus. Lucret. II, 261. seq.

Ac videri quidem mirabile potest, quod tanta corpuscula ex quibus seu mens, seu anima constat, tantum onus, quanta est corporis massa, movere, torquere, convertere valeant: sed, qui id sit mirum, cum ventus, res adeo subtilis, molimine tanto vim navis ingentem contrudat, & manus una, gubernaculum unum, illam, quantovis impetu euntem, contorqueat, ac moderetur? Et nonne etiam sunt machinæ, quæ per trochleas, & tympana, pondera magna commoveant, & attollant, neque id magno nisu? Ib. 896

Ceterum, cum ex motibus, quibus partes corporis pro voluntate, arbitrioque moveamus, is dignus præsertim consideratione, sit, qui in lingua attenditur, & locutio vocatur, ideo videtur esse de illo speciatim quidpiam attingendum.

Itaque, cum lingua ita sit in animalibus respirantibus compara- Lucret. V. 1027

ra,

ta, ut aerem contense exspiratum, sonumque idcirco creantem, varie infringere, ac veluti formare valeat, efficitur, ut quia aliunde unumquodque animal vim suam, qua quod potest, sentit exquisitius, (propterea enim taurus cornu impetit; equus calce ferit, leo dentibus, unguibusque corripit, avis pennis fidit,) efficitur, inquam, ut animalia, & homines praesertim, suae linguae vim, ad exprimendum animi affectus, (etiam dum aliquid externum significare volunt,) sentientes, tum sonum emittant, qui dicitur vox; tum illum interventu linguae, aliarumque partium ejus variationi inservientium, varie inflectant.

ib. 1057. seq. Et de animalibus quidem etiam loquor, quoniam videmus illa quoque varias voces emittere, quatenus laetantur, aut dolent, & quidpiam metuunt, aut prosequuntur. Etenim canes, v.c. alium aliumque sonitum edunt, cum rabie districti minantur; cum latrant, & omnia complent vocibus, cum catulos blande aut lambunt, aut morsu, pedibusque jactant, & gannitu interim adulant, cum baubantur in aedibus, cum plorantes plagas submisso fugiunt corpore. Equi etiam hinnitus differt, cum concussis artubus vulgo hinnit, cum adhinnit equae, cum pressus ab equite patulis fremit naribus. Volucres quoque alias, aliasque & tum de praeda certant, & cum tempestatum mutationes sentiunt, & cum otiantur, voces fundunt.

ib. 1086. Cum vero homo prae ceteris, & linguae vim maxime sentiat, & pluribus modis illam inflectere sic possit, ut plures voces dearticulet, quae pluribus rebus significandis accommodentur, ex inde est ipsa locutio, seu sermo, quo homines vulgo inter se loquuntur, dum & passiones animi, resque alias significant, & non secus, ac nutu, digitoque demonstrant.

Quo loco, quia requiri solet, qua ratione, ab initio homines rebus significandis nomina imposuerint; ideo sciendum est, nomina non fuisse ex mero hominum instituto, seu lege quadam imposita; sed ipsas hominum naturas, naturalesve dispositiones, quae in gentibus fuere singulis, tum, cum res ipsis occurrerent, specialibus animi motibus affectas, & propriis visis, seu imaginibus compulsas, peculiari quadam ratione aerem ore emisisse, ipsumque elisisse, dearticulasseque, prout singulorum affectuum, visorumque impetus tulit; & interdum quoque locorum varietas, seu varius coeli, solique genius, in variis regionibus fuit: & quae prolatae voces sic fuerant, ac praesertim cum voluntate designandi aliis res, evasere nomina rerum. — ib. sup. Laert. X, 75.

Cum vellent etiam aliqui aliis res extra illorum conspectum constitutas, proponere, sonos aliquos, vocesve ediderunt, ac tum fuere coacti easdem voces identidem repetere, tum qui audiebant, ratiocinio quodam, conjecturaque rem assequentes, ex multa denique assuetudine illorum mentem intellexerunt. — Laert. X, 76.

Et quia tamen varii varias ad eandem rem aliis significandam dedere voces, ac varia proinde fuere nomina, ideo deinceps nomina

significandis rebus propria apud unamquamque nationem, & sensim, & quasi communi consensu delecta, assignataque ita fuerunt, ut & significatus fierent adinvicem minus ambigui, & res possent eloquio compendiosiore explicari.

Proclus in Cratyl. Concludo proinde, primos homines imposuisse nomina rebus, non ex certa scientia, aut unius cuiusquam imperio, vel dictamine, (unde enim illi aut hæc scientia fuisset, aut potestas, quæ ad utendum vocibus dictatis plures cogeret?) sed imposuisse potius, naturali quodam impetu permotos, ut solent, qui tussiunt, sternutant, mugiunt, latrant, ingemiscunt, atque idcirco dici posse, esse nomina non instituto, sed natura, quatenus sunt quidem effectus, ac veluti opera naturæ; neque enim videre, & audire res, (qui effectus quidam, operaque naturæ sunt,) alterius omnino conditionis sunt, quam res nominare.

## CAP. XXI.

### *De somno, & insomniis.*

Superest, pauca subiiciamus de somno, ac morte animalium, duabus nempe rebus germanis; quarum altera quidem feriatio, altera extinctio fit sensus: & tritum valde fit, ut mors esse æternus somnus dicatur.

Lucretius l. 4. 916. Creatur autem somnus, cum animæ partes, per totam corporis contentionem diffusæ, aut cohibentur, aut distrahuntur; aut nonnulla etiam corpora sive ab aere, sive a cibo in dispersas incidunt, quæ partim ipsas a corpore abigant, partim intro contrudant, ac turbent: tunc enim corpus, ut solito destitutum fulcimine, regimineque, debile fit, ac membra simul omnia languescunt, cadunt brachia, & palpebræ, poplites procumbunt, denique non amplius est sensus.

Scilicet, cum indubium sit, sensum esse ab anima, reputandum omnino est, cum sopor sensum impedit, perturbatam esse animam, forasque eiectam, non totam certe: nam alioquin non tam somnus esset, quam mors; sed partem tamen, ac ita quidem, ut, quæ est residua, sit intus oppressa, ac veluti ignis, obducto cinere, sepulta, cum ut si ignem commoveris, quasi evigilat, & flamma consurgit, veluti ab extincto, sic reconflari sensus per membra, & quasi ex mortuo suscitari, valeat. Ibid. 918.

Quod dico autem corpuscula incidere ab aere, quæ hanc exturbationem faciant, aerem intelligo partim externum, qui nunquam cessat corpus pulsare, ac tundere, (inde enim fit, ut extima cuiusque animalis pars solidescat, ac induretur,) partim internum, seu qui ore tum inducitur, tum efflatur. Nimirum, cum utriusque ictus per tenues meatus ad prima principia pervenit, eorum positura ita conturbantur, ut pars excedat, pars introrsum condatur, & quæ pars superest per membra, quod ob vias varie interceptas conjuncta secum ipsa non sit, solito munere fungi nequit. Ibid. 930.

Quod a cibo etiam incidere dico, ideo facio, quod dum cibus intro additur, per venas, idem, quod aer, faciat, imo ut copiosior, sic maiore vi; quo fit, ut so- Ibid. 937.

por,

por, quem cibus creat, ob conturbationem, fit solito gravior, uti & qui creatur ex nimia lassitudine, propter distractionem majorem.

Ibid. 763. Ceterum, cum possit res videri mira, qui fieri valeat, ut per somnum nobis contingant insomnia; idcirco adnotari debet, quod non multo ante dictum est, vagari ubique continuo innumerabilium rerum simulacra, quæ præ sui subtilitate penetrare in corpus, & ferire, afficereque animum in pectore medio existentem sic valeant, ut ille ad cogitandum res, quarum sunt simulacra, excitetur. Nimirum, quia illa non minus per somnum, quam per vigiliam penetrant, & animum feriunt, fit, ut res dormiendo non secus, ac vigilando, videre videamur.

Ibid. 766. Efficitur autem, ut ea, quæ apparent, idcirco pro veris habeamus, quod consopitis sensibus, nihil possit occurrere, quod nos erroris admoneat, ac veris rebus falsum convincat: & jacente aliunde memoria, habeamus, v. c. pro vivis illos, qui mortui pridem sunt, quod cum præsentia illorum simulacra fiat, mortis illorum non recordemur.

Ibid 959. Si inquiras vero, qui fiat, ut ea somniemus maxime, quorum præsertim studio tenemur, aut quibus per vigiliam studiose incubuerimus, (nam & oratores perorant, & milites pugnant, & nautæ colluctantur ventis, & lusores ludos exercent, & cæteri cætera eodemque modo; quando aliorum quoque animalium equi sudant, spirant, & quasi de palma contendunt, canes venatici jactant [illegible] osura, voces repente mittunt, reducunt auras naribus crebras, atque ita de reliquis;) dicendum est ideo id fieri, quod ob factam recens impressionem in animo, patentes viæ relictæ sint, quibus eadem simulacra subeant, ac præceteris animam rursus moveant.

Ib. [illegible] Certè ex hoc esse capite videtur, quod sitiens fontem somniet, ac bibat; micturiens matulam exigat, ac mingat: scilicet, si quod motus interni vias quasi aperiant, quibus subeuntia rerum affinium simulacra animum permoveant.

Ib. [illegible] Quomodo fit quoque, ut simulacris pluribus, affinibusque coeuntibus, magni aliqui motus in animo fiant, ac tum somnians videatur sibi magna sapere, magna gerere, magna loqui, clamores etiam tollat, ut si a quopiam jugularetur, mandereturve a leone, aut panthera, exterreatur quoque non secus, ac si ex alto monte se præcipitem daret, adeo ut ei tum experrectus vix sui compos denique fiat.

## CAP. XXII.

### *De Morte.*

AD mortem vero quod attinet, ea nihil est aliud, quam privatio sensus, propter excessum animæ. Sensum hic dico non tantum actionem, cujus est etiam somnus privatio, sed facultatem quoque sentiendi, quæ simul cum anima perit, ac non etiam animus; adeo, ut anima excedente, excedere etiam animus, et ipsi conjunctus, censeatur.

Ibid. Etenim, quamdiu anima quidem existit in corpore, tametsi deficiat in quampiam partem, nullus

nus

nas tamen est privatio sensus; at sensus cũ ipsa una deperit, simul ac dissolvi id contingit, quo continetur, seu illud totum corpus sit, seu pars aliqua, in qua sedem habeat. Neque vero obstat, quod corpus sive totum, sive ex parte ad aliquod tempus indissolutum remaneat, nam sensu nihilominus caret, ubi excessit is atomorum copia ejuscemodi, quæ ad naturam animæ constituendam est necessaria.

Ibid. Porro & corpore exsoluto, anima ipsa dissipatur, neque habet amplius easdem facultates, neque movetur amplius, neq; obtinet adeo amplius sensum. Non enim intelligi potest eandem rem etiamnum sentire, quæ motibus iisdem non utitur amplius: cum non inest amplius in eodem composito; sive dum amplius illa non sunt, quibus fovebatur, continebaturque, & in quibus existens obibat hujusmodi motus, resque se perinde in anima, ac in oculo Lucret. III, 559. habet, qui avulsus radicitus, seorsumque ab ipso, cui inhæserat, corpore, videre nihil potest.

Cum dissipari autem dico ani- Lucret. III, 568. mam, animum quoque intelligo, quando animus ipsi individue conjunctus est, neque, ea pereunte, consistere potest. Quo fit, ut hoc loco dicere animum, animamque Lucret. III, 635. perinde sit, quod par dissipatio competat utrique. Fit autem dissipatio hæc, non profecto in nihilum, (ut fieri necesse est, dicant, qui animam esse volunt harmoniam, seu talem contemperationem, qualis ipsa est sanitas,) sed in principia, corpuscula ve, ex quibus ejus textura est; idque non modo instar aquæ, vase conquassato diffluentis, sed etiam abeuntis in auras fumi, aut nebulæ, ac fumi simulacris valeat percelli.

Et certe animam dissipari, interireque, vel ex eo constat, quod Lucret. III, 507. concreatur, exoriaturque. Ac sunt quidem, qui æternam faciant, initium nempe ipsi negantes, ut avertant exitium, ac esse ante corpus, in quod extrinsecus veniat, sumentes, ut superesse a corpore, e quo sospes exeat, tueantur: Verum illud quidem prætereo, quod non videantur advertere, æternum perdurans esse nihil posse, nisi tale sit, aut præ sui soliditate, ut atomus, aut quod sit plagæ expers, ut inane, aut quod careat loco, in quem excedat, ut universum; neque item advertere, quantæ possit verti dementiæ, putare res adeo diversas, ac sunt immortale, & mortale, conjungi.

Præterea id, inquam, ac requi- Ib. 682. ro solum, qui possit anima in corpus insinuari extrinsecus, ac permanare per ejus partes, & non dispertiri tamen, exsoluique, quemadmodum cibus diditus per membra? Et nonne potius deberet in corpore, ut avis in cavea morari: non vero eo modo, ut cum corpore crescere, simulque extendi intelligatur? Et quorsum ergo cum corpore pervenit ad ætatis florem? aut quid est, cur in senectute metuat, non gaudeat e corpore, tanquam e carcere exire, & serpentis instar mortale spolium relinquere? Et, si abscedens a corpore, quasdam sui reliquias sinit, nonne exsolubilis est? a si non sinit, undenam ergo in cadavere tot gignuntur vermes? Ib. 720.

Nam dicere quidem totidem animas eo confluere extrinsecus, & volitare quasi umbras, deligereque propriam materiam, fabricari sibi propria corpora, aliaque id genus,

quam

quam absurdum est? Uti & perridiculum est ad ipsos coitus, partusque animalium circumstare quod-
777 dam quasi animarum examen, & de insinuatione inter se mutuo contendere?

ib. 731. sq. Et nonne, si animæ toties commutassent animalium corpora, deberent sensim immutatæ illorum esse indoles, sicque iam leo esse non ferox, cervus non timidus, vulpes non dolosa, fugiens cervum canis, ac columbam accipiter? Cum &, si quis dicat, animas humanas immigrare solum in humana corpora; dicere non possit, cur anima fiat e sapiente stulta, cur nullus puer prudens sit? cur nos, ut de se fabulati sunt, qui primi ista prodiderunt, anteactæ vitæ, rerumque in ea gestarum, nusquam recordemur?

Exortum ergo anima habet, a quo usque ut adolescit, vigescitque cum corpore, sic tendat oportet ad interitum, cum eodem senescens, ac sensim deficiens.

ib. 486 Hoc vero de mente etiam dico quam perfici sensim, atque debilitari constat; cum & aliunde non solum compatiatur morbis, doloribusque corporis, verum laboret e-
ib. 509 tiam propriis, & medicinam quoque iis curandis admittat, quod fieri profecto non potest, quin accedat, abscedat, transponatur quidpiam in ejus textura: nam & admonere, quid illi per ebrietatem, epilepsiam, delirium contingat, nihil necesse est.

ib. Id dignum consideratione, quod certæ parti corporis non secus ac auris, oculive affixa sit; ut pari proinde ratione cum toto incipiat, atque desinat, & vel ex eo quidem, quod unicuique rei, ut arbori, ut pisci, &c. certa, ac definita sit regio, in qua, ut nascatur, sic degat, ac tandem esse sic desinat, ut consistere extra ipsam non valeat. ib. 329

Sed &, cum homo membratim moriatur, sensimque exspiret, quasi anima partibili: quis experitur animum non e pectore medio evanescere, sed per iugulum, & os incolumem exire? Nam quod anima quidem ipsa quasi cribrata, atque divisa per ipsum corpus exeat, arguitur, vel ex eo putrore, qui in cadavere ex illius discessu non aliunde est, quam quod singulę eius partes situm commutarint, quem partes animæ singulæ continebant. Vt taceam, quod anima aliunde, bisecto raptim, aut conciso frustulatim corpore, non bisecari & ipsa, concidique frustulatim non possit. ib. 843

Itaque sicut anima ante generationem non fuit, ita neque post mortem erit: atque ut nihil ægri anteacto tempore sensimus, ita nihil sumus post futuro sensuri: tum nempe, cum non amplius erit aut tactus, aut plane ullus sensus, qui esse omnino aliquis non potest in separata anima, cum iam sine organis sit, in quibus solis resideat, & quibuscum solis agere possunt, aut pati sensus.

Quo fit, ut reputare liceat vanos ib. 991 esse inferorum metus: neque enim Ixionem rota volvi, neque saxum Sisypho humero trudi in adversum, neque ullius viscera & renasci posse quotidie, & carpi. Scilicet fabulæ hæ sunt; uti & quæ tradunt de Tantalo, de Cerbero, de Danaidibus, de Furiis, deque ceteris, quæ si usquam sunt, in vita hæc sunt propter hominum depravatos mores.

SECT.

## SECT. IV.

### *De rebus sublimibus, tam cœlestibus, quam aereis.*

HActenus fuere res humiles; sequuntur sublimes, sive in sublimi, hoc est, in regione supra terram fusa elatæ, atque apparentes: Hujuscemodi sunt sol, luna, alia sidera, & quæ in ipsis contingunt, ut ortus, occasus, conversiones, eclipses, & similia, itemque nubes, pluviæ, venti, fulgura, tonitrua, fulmina, cetera id genus. Scilicet, utcunque aliqui secernant, & posteriora hæc sola μετέωρα, hoc est, sublimia vocitent; congruum tamen est priora quoque illa & meteora dicere, & una meteorologia, (hoc est, tractatione de sublimibus,) utraque complecti.

Laert. X. 85. Repetendum vero hic est, quod initio est insinuatum. Non esse alium statuendum finem cognitionis rerum sublimium, sive conjunctim cum aliis, ut hic, sive separatim, ac per se, ut alias facimus, quam statum mentis imperturbatum, ac persuasionem non vacillantem, veluti & in ceteris, de quibus solemus disserere, rebus.

Ibid. 86. Non sane, quod, cum res sublimes ejusmodi sint, ut multifariam aut obtineant, aut obtinere valeant, & generationis causam, & essentiæ declarationem iis, quæ percipiuntur sensibus, conformem, uni alicui modo speciali sic hærendum, fit ut circa propositiones de moribus sit, aut circa illas Physicas, cujusmodi esse diximus illas, universum est corpus, & inane, rerum principia sunt insectilia, ac ejusmodi ceteras, quæcunque uno tantum modo cum rebus apparentibus congruunt; verum, quod sit firma persuasione tenendum, esse reipsa hujusmodi res non uno, sed pluribus modis explicabiles, neque adoriendum esse aliquid, quod vires excedat humanas; definiendo nempe unum certum modum, quo solo fieri res valeat.

Id, inquam, repetendum est, quod tum reputare oporteat, Physiologi esse muneris, causas præcipuarum, quæ in natura sunt, rerum, accurate pervestigare; & hinc profluxisse quicquid felicitatis est situm in cognitione rerum sublimium, ac in eo potissimum, quod disquiritur, cujusmodi sint, quæ in hisce sublimibus visuntur, & quæcunque ipsis cognata quodam modo sunt; Tum tenenda omnino hæc regula sit, esse in istis rebus id, quod dicitur, pluribus modis fieri; & non uno modo necessario contingere: & posse alio quoque modo se habere. Laert. X. 78. Ib.

Quod quidem inculco, ne, si cum uni modo adhæserimus, is forte displiceat, non ad naturalium recurramus, sed potius ad divinam causam; quia hoc iam foret agnoscere multiplicem modum, ubi unicus est. Scilicet divinæ naturæ tribuerentur curæ & negotia; cum sit tamen simpliciter absoluteque necessarium, ut in immortali, beataque natura nihil eorum sit, quæ dissolutionem, aut perturbationem inducunt. Statim quippe mens apprehendit, fieri absolute non posse, ut ipsi tale quid competat, perspecta immortalitatis, ac beatitudinis conditione.

Et certe hujusmodi consideratio-

nis

nis defectu, constat, inspectionem observationemque occasus, ortus, solstitii, eclipseos, ceterorumque eiusmodi nihilo facere per se feliciorem notitiam: sed perinde, (ac forte etiam amplius) metuere illos, qui hæc perspexerunt, (neque tamen norunt, quales sint naturæ eorum corporum, qualesve potissimæ causæ) ac si omnino non perspexissent, quando admiratio, quæ ex harum rerum inspectione oritur, reperire exitum circa dispositionem, ac modum, quo res maxime peraguntur, non potest. Ex quo fit, ut nos adnitamur plures invenire, & dicere causas solstitiorum, occasuum, ortuum, deliquiorum, aliorumque id genus, uti & in reliquis consimilibus, quæ apud nos, seu in terris contingunt.

Nisi vero censendum non est, disquisitionem harum rerum minime nancisci usum congruum, quæ nobis ad tranquillitatem, felicitatemque acquirendam conducit? Par profecto est, tam circa sublimia quam circa cetera alioquin obscura requirere causas iuxta varios modos, quibus apud nos similia contingunt: ac illos minime morari, qui neque unum certum modum, quo res aliqua possit se habere, aut fieri, neque modum multiplicem, quo contingere quidpiam valeat, norunt; solam vero rerum speciem, qualis nobis procul exhibetur, prætendunt, ac præterea ignorant, quibus ex rebus eveniat, aut non eveniat, ut perturbemur. Si reputemus certe contingere, ut aliquid uno certo modo fiat, ac exinde non perturbemur; certe, inquam, scientes aliunde posse pluribus modis idem fieri, non imperturbati minus erimus, quam si certo modo fieri perspectum haberemus.

Ceterum omnia satis constanter explicata fient, iuxta modum multifarium rebus apparentibus congruum, quando quis retinebit, ac tuebitur quicquid verisimile est in ipsa. Necesse est autem coniecturas ad ea, quæ sublime geruntur, ducere ex iis, quæ apud nos fiunt; ex iis, inquam, quæ observantur, aut perinde se habent, ac ea, quæ sublime visuntur; siquidem talia fieri compluribus modis contingit. Quare &, quod in unoquoque sublimium apparet, attendendum est iuxta ea, quæ cum ipso consonant, quæque pluribus modis fieri rebus apud nos contingentibus non repugnat.

Sed hæreo hic nimis. Quare, ut rem aggrediar, tametsi tota superterrena regio soleat interdum cœlum dici; quippe vicinus quoque aer cœlum interdum dicitur: placet tamen nomine cœli, uti & ætheris, eam regionis partem intelligere, quæ & superior est, & sidera complectitur; nomine aeris eam, quæ inferior, & in qua nubes, fulgetra, aliaque id genus visuntur, ac fiunt. Atque id quidem, ut dicturi postea, sius de aeris sublimibus, a cœlestibus, quæ ut præfati sumus, venire quoque nomine sublimium debent, auspicemur.

## CAP. I.

### *De substantia & varietate siderum.*

Principio vero id supponendum quod superius attigimus, nem-

nempe solem, lunam, ceteraque astra, non per se, ac seorsum fuisse genita, & posterius a mundo comprehensa; sed statim, simulve cum ipso conformationem, incrementumque, & magnitudinem suam accepisse, (quemadmodum etiam & terram, & mare, & quæcunque mundus asservat,) iuxta scilicet concrementa, conuolutionesque interius factas tenuiorum quarundam, earumque seu spirituosarum, seu ignearum, seu utriusque simul conditionis naturarum: quippe ista sunt, quæ suggerit sensus.

Plut. Pl. II, 13. Stobæus Ecl. Ph. p. 53. Hinc vero videntur quidem sidera substantiæ esse præsertim igneæ, ac præ ceteris ipse sol, cuius calor sensu tam clare probatur; at videntur quoque non tam puri ignes, quam commista quædam concrementa esse, quibus sit alligatus ignis.

ex Plut. II, 20. coll. cum II, 13. Etenim fieri non modo potest, ut sint quasi quidam vitrei, politive disci, qui lucida, ignificaque corpuscula ex ipsa regione ætherea, per quam discurrunt, appellentia, & excipere, & reflectere, & qua proinde specie apparent, exhibere valeant: consimilia enim fiunt apud nos: itemque, ut sint quasi nubes perinde illustratæ, & quasi accensæ, cum non secus Parhelii fiant.

Stob. Ecl. Ph. p. 55. coll. cum Plut. II, 13. & ipso Stob. 54. Sed potest etiam fieri, ut sint quasi quædam scaphidia parte sui cava, continentia ignem, laternæ videlicet instar, aut catini, prunas metallumve fusum, ignitumque continentis. Potest &, ut sint quasi candentes laminæ, aut quasi lapides, qui in fornace ardescunt: quippe & nihil est horum, quod repugnet.

Plut, ib. c. 20. Stob. ib. p. 56. Quo magis potest fieri, ut soli speciatim nihil aliud sit, quam glebulentum quoddam spissamentum, quod pumicis, spongiæque instar, creberrimis poris, meatibusque pervium, splendorem per ipsos, cum videlicet ignem intus contineat, ejaculetur.

Vnum, quod fieri minime possit, esse id videtur, quod aliqui dicunt, ut sidera nempe animata sint, sive totidem animalia, ac insuper totidem Dii. Quippe &, tametsi donemus, esse unumquodque quasi quendam mundum, seu potius quandam quasi terram, quæ proprium sibi aerem, imo ætherem quoque habeat; nihilominus, ut nostra hæc terra, licet animalia producat, non ideo ipsa est animal; ita neque sidera erunt, utcunque procreari in ipsis animalia quædam posse concedatur. Lucret. V, 146. Plut. adv. Colot.

Quanquam, ut istud ultro admittam, quod præterea tamen ulterius contendunt rotundos, & volubiles huiuscemodi Deos dari, nihil aliud lubet, quam repetere, quod iam superius institimus, portenta hæc esse, & miracula non sane differentium, sed somniantium Philosophorum, videlicet cum immortalia mortali sermone notantes, ea proferant, quæ a Deorum felicitate tam aliena sint, & præstanti eorum natura sic videri indigna possint. Cic. de Nat. Deor. I, 10. II, 17.

Quod superest, fuere iam pridem duo aliqua siderum, astrorumve genera distincta. Nam quædam quidem sunt inerrantia, quæ & situm semper inter se eundem observant, & viam semper eandem ab ortu in occasum tenent, neque illam unquam commutant: quædam vero errantia, unde & planetæ,

netæ, seu errones dicuntur, quippe cum neque inter se, neque cum aliis eundem situm servent, & suos circuitus nunc magis ad boream, nunc magis ad austrum perficiant.

Laert. X. 113. Si quæras autem, undenam hæc illis diversitas sit? dico fieri posse, ut astra ea necessitate ab initio in orbem mota sic fuerint, ut alia quidem una, eademque conversione, ipsaque existente æquabili gyrationem acceperint: alia conversiones quibusdam inæqualitatibus affecta subierint.

Laert. ib. Fieri etiam posse, ut per quæ loca suos motus obeunt, alibi quidem æquabiles spatiorum diffusiones sint, quæ & eodem versus, & subsequenter ipsa compellant, moveantque æquabiliter; alibi vero ea ratione inæquabiles, ut, quas observamus in ipsis motuum varietates, exinde proveniant.

ib. Hujuscemodi porro rerum unam solam reddere causam, cum ea, quæ apparent, esse posse multiplicem arguant, insanum est, nec rite consultum ab iis, qui inanem depereunt astrologiam, quippe quarundam rerum causas inaniter explicant, cum & divinam interim naturam, (ad quam plerumque hæc referunt,) ab exhibendis variis ministeriis liberam non sinant.

## CAP. II.

### *De magnitudine & figura siderum.*

Laert. X. 91. conf. alios ap. Gassend. ad Laert. X. p. 776. AD magnitudinem vero solis, siderumque, aliorum quod spectat, ea considerari potest, vel secundum nos, vel secundum se. Et secundum nos quidem ea tanta est, quanta & apparet; quippe sensus non fallitur, & quidquid oculus in ipsis conspicit magnitudinis, sic in ipsis est, ut neque habeant aliquid extra circumductum, qui conspicitur, neque quicquid habent, intra eundem non habent.

At vero spectata magnitudo secundum se, seu rem ipsam quod attinet, potest ea esse aut paulo major, aut paulo minor, aut præcise, quanta videtur. Ista nimirum varietate exhibentur sensibus ignes, qui apud nos ex intervallo interdiu, noctuque spectantur, siquidem aut tanti, quanti & sunt, apparent, quemadmodum flamma lucernæ, si spectetur cominus, aut minores, ut dum eadem flamma interdiu, eminusque conspicitur; aut majores, quam revera sint, ut dum rursus eadem flamma noctu, eminusque spectatur. ibid.

Dico autem paulo aut major, aut minor, siquidem isthæc diversitas, ut verus nempe circumductus, ultra, aut citra illum, qui a nobis conspiciatur, sit, esse admodum magna non potest, idque desumto quoque aliunde ex nostris ignibus argumento. Nam ex quantocunque intervallo alicujus ignis calorem sentimus, ex eadem & species illius justa nobis apparet, ut proinde, cum solis calorem hinc, unde a nobis videtur, sentiamus, magnitudo illius justa esse evariata sensibiliter admodum non possit. Laert. V. 567.

Confirmatur autem nihil ab intervallo, quod sensibile sit, ex ipsis astris delibari, quia quæ remota, aereque multo intercepto, contuemur, circumscriptione confusa exhibentur: at vero & sol iis, qui in Laert. X. 91.

tueri illum sustinent, circumscriptione diserta est, & ipso lunæ circumductu nihil videri distinctius potest. Et stellæ quidem scintillantes, tremulisque radiis quasi excurrentes apparent; sed hoc ipsum aliunde arguit esse ea illas propinquitate, ut diserte conspici valeant, quatenus, quos apud nos ignes cominus intuemur, pari ratione undulantes, tremulique sunt; quos eminus vero, ii fixi, constantesque apparent.

N. 91. Confirmatur rursus, quia, si sidera magnitudinem suam justam ob intervallum amitterent, multo magis amitterent colorem; constat quippe res e longinquo prius desinere germano conspici colore, quam præ exilitate prorsus conspici; atqui licet nullum intervallum sit ad hoc præstandum accommodatius, (neque enim prolixior longinquitas est,) non idcirco nihilominus sidera amittunt germanum colorem.

Laert. X. 91. Ac possunt quidem plurima adversus hunc locum urgeri; at vero ea nullo solventur negotio, si quis manifestis adhæserit rebus, ut in libris quidem de natura ostendimus, ubi allata hac distinctione, de magnitudine spectata & secundum se, & secundum nos, declaravimus nihil fecisse absurdi & illum, qui dixit esse solem pedis humani latitudine, & illum, qui esse multis vicibus majorem, quam Peloponesum, & illum, qui esse ipsi terræ æqualem, quoniam earum rerum, quæ secundum se majores, minoresque sunt, potest una secundum nos, quatenus visæ eminus, cominusque fuerint, esse magnitudo.

Plut. de Plac. II. 21 collato Laert. l. c. adde Gassend. p. 812.

De figura hoc solum dico, posse eam, cum nobis orbicularis appareat, esse & globosam, & laminæ instar planam, atque idcirco sidera esse aut quasi discos, aut quasi cylindros, aut quasi conos, ac turbines, aut quasi clavos quosdam infixos; horum siquidem nihil est quod repugnet, quodque non habeat aliquam cum rebus apparentibus consonantiam. Plut. Plac. II. 22.

## CAP. III.

### *De motu, & anteversione, conversioneque siderum.*

Cum dictum paulo ante sit, esse siderum alia inerrantia, alia vero errantia, & varietatem hanc ex eo peti, quod varios motus subeant; dicendum hic jam universe est, posse utrorumque motus fieri aut toto cœlo, cui vel unum, vel plura insint, circumducto, ut puta tanquam solido, ipsaque simul quasi clavos sibi infixos devehente: aut cœlo, tanquam vel fluido, vel pervio meatibus, stante, iis vero intra ipsum per se circumductis. Lucret. V. 510. sq.

Quia vero, seu cœli, seu siderum sit motus, cœpisse is potest juxta necessitatem, tum, cum mundus generaretur, factam, impressamque ex parte orientis; potest sane priore casu, (si toti nempe cœlo insit,) ut cœpisse sic continuari, aeris cujusdam abreptu: nam potest exterius esse duplex aer, unus quidem, qui superne premat, cœlumque in occasum urgeat, alter, qui inferne eodem quasi subtervehat, idque præter alium, qui hinc inde polos premat, contineatque: posteriore, (si nempe motus ipsis insit sideribus,) aut abre- Laert. X. 92. Lucret. V. 510. sq.

ptu

ptu aeris, aut ductu ipsiusmet ignis.

Lucret. V. 510. Videlicet potuit abusque initio corpusculorum sese exhalando diffundentium copia aerem perrumpere, ipsumque elidere; ipse vero venti motionem accipiens, astraque corripiens, illa circumducere, ac motum in orbem, qui etiamnum sursum in iis visitur, continentem, creare. Potuit & ignis cujusque sideris proprius, aut conclusus, quaerensque viam, circumversari, ut coepisse, ita etiamnum pergere, aut liberior, quocunque cibus quemque vocavit, ita serpsisse, ut deinceps quoque ob calorem, aviditatemque adeo pabuli, procedere perrexerit in loca consequentia, tanquam ad depastionem idonea.

Laert. l. c. Nempe nihil horum non est rebus apparentibus consentaneum, cum in promtu alioquin non sit, quae causa motum urgeat sideribus, determinare.

Id. X. 114. At, qui fieri potest, ut sidera quaedam sic antevertant alia, ut ista ab illis relicta spectare contingat? Nempe id contingere potest, aut quia, cum ista eandem cum illis diurnam circuitionem obeant, segnius feruntur, velut luna, quae lentius, quam reliqua versus occasum properans, ab ipsis relinquitur quasi a tergo versus ortum. Aut quia abrepta motu diurno versus occasum, feruntur tamen interea lente motu contrario versus ortum: quo pacto potest eadem luna non tam versus ortum a ceteris deferi, quam versus occasum ea deserere. Aut quia cum sola diurna revolutione, aequalique motu ferantur omnia, quaedam tamen prolixius, quaedam brevius spatium conficiunt; sicque luna rursus, si supra inerrantia sit, ut aliquibus visum est, perficiet tardius circuitum, observabiturque posterius relinqui.

Ibid. Pronunciare certe simpliciter velle in hisce rebus aliquid, eos decet, qui magnificum, & portentosum quidpiam coram multitudine ostentare affectant.

Laert. X. 93. Qui fieri rursus potest, ut sol, ut luna, ut stellae errantes, ubi ad tropicos, locave solstitialia pervenerint, cursum convertant, ac regrediantur? Scilicet contingere id potest, aut quod ab initio ea circumgyratio fuerit his impressa sideribus, ut spirali motu hinc inde ad loca solstitialia limitato circumducerentur; aut quod imitentur obliquitatem coeli, quod progressu temporis eam situs deflexi necessitatem contraxerit; aut quod reprimantur propter aerea, qui ipsa hinc inde prae frigiditate, densitate, qualitateve alia repellat; aut quod ipsorum pabulum congrue, seu secundum eam viam continenter dispositum partium quidem pone accendatur, partim prorsum aufugiat.

Ibid. Siquidem haec omnia, ipsisque affinia nihil continent discrepans ab ipsa rerum evidentia: si quis modo in hisce rebus possibilitati adhaerens, revocare unamquamque ad id, quod est congruum apparentibus valeat; nihil veritus illiberabilia Astrologorum machinamenta, dum immensam farraginem concentricorum orbium superexstruere, interstruereque non cessant.

## C A P. IV.

*De ortu, & occasu siderum, deque dierum, & noctium longitudine alternante.*

AT vero ortus, occasusque & solis, & lunæ, & reliquorum siderum, contingere trifariam possunt.

Laert. X. 92. Primum scilicet, per apparitionem supra, & occultationem infra; quod existentia sidera semper lucida, inextinctaque perseverantia, ita terræ sursum, deorsumque circumferantur, ut nunc supra emergant, sive exoriantur, nunc deprimantur infra, sive occidant, ac sol speciatim deorsum conversus, tenebras nobis faciat, revertens vero diem [illegible]; & cœlum suis radiis quasi accendere per auroram tentet. Scilicet nihil est ex rebus apparentibus, quod repugnet. Lucret. V. 657.

Laert. X. 92. Deinde per accensionem in regione orientis, & per exstinctionem in regione occidentis factam. Scilicet ob talem ad utrumque locum dispositionem medii, ut dum astra per illud transeunt, ista, quæ dico, eveniant; quandoquidem nihil est rerum apparentium, quod refragetur, cum & fontes esse perhibeantur, qualem epitropicum esse jam ante memoravimus, qui non modo extinguant, sed etiam qui accendant faces, & Oceano circumeunte terram, possit sol ad ipsum, in regione occidentis extinctus, redire per eundem, (ac transeundo quidem ultra boream,) in regionem orientis, exindeque emergere, & simul accendi. Lucret. V. 665. adde Gassend. ad Laert. X. p. 794.

Lucret V. 679. Tertio per renovatam quotidie productionem, quatenus nihil repugnat, quo minus diebus singulis novi, v. c. soles exoriantur, confluentibus videlicet ad ortum variis ignibus, aut seminibus ignium, qui in orbem coeant, splendeantque, & impetum subeant, quo in occasum pergant. Quippe & fama est, observari ex montibus Idæ sic fieri, ac potissimum sub exortum canis; & posse certis temporibus confluere ignes, intelligi ex eo potest, quod observatur fieri certo tempore in omnibus rebus. Nempe ex seminum confluxu, & defluxu florent arbores certo tempore, certo tempore deflorescunt, certo erumpunt dentes, certo decidunt, atque ita de ceteris, quæ recensere foret prolixum.

Cum porro ipsa solis supra terram mora sit dies, & absentia nox, qui fieri potest, ut non semper dies diebus, noctes noctibus sint æquales, sed sint dies quidem per æstatem longiores, & noctes breviores; per hyemem vero alternatim noctes longiores, dies breviores? Nimirum istud quoque potest tribus modis contingere. Lucret. V. 679.

Uno, quod circuitiones solis supra, ac infra terram nunc celerius, nunc tardius fiant, quatenus & ipsæ locorum, seu viarum, quibus sol incedit, longitudines sint alteræ. Atque id quidem ob posituram orbis vocati signiferi, quem oblique percurrit sol, & in duplici cujus signo noctem diei æquans, ubi exinde ad aquilonem, vel austrum deflectit, quantum itineris ad alteram partem aut supra, aut infra terram detrahit, tantundem ad alteram reponit.

Altero, quod certa per ætherem sint loca, quæ propter crassitudinem, factamque adeo resistentiam, b. 693.

am,

ām, transmeari segnius, quam alia valeant; ac talia esse, quæ sub terris solem hyeme hæsitare cogant, sicque & noctes prolixiores, & dies breviores, quam per æstatem faciant. Sane & quæpiam hujusmodi observare apud nos licet, juxta quæ consentaneum sit, ea, quæ sublimia sunt explicare.

Ib. 700. Tertio, quod alterius anni partibus memorati ignes, seminave ignium sic confluant, ut solem creent citius, aut tardius; & sol ex ea parte oriatur, unde longiorem aut breviorem supra terram cursum conficiat.

Qui sane unum quid singulare in hisce rebus solum accipiunt, tum apparentibus repugnant, tum ab eo, quod homini contemplari fas est, aberrant.

## CAP. V.

### *De siderum luce, & de phasibus ac maculis lunæ.*

Lucret. V. 592. CEterum, ut quidpiam de luce tam solis, quam ceterorum siderum, ac lunæ præsertim subiiciam, mirantur primum homines, unde habeat sol, cum tantulus sit, ut tantum lucis ex se fundat, quantum ad cœlum, terram, mare, quasi irrigandum splendore, caloreque sufficiat, neque propterea exhauriatur. Sed nempe est sol quasi fons, in quem subter confluunt undique rivuli perennes. Quippe ex universo mundo semina caloris ita in solem confluunt, ut subinde ex ipso, quasi ex uno capite & calor & lux quoquoversum redundet.

Ibid. Quin etiam potest substantia solis ejuscemodi esse densitatis, & quod ex eo lucis, calorisque proflu- it, ejuscemodi tenuitatis, ut quemadmodum parvus fons, rivulusve ex fonte deductus prata, camposque absque dispendio late irrigat; ita absque dispendio sensibili solis, illud ad universum mundum, quasi irrigandum sufficere valeat.

Potest vero & aer esse ejus naturæ, ut luce non magna a sole diffusa, quasi accendatur: ut possunt ex una scintilla totæ segetes accipere incendium. Ib. 603.

Potest etiam sol circum se habere invisum nobis pabulum, unde sicut flamma lucernæ ex supposito oleo jacturam resarciat. Potest, & res aliis contingere modis. Ib. 605.

Ad cetera astra quod spectat, & lunam ipsam maxime, fieri potest, ut quam præferunt, lucem a seipsis habeant, fieri etiam potest, ut a sole mutuentur. Siquidem etiam apud nos pleraque cernuntur ex seipsis luculentia, pleraque splendorem ex aliis mutuantia, ac nihil est rerum sublime apparentium, quod opinioni utrivis obstet. Ib. 701. & Laert. X. 94.

Id videlicet, si quis modo multifarium modum menti defixum teneat, & consentaneas ipsi suppositiones, causasque simul consideret, ne ad ea attendens, quæ incohærentia sunt, vane intumescat, & & nunc huc, nunc illuc in singularem modum prolabatur. Lucret. V. 736.

Verum, quod ad lunam quidem attinet, id mirabile cumprimis habetur, quod tot phases, seu incrementa, ac decrementa lucis accipiat. Enimvero potest, globosa cum sit, & splendorem a sole habeat, ita ex ordine figurari, (eo scilicet modo, quo aer ortu a sole illustratur, aut occasu obscuratur succedenter,) ut a sole abscedens cre-

scere in dies appareat, quod amplius, amplíusque illustratæ faciei, ad nos referat, quousque plenam exhibeat, & deinceps ad solem accedens indies decrescere, quod minus, ac minus ostentet, quousque ex ea nihil ad nos vertat, ac penitus lateat.

Ib. 715. Potest & luna, globosa existens, altera sui parte esse lucida, altera obscura, & conversione sui corporis nunc amplius, nunc minus, ex utraque alternatim exhibere.

Ib. 716. Potest & lucida ex se, pati obductionem succedenter factam corporis cujuspiam opaci, quod hemisphæricum, excavatumque, & una cum ea labens, ipsi continuo circumvolvatur.

Ib. 720. Quid? quod nihil quoque juxta jam dicta refragatur, quo minus possit alia, aliaque, & certæ quidem formæ, figuræque, creari, ac aboriri luna in dies singulos, eo modo, quo veris, æstatis, autumni, hyemis tempestates, ac multa in ipsis, statis vicibus adveniunt, & abeunt, nascuntur & intereunt?

Laert. X. 95. Nimirum res dicenda est, quocunque denique modo illa, quæ apud nos apparent, iis, quæ sunt ejusce modi, planam faciunt explicationem. Nisi forte quis singularem modum perdite deperiens, alios inaniter reiiciat, neque valeat considerare, ecquidnam pernosse possibile sit; atque idcirco, quæ nefas est homini, pernosse affectet.

Gassend. ad Laert. X. p. 868. Deinde & illud in luna miratur, quod maculosa facie appareat. Sed videlicet potest ea facies apparere hujusmodi, aut ex natura variâ, diversiformique ipsarum lunæ partium; aut ex obductione corporis cujuspiam non perinde opaci, sed utcunque caliginosi; non continuo circumvoluti, sed perpetuo potius hærentis, ac non ubique solidi, sed reticuli instar varie perforati.

Potest & alio quovis modo existis, qui conformitatem tueri cum rebus apparentibus observantur. Laert. X. 96. Hæc nempe est via, cui hærendum esse, quotiescunque agitur de sublimibus, præstituendum est. Neque enim si quispiam rebus apparentibus obluctetur, is poterit unquam germanæ tranquillitatis particeps fieri.

## C A P. VI.

*De siderum eclipsibus, periodisque ipsarum statis.*

VErum enimuero nihil est, quod majorem hominibus inducere stuporem soleat, quam quod interdum derepente contingere eclipses, defectusve lucis in sole, ac luna observant. Laert. X. 96. Quanquam, quidni hoc quoque possit pluribus modis contingere?

Nam primum quidem potest sol Ib. 732. & Laert. X. 96. eam ob causam deficere, quod luna interposita cœcum suum orbem, corpusve opacum illi obiiciat, ac ejus lumine terram secludens, creet in ipsa tenebras, quousque subducta, lucis restitutionem faciat. Potest ob eam luna, quod terra ipsi solique interposita, solem quasi oppressum supra teneat, illique eripiat; ac ipsam proinde, dum umbræ conum perlabitur, obscuret, quousque elapsa ex eo, recuperet lucem.

Deinde, potest quoque sol ex eo Idem. deficere, quod quæpiam pars cœli, aliudve quodpiam, opacum corpus, cujusmodi est terræ, una

cum ipso sole labatur, & certis vicibus ipsum subeat, ejusque lucem intercipiat. Et luna consimiliter, quod corpus aliud, opacum quoque illam inter, & solem labens, solis radios ipsi interrumpat; aut una etiam cum ea labens, non modo ejus phases lente peragat, sed interdum quoque umbram repentinam inducat. Ne memorem, si altera parte obscura, altera lucida sit, fieri quoque posse, ut interdum obscuram faciem repente convertat.

di. ibid. Ad hæc possunt tam sol, quam luna idcirco deficere, quod per loca igni infesta, inimicaque transeant, extinctionemque lucis patiantur, quousque, ubi illa præterierint, ipsam recreent, recuperentque.

Laert. l. c. Hac sane ratione attendendi sunt familiares modi invicem collati, ac aliqui etiam complexe accepti; cum fieri possibile sit, ut plures simul causæ concurrant.

Laert. X. 97. Ordo etiam periodicus, quo eclipses certis temporibus accidunt, ita servari intelligatur, quemadmodum & apud nos servari in quibusdam, (ut in tempestatum vicissitudine,) contingit. Nullatenus vero natura divina ad hæc patranda advocetur; sed omnis expers muneris, & cumulatissime beata esse permittatur.

ib. Nisi id fiat, tota de causis rerum sublimium ratiocinatio irrita evadet, ut nonnullis jam accidit, qui modum amplexi impossibilem, in vanitatem exciderunt; quod unum nempe solum probarint, ceteros omnes, tametsi forent possibiles, expunxerint, & delati fuerint ad somniandum id, quod intellectus captum excedit; ac neque admittere apparentia, quæ par erat, signa potuerint; neque noverint, quemadmodum ajunt, cum Deo lætari.

## CAP. VII.

### *De præsignificationibus siderum.*

Restant præsignificationes transmutationum aeris attributarum sideribus, cujusmodi sunt pluviæ, venti, siccitates, æstus, & similia, quæ pro tempore ortus, occasusve siderum quorundam, ut Canis, Orionis Plejadum, contingunt.

Possunt vero hujusmodi præsignificationes fieri, aut prout ipsæ tempestatum conditiones tulerint, eo modo, quo evenit in illis animalibus, quæ nunc apud nos, nunc apud alios commigrando visa, tempestatum quidem indicia, sed non tamen causæ sunt; quippe etiam orientia, occidentiaque sidera possunt istarum mutationum, non causæ esse, sed indicia; aut prout non certo, sed casu contingit, quo tempore astra vel oriuntur, vel occidunt, causas quasdam existere excitatæ cujuspiam in aere mutationis. Laert. X. 98.

Siquidem neutrum horum pugnat cum rebus apparentibus, & qualis præter hanc, aut illam, aliamve conformem apparentibus causa sit, pervidere hautquaquam licet. ibid.

Nequicquam porro illud non est, quod obiter attigi de præsignificationibus, quæ in aliquibus animalibus observatæ, nonnisi pro conditione ejus tempestatis, quæ tunc temporis interveniat, fiunt; Laert. X. 115.

adeo, ut deprehensi in animalibus motus tempestates solum indicent, non itidem faciant: videlicet, quæ per autumnum, v. c. a nobis abeunt, necessitatem præ se ferunt nullam, qua fieri tunc hyemem oporteat, neque natura quæpiam divina assidet, discessum observans animalium, ut subinde ea, quæ ab ipsis fuerint indicata, perficiat.

111. Quippe stultitiæ genus hoc est, quod ne in animal quidem ullum, in quo vel mica fuerit ingenii, possit cadere; tantum abest, ut in eam naturam, quæ nacta est, ac possidet omnigenam felicitatem.

## CAP. VIII.

### *De cometis, seu stellis crinitis, & de vocatis cadentibus.*

Quæ hactenus dicta de sideribus sunt, attinent ad solem, & lunam, ac stellas, quæ ab usque mundi initio creata, in cœlo constanter hærent, ac apparent. Sunt vero præter has stellas aliæ, quæ interdum gignuntur, recensve apparent, & post dies, mensesve non multos, aut intereunt, aut occultantur, & Cometæ, quasi comatæ, crinitæve stellæ dicuntur, quod appendicem lucidam, quasi quandam comam, sive crines gerant. Sunt & nonnullæ momentaneæ, quæ pene nascendo evanescunt, & excursu quodam visæ cadere, cadentes vulgo appellitantur.

Laert. X. 111. Et quod attinet quidem ad Cometas, illi aut gigni possunt, quod certis temporibus ignis in quibusdam ex sublimibus illis locis & succendatur, & succensus pro copia, & dispositione materiæ nutriatur, moveaturque in aliquod tempus; aut ideo appareant, quod per varias vices cœlum, motionem quandam propriam, qua parte nobis imminet, subeat, adeo, ut astra hujuscemodi manifestari compellantur; seu mavis, ipsamet ob certam aliquibus temporibus dispositionem, prodeant, & ubi inferius versum nos venerint, manifesta fiant.

Evenit autem, ut cometæ evanescant ex oculis, ob causas hisce oppositas. Videlicet, sive idonea materies ipsis consequenter posita non sit, uti est in eo ipso loco, in quo hærere deprehenduntur; unde & sensim pabuli defectu veluti extabescant; sive quod aliquid ipsorum motui obnitatur; idque contingat, non solum, quod hæc mundi pars, circa quam reliqua convertitur, immota existat, uti asserunt aliqui, sed etiam, quod esse in aere possit quædam in orbem circumactio, quæ circumlationem illorum inhibeat; alioque deflectat, uti & astris ceteris, quæ dicuntur errantia, accidere ad tropicos potest. 112.

Quin etiam aliis pluribus modis id effici potest, si modo quis id, quod est rebus apparentibus consonum, expendere ratiocinando valeat. 113.

Ad cadentes vero appellatas stellas quod spectat, eæ creari possunt, aut ex ipsarummet verarum stellarum fragminibus detritu factis, aut ex prolapsu ejus materiæ, cujus velut difflatio fit, uti & contingere in fulgurationibus potest, aut ex coeunte serie ignificarum atomorum ad id præstandum conspirantium; ac motione facta, prout vis coeundi ab initio extiterit; aut ex spiritus intra nebulosos quosdam Laert. X. 114.

dam

dam glomeres coactione, inflammationeque, (scilicet dum convolvitur,) ac disruptione ipsorummet cohibentium glomerum, motioneque in eam partem facta, in quam impetus tulerit.

Ib. Enimuero alii quoque sunt, quibus fieri id valeat, minime fabulares modi. Verum de cœlestibus quidem sublimibus dicta hæc sunto.

## CAP. XI.

### *De Nube.*

Sequuntur sublimia aerea, seu quæ propius nos in aere fiunt. Ordiendum vero ab ipsa nube, qua sublime in aere nihil gignitur, visiturque frequentius.

Laert. X. 99. Lucret. VI, 450. Nubes itaque generari, & constare potest, inprimis quidem, quapiam quasi cumulatione aeris, compellentibus ipsum ventis, adeo, ut nubes nihil aliud sit, quam aeris incrassamentum. Deinde, implexione atomorum invicem cohaerentium, & ad concrementum huiuscemodi conficiendum idonearum; idque dum primum coeunt, in parvas nubium moleculas, istæque deinceps in majores moles ita congregantur, ut in maximas denique evadant,

Lucret. VI, 454.-[illegible] Fere autem apparent ad montium cacumina consurgere, quod primæ concretiunculæ sint adeo tenues, ut visum fugiant, ac vento interim transferantur, donec paulatim addensatæ in ipsis montium verticibus, qui ideo fumare videantur, appareant.

Ib. 48-. Quod si quis hæreat, undenam tanta atomorum copia confluere ac suppetere in tantas nubium moles possit, is cogitet, nisi aliunde, at saltem venire extrinsecus posse ex universi immensitate, ubi infinita illarum est vis, idque; quod ipsis principiis exitus, & introitus, ut antea quoque dictum est, per mundi spiracula non negetur.

Præterea vero gigni nubes potest collectione efluxionum, exhalationumue e terra, & aqua eductarum, sursumque evectarum. Ib. 469. Nam multa quidem corpuscula e toto mari educi declarant vestes, quæ in littore suspensæ humorem concipiunt; sed & videmus passim ex fluuiis consurgere nebulas, eamque halituum, fumorumque copiam, quæ sursum elata suffundat cœlum caligine, & nubes paulatim conveniundo sufficiat.

Quin multis etiam aliis modis coagmenta hæc fieri nihil vetat. Laert. l.c.

## CAP. X.

### *De vento, ac prestere.*

Quod venti obiter memini, admonen posse ventum gigni, primo, dum atomi, corpusculave ex locis quibusdam idoneis prosiliunt, ac per aerem transuolant, idque vehementiore effusione facta ex quibusdam congestibus, qui comparati sint ad huiuscemodi emissiones. Nempe, cum in angusto inani multa sunt corpuscula, ventus sequitur; & contra status aeris quietus, placidusque est, dum in multo inani corpuscula sunt pauca. Laert. X, 100.

Nam quemadmodum in foro, aut vico, quamdiu paucitas est, sine tumultu ambulatur, ubi turba in angustum cucurrit, aliorum in alios incidentium rixa fit; sic in hoc, quo circumdati sumus, Democritus apud Senec. Q. Natural. V, 2.

spa-

ſpatio; cum exiguum locum multa corpora impleverint, neceſſe eſt alia aliis incidant, & impellantur, ac repellantur, implicenturque & comprimantur; ex quibus naſcitur ventus; cum illa, quæ colluctabantur, incubuere, & diu fluctuata, ac dubia, inclinavere ſe: at ubi in magna laxitate corpora pauca verſantur, nec arietare poſſunt, nec impelli,

Laert. l. c. Deinde poteſt ventus gigni, dum aer, aut halitibus e terra, & aqua exſpiratis, aut ſole ſuperne incumbente impellitur, & agitatur; ſcilicet, quod perſpicuum ſit, ubi aer agitando percitus eſt, creari ventum: adeo ut ventus nihil eſſe aliud videatur, quam aeris fluctus, & intelligi inde poſſit habere ventum aliquid ſimile cum aqua commota, & violentiores ventos ex graviore cauſa commovente eſſe, eo modo, quo torrentes ſæviunt, ac ſtragem propagant cum imbribus largis in montes decidentibus, magnus fit aquarum decurſus. (Lucret. I, 281.)

Preſteres porro ſunt gyri ventoſi, (nam ignei quidem, amburentesque, a quibus eſt nomen, ſpecies quædam fulminis ſunt,) gigni vero poſſunt, aut ex ipſa nubis verſus loca inferiora diverſiformi depreſſione, dum a copioſo vento, qui ſe involverit, nubisque latera corraſerit, defertur, & compellitur; ac ventus etiam ipſam proxime extrinſecus agit: aut ex circumſtante in orbem vento, dum & aere ſuperne incumbente, ſimulque compulſo, & circumfuſo aere ob denſitatem prohibente, ipſa copioſa ventorum vis non habet, unde, aut qua diffluat, ac tum ad latera, tum ſuperne repulſa, nubem neceſſario deorſum contrudit. (Laert. X, 104.)

Et ubi quidem ipſe preſter in terram usque demittitur, turbines vocati creantur, ubi vero in mare usque, appellati vortices. Apparent autem turbines rarius, quod montes illos conſpectui præripiant; vortices autem crebrius, ob patentem maris planitiem, in quam videre licet nubem columnæ ſpecie e cœlo demitti, & quaſi vi brachii, pugnoque detrudi, donec vi venti perrumpente, mare ferveſcat, ac diſcrimen navibus vix eluctabile fiat.

## CAP. XI.

### *De Fulmine.*

HAut abs re vero inſuper eſſe quoque preſteres igneos, qui a fulmine non differant. Quippe videntur fulmina fieri ex multiplici flatuum, corpuſculis igneis turgentium, intra nubium moles conglomeratione, eorundemque evolutione, accenſioneque valida; & effractione nubis ab igne qui in loca inferiora ita valide explodatur, ut, prout ſe talis exploſio habuerit, nunc verſus montem quempiam præcelſum, (quod genus locorum feriunt ſæpius fulmina,) nunc verſus alia dirigatur. (Laert. X, 100.)

Nam certe fulminis naturam eſſe igneam, vel illud arguit, quod perſæpe ædes, in quas impingitur, accendat, quodque relinquat uſtionis notas ſulphuris fœtorem halantes. Non gigni autem, niſi intra nubes, ex eo manifeſtum eſt, quod nunquam ſereno cœlo fulminet, ſed nubes prius ita concreſcant toto aere, ut cœlum eripiant, & tetra nimborum quaſi nox cooriatur. Denique intra nubem contineri (Lucret. VI, 218.)

multa

multa corpuscula, seu mavis, quasi semina ignis, tum effectus arguit, tum ex eo intelligitur, quod inter corpuscula nubis inferne emergentia, non aquea modo, sed etiam ignea, & alia multa commisceantur, cum & sit necesse, ut nubes non pauca ex ipsis solis radiis concipiat.

Lucret. VI, 273. Itaque, ubi flatus, ventusve, qui nubes cogit, sese cum seminibus ignis intra nubis sinum, cavitatemque commiscuit, vortex intus fit, qui rapide versatus, mobilitate incalescat, & vel præ intensione caloris, vel alterius ignis contagio, (si alius forte præaccensus sit;) inflammatus quasi fulmen erumpat, ac perscissa nube elidatur, forasque feratur. Perscinditur autem, ac effringitur nubes, quod loca vorticem circumstantia, densius occupentur ab ipsis nubis partibus; neque ob earum compressionem pateant rimulæ ullæ, donec diffletur, sese insinuare, ac sensim penetrando subducere possit; atque adeo necesse est, ut ignis denique cretus, sui difflatione tum nubem potentius perrumpat, unde & auditur tonitru, tum foras prodiens emicet, & corusca luce loca

Ib. 281. omnia compleat.

Potest vero etiam vis venti in nubem extrinsecus incidere, quo iam tempore est fulmen maturum, & nube perscissa, occasionem facere igneo vortici, ut erumpat.

Ib. 295. Potest & ipse igneus vortex tametsi in ipsa sui eruptione nondum accensus, in sui deinceps traiectu per aerem, ignescere, eo modo, quo etiam sæpe plumbea glans per eundem traiecta & fervida fit, & concipit ignem. Potest quinetiam ignis creari in ipso ad rem, quam ferit, impactu, nempe excitatis utrinque seminibus ignis, eo modo, quo ex silice ipso chalybis attritu excitantur.

Sunt vero & alii plures quoque modi, quibus iste ignis accendi, ac fulmen adeo creari possit: fabula modo hinc amandetur. Aman- Lucret. X, 104.
dabitur porro, si quis in rebus inconspicuis decenter desumat ex eo, quod rebus apparentibus consentaneum est, coniecturam.

Causa interim dicetur ex his, qui fiat, ut vere, & autumno ful- Lucret. VI, 356.
minet frequentius, quam tempestatibus ceteris? Nempe hyeme desunt ignis semina, æstate flatus, ac fines nubium, vere, & autumno congrua adsunt omnia.

Qui item, ut tanta mobilitas sit, Ib. 325.
tamque validus ictus fulminis? Nempe id impetus eruptionis facit, & subtilitas, ob quam nihil per viam obstat, & vis, quæ partim gravitate quasi duplicatur, partim mobilitate increscit.

Qui, ut penetret per septa do- Ib. 347.
morum? ut metalla momento solvat? ut vasis integris vinum exhauriat? Nempe & id facit corpusculorum subtilitas, ac mobilitas, impetusque, quo possit momento ea disiicere, & distrahere, quæ vulgaris ignis, aut sol, nisi tempore prælongo, non possit.

## CAP. XII.

### *De fulgure, & tonitru.*

Tametsi porro, obiter innui, qui coruscatio, sive fulgur, qui item tonitru gignantur, non obstat hoc nihilo minus, quin & ista fieri pluribus modis valeant.

Nam

Laert. X, 101. Lucret. VI, 159. Nam fulgur quidem fieri potest, aut affrictione, collisioneque nubium, prosiliente utpote eiuscemodi configuratione, seu atomorum aggestarum dispositione, conformationeque, quae effectrix ignis sit, & generet fulgur, eo scilicet modo, quo diximus fieri, dum ferrum & lapis mutuo colliduntur.

Laert. l. c. Aut excitatione per ventos e nubibus facta, eorum corporum, corpusculorumve, hoc est, atomorum, quae splendorem hunc coruscantem efficiant; nempe, quod ventus, ac potissimum, si plumbeae glandis instar percaluerit, eademque excutiat corpuscula, quae mutuo attritu nubium excutiuntur.

Ib. Aut expressione, sed facta nimirum, vel ab ipsis inter se nubibus, vel a ventis ipsis compellentibus, compressione, quae citra impetum collisionis fiat.

Ib. Aut interceptione lucis a sideribus diffusae, quae deinceps nubium, ventorumque motu adigatur, ac e nubibus excidat.

Ib. Aut dilapsione e nubibus facta tenuissimi luminis, dum nubes interius ab igne coguntur, ac aliunde tonitrua ipso illarum motu, quasi quidam bombus, creantur.

Ib. Aut accensione spiritus, quae tum motus contentione, tum convolutione, ut dixi, vehemente fiat.

Ib. 102. Aut fractione nubium per ventos, ac prolapsione atomorum, quae effectrices ignis sint, apparitionisque fulguris sint causae.

Ib. Quin etiam posse pluribus modis generari fulgur, facile erit perspectu illi, qui & rebus apparentibus adhaeserit, & quod est ipsis consentaneum, pervidere valuerit.

Laert. X, 100. Lucret. VI 95. sq. Sic vero etiam potest tonitru creari, aut ex spiritus intra nubium cavitates volutatione, quemadmodum in nostris vasis, intra quae quidpiam circumrotatur.

Aut creato bombo, ex ipsa intra easdem nubes ignis difflatione, & quasi ebullitatione. Ib.

Aut ex earundem nubium diffractionibus, distractionibusque, ut cum vesica intenta crepat, charta frangitur, carbasus abrumpitur. Ib.

Aut ex affrictionibus, impactionibusque earundem, posteaquam adeptae concretionem quandam quasi glacialem fuerint; ideoque compellente eas vento, quemadmodum ramosae sylvae, Cauro perflatae, fragorem edunt, fluctus infracti murmurant, suspensae etiam vestes, chartae volantes, ventorum vi, ac veluti verberibus versatae, plangunt. Ib.

Aut extinctione ignis fulminei, ex una nube erumpentis, & in aquosam aliam incidentis, ac ideo perinde stridentis, ut cum ferrum candens e fornace eductum in lacunam conicitur. Ib.

Aut concrematione nubis aridioris, quae perinde concrepitet; ac si lauri ramus cremetur. Ib.

Uno verbo, hoc quoque membrum explicari posse modis pluribus, ea, quae apparent, persuasum faciunt; praestantque, ne id, quod ignari, aut superstitiosi persuasum habent, opinemur, tonitrus sonum significare apparuisse Deum aliquem; quippe cum non minus alia corpora inter se collisa, sonum quoque edant, ut mola contrusa, aut complosae manus. Laert. X, 100. Sext. Emp. adv. Mathem. p. 130, B.

Ne quis porro haereat, qui fiat, ut fulgur, eiusve adspectu exauditionem tonitru antevertat: id con- Laert. X, 102.

Id contingere sane potest, aut quod incerta quapiam dispositione nubium, simul atque spiritus in ipsas inciderit, ea configuratio corpusculorum prosiliat, quæ coruscationem edat; deinceps verò spiritus ipse sui evolutione hunc sonum perficiat.

Lucret. VI, 182. Laert. X, 103. Aut quod cum utrumque simul generetur, coruscatio pernicitate concitatiore ad nos feratur, tonitru vero posterius adveniat, uti fit in aliquibus, quæ ex intervallo cernuntur, & resonantes ictus impingunt; prius enim conspici ictum, quam audiri sonum, manifestum est.

## CAP. XIII.

### *De pluvia, & rore.*

DIcendæ iam sunt aquæ concretiones, quæ partim manent fluidæ, partim frigoris impressione soliditatem quandam accipiunt; & quæ fluidæ quidem manent, sunt pluvia & ros; ex quibus illa nubiloso, hic sereno cœlo creatur.

Laert. X, 99. Pluvia autem potest ex nubibus fieri: aut dum rariores existentes, urgente seu vento, seu incubitu proprio comprimuntur, & in guttas coalescunt; aut dum existentes densiores, vi caloris, aut venti rarescunt, atque transmutantur, seu, instar ceræ, ita liquescunt, ut stillatim decidant.

Lucret. VI, 496. Siquidem aquæ semina contineri in nubibus, notius est, quam ut dici debeat, ea enim cum ipsis pariter ascendunt, pariter succrescunt, neque secus per ipsas, ac sanguis per partes nostri corporis dispergüntur. Neque vero modo ex omnibus fluviis humor in nubes tollitur, sed nubes quoque, mari incumbentes, humorem non secus, ac vellera lanæ concipiunt. Ib 509.

Quare & possunt pluviæ ex nubibus effluere, aut cum vis venti nubes contrudit, & copia nimborum coorta superne eas urget, ac premit; aut cum nubes vi ventorum rarescunt, diffluereque humorem patiuntur, vel calore solis ita dissoluuntur, ut stillatim, &, quemadmodum dixi, quasi cera tabescens, liquescant.

Fieri porro potest, ut pluviæ sint interdum valde diurnæ, quoniam tunc contingit semina aquarum complura, aliis aliisque nubibus identidem suborientibus, ac undelibet aliunde translatis, creandæ pluviæ suppetere; cum & fumans interdum terra, quem totum humorem recipit, rehalet. Ib. 518.

At vero ros fit, aut coeuntibus mutuo ex aere corpusculis, quę eiusmodi sint naturæ, ut ad talem humoris speciem gignendam comparata sint; aut eductione corpusculorum ex humentibus, aquosisve locis; quæ rorem præsertim sursum generent; ubi deinceps sic coeunt, ut & humorem istum conficiant, & in subiecta loca defluant: scilicet non pauca similia, apud nos, ac in vaporariis potissimum, fiunt. Laert. X, 108.

## CAP. XIV.

### *De grandine, nive, & pruina.*

EX aqueis concretionibus, quæ impressione frigoris in soliditatem quampiam congelascunt, duæ sunt, quæ cœlo nubiloso creantur, videlicet grando, & nix; una, quæ sereno, scilicet pruina.

Et grando quidem generatur, aut Laert. X, 106.

cum

cum validior est congelatio præ constitutione venti frigidi, quæ undique circumstet, ac urgeat nubium stillicidia, seu guttas, alioquin abituras in pluviam: aut cum gelata moles in partes dehiscit, & moderata liquefactione, stillæ aquosæ rimis insinuatæ tum molis interruptionem, tum compressionem partium, & totius compaginis diffractionem ad hoc efficiunt, ut partes per se singulæ compactæ subsistant, fragminumque acervum, qui dispergatur, faciant.

Plutarch. Plac. Phil. III, 4. Rotunditatem vero horum fragminum qualemcunque fieri nihil prohibet, aut quod extremi anguli undequaque rescindantur, præ casus nempe prolixitate, aut quod Laert. X, 107. in ipsa conformatione quidpiam seu aquosum, seu ventosum particulas singulas undique ut dictum est, & æquabiliter circumstet, ambitusque earum proinde non inæquabilis evadat.

Ib. Nivem autem fieri contingit, aut diffusa tenui ex nubibus aqua, ea ratione, ut spumescat, (prementibus nempe nubibus idoneis, ventis vero difflantibus,) ac in ipso postea motu congelascat, ob vehementiorem quandam in locis nubium inferioribus, frigiditatis conditionem.

Aut facta quadam æquabili in nubibus congelatione, ad quam dum corpuscula aqua mutuo compressa, convicinaque appellunt, fiat aggeneratio, talem obtinens laxitatem, qualem præ se ferunt nivis flocculi; cum & eadem magis sese compellentia creent grandinem, cuiusmodi duæ res in aere maxime fiunt.

Ib. 108. Potest & hæc nivis confertim cadentis velut eiaculatio fieri per detritionem ex nubibus, quæ prius conglaciaverint. Potest & aliis quoque modis nivis generatio parari. Ib 109.

Pruina denique ex iisdem, quibus ros, corpusculis fit; nempe, cum roris guttulæ alterutro modo creatæ, proter certam frigiditatis conditionem in aere concrescunt, ac levem compactionem congelando accipiunt.

## CAP. XV.

### *De Iride, & Halone.*

Non sunt vero hic prætereundæ duæ quædam dignæ notatu res, quæ in nubibus, sublimeve apparent; iris nempe, seu ille arcus, variis insignis coloribus, qui e regione solis formatur; & halos, sive area, quæ coronæ candidæ instar lunam interdum circumambit.

Creatur porro iris, aut quod aer humescens adverso solis splendore refulgeat; aut quod ea sit specialis natura tum lucis, tum aeris, ut eiuscemodi colorum species exprimat, sive omnes, sive unicam, a qua deinceps resplendescente, partes confines aeris talem colorationem subeant; quemadmodum fieri observamus, dum cuiuspiam rei partes illustratæ resplendescere contermina faciunt. Laert. X, 109.

Ad rotundam formam quod spectat, creatur ista arcus species, quod æquo undique intervallo ad spectatoris oculum referatur, aut etiam, quod atomi, quæ ex aere in nubem feruntur, ita compellantur, ut quæpiam inde facta concretio in hanc formetur rotunditatem. Ib. 110.

Halos vero fit circa lunam, aut evecto undequaque versum lunam crassiusculo, sive leviter nubiloso aere, Ib.

aere, dum interea effluxiones quædam, ab ea derivatæ, ipsum reprimentes eatenus excernunt, (quippe non penitus discutiunt) quatenus in orbem circa ipsam nubilosa hac specie conformentur.

Ib. Aut aere, qui circum ipsam, congrue coacto, ad exprimendum rotundam hanc, crassiusculamque circa ipsam, speciem. Quod quidem secundum nonnullas ipsius partes fieri contingat, seu affluxu quodam exterius cogente, seu calore apposito ad id præstandum subinsinuato.

## CAP. XVI.

### *De Avernis*

Lucret. VI, 740. Superest aliquid dicamus de locis avernis, quæ dicere ita solemus, quod avibus infesta sint, quatenus, ubi aves per ipsa transvolare contingerit, extemplo concidant, ac intereant: itemque de pestilentiæ causis, quatenus quidem ex aere dependent.

Ib. 769. Repetendum vero hic solummodo est, continere terram omnifaria corpuscula ita diversimode figurata, & quædam naturæ animalium conducentia, quedam nocentia sint, & propter illorum texturas inter se adeo dissimiles, quædam sint nonnullis congrua, ac salutaria, quæ comperiantur aliis incommoda, ac perniciosa. Quidni id vero? Cum in mutata per febrim eiusdem hominis textura, ac temperie, quod vinum prius summe iuuabat, plagæ mactabilis instar fiat?

Ib. 784. Sed enim plurima ingrata, infestaque, & perniciosa incurrere passim in gustatum, in olfactum, in tactum, ac in omnes sensus manifestum est, ac ne arbores memorem, quæ vel sui umbra dormientibus gravedinem creant, vel tetro etiam odore necant; ne gravem vim, odoremque carbonum, & similia: quæso, quam varia loca sunt, quæ graves noxiosque odores bituminis, sulphurisque exhalant. Scrutatores vero metallorum, qui evadunt tam lividi, qui tam cito intereunt, quos non exspirari vapores infestos ex intimis terræ partibus comperiunt?

Itaque loca quedam sunt, e quibus ii halitus exspirantur, qui in superfusum aerem evecti, ipsum aliquousque venenent, qualitateve mortifera inficiant, adeo, ut cum aves per eum transire contigerit, veluti, si mulier mensium tempore Castoreum olfaciat, & obstupefiant, & repente prolapsæ vitam etiam amittant. Ib. 818.

Prætereo autem, fieri etiam posse, ut aere, qui inter aves, terramque suppositus est, vi halitus prorumpentis discusso, locoque facto prope inani, volucres non habeant fulcimentum, cui pennæ expansæ innitantur, ut propagare volatum possint; sicque labantur, ac procidant, pondere corporis prægravante. Et sic quidem averna. Ib. 830.

## CAP. XVII.

### *De pestilentia.*

Pestilentia autem, seu affectio exitialis aeris utcunque possit etiam superne, nubis, nebulæque instar advenire; tum tamen præsertim creatur, cum terra intempestivis pluviis, ardoribusque, putrorem est nacta; isque halitus ex ea consurgit, qui inficiat aerem, & longe, lateque non modo in homines, sed in alia quoque animalia grassetur. Lucr. VI, 1092.

Aerem certe facile inducere affectio- Ib. 1102, 1116.

ctionem halitus e terra proxime exspirati, tum regionales vocati morbi indicio sunt, ut hic apud nos frequens podagra, apud Achæos ophthalmia, apud Ægyptios elephantiasis; tum quod experiuntur, qui peregrinantur, dum adeo perspicue agnoscunt, quanta in locis variis aeris diversitas sit.

ib. 1115. At propagari interdum hanc affectionem per aerem, ipsa pestilentiæ affectio declarat, ut illa inprimis, quæ proavorum nostrorum memoria, cum ortum habuisset in Æthiopia, ita in Lybiam, Ægyptumque, universam pene Regis Persarum ditionem excurrit, ut etiam in nostram hanc urbem, regionemque pervenerit, ipsamque plane vastaverit.

Ib. 1117. 1122. ad l. Gassend ad Laert. X, p. 1069. Fit porro ista propagatio, dum venenatus halitus corpuscula sua aeri commiscens, corpusculorum illius situm ita transponit, pervertitque, ut quicquid similium est suis, in eandem texturam conformet, ut dum ignis subiens corpusculis suis in lignum, coagmentationem ejus sic commutat, ut quicquid in illo igneorum est corpusculorum, eliciat; & ex ipsis novum, ac sui similem ignem faciat. Deinceps vero, ut ignis mobilitate sua proserpens habet, unde sese in sylvam integram propagat; ita affectio pestilens præ mobilitate corpusculorum, ex quibus contexitur, sensim prorepat, ac aerem longe, & quousq; admodum diversa affectione inhibeatur, commutet. Nimirum dicas idem fieri, ut cum nubes, ac nebula per aerem repit, & paulatim, qua graditur, immutat, conturbatque ipsum.

ib. 1118. Præterea autem, dum homines aerem spirando inducunt in corpus, sorbere illos pariter ea affectus corpuscula, quibus, quæ similia in corpore sunt, eo modo, quo de aere dictum, transponantur, pervertanturque, & contagio, vicinia, afflatu, ea transmittantur deinceps in alios, quæ parem perversionem faciant, præstentq;, ut morbus populatim denique grassetur.

Atque hactenus quidem non Meteorologia modo, sed & universa Physiologia esto; de qua quæ pauca edisseruimus, eiusmodi profecto sũt, quæ contemplando facta perspecta præstent, ut deinceps ea, quæ ipsis sunt affinia, possint perspici, Laert X, 116. & valeant simul, quæ causa sunt effectorum naturæ specialium, pernosci. Nam qui ista quidem, quam maxime studiose possunt, non prosequuntur, ii longe absunt, ut aut ipsa quatenus decet, perspiciant, aut finem, cuius gratia perspicienda sunt, consequantur.

Ac non sunt quidem unquam Laert. X, 82. mente abiicienda criteria, (neque ipsa adeo evidentia, quæ iuxta illorum unumquoque est,) quoniam si ab istis non discesserimus, id, unde oritur perturbatio, quodque motum ingerit, recta cum ratione edisseremus, nosque ab ipso eximemus; causam videlicet tenentes eorum, quæ in sublimi fiunt, ac reliquorum simul omnium, quæ passim interveniunt, summumque terrorem ceteris incutiunt.

Verum criteriis suppositis, juvat Laert. X, 116. maxime dedere seipsum speculationi principiorum, ex quibus constant omnia, & infinitatis naturæ, aliorumque his cohærentiam, ac memoria iugi conservare ea, quę de ipsis præcipua sunt, maximeque gene-

generalia effata: Quippe exinde maxime licet procul fieri a fabulis, & statum illum animi imperturbatum obtinere, qui germanus est, & ethicus scopus, in quem nos, isthæc omnia differentes collineavimus.

---

PARS PHILOSOPHIÆ III.
QUÆ EST
*Ethica, seu de Moribus.*

Laert. X. 122 add. Gassend. ad Laert. X. 122. Cum iam supersit Ethica, seu Philosophia de moribus, haut abs re dictum est initio, esse eam præcipuam philosophiæ partem habendam; quoniam illa quidem, quæ est de natura, ut illic quoque deduximus, supervacanea evaderet, nisi ad vitæ finem, qui Ethicæ est considerationis, conferret. Sane ipsa quoque prudentia, quæ ad hanc partem attinet, ideo naturali philosophiæ præcellit, quod illi imperet, ipsamque ut medium accommodet ad moralis finem.

Ibid. Quod dico interim partem hanc circa vitæ finem versari, admonet, cur nobis sit moris eam dicere, quæ est de vita, & moribus, seu de actionibus vitæ instituendis, (neque enim mores aliud sunt, quam humanæ vitæ consuetæ actiones,) itemque de fine, hoc est, de extremo, summove bonorum, quæ prosequimur; ac rursus de eligendis, & fugiendis, quatenus præscribit electionem eorum, quæ ad illum finem conducunt, & fugam eorum, quæ ab eodem avertunt.

Sen. de vit. beat. c. 1. Nam, ne longum morer, finis quidem vitæ, tacito omnium hominum consensu, felicitas est; sed cum omnes fere ab hoc fine aberrent, an non necesse est, id contingat, vel quia non eam, quam oportet, felicitatem sibi præstituunt, vel quia quibus mediis oportet, ad illam minime contendunt?

Cum videamus sane tam multos, quibus cum omnia abunde suppetant, quæ ad vitæ usus necessaria sunt, (quippe & affluunt opibus, & decorantur honoribus, & filiis probæ indolis florent, & quicquid demum videtur posse vulgo expeti, obtinent,) eveniat nihilominus, ut anxii, querulique sint, curis & sollicitudinibus scateant, percellantur terroribus, vitam, uno verbo, degant miseram: intelligi exinde licet, ignorare illos, in quo sita sit, & unde habenda felicitas vera; ac ideo esse illis pectus instar vasis, quod partim fluxum, pertusumque expleri nullatenus possit, partim liquore tetro imbutum, quidvis receptum conspurcet, ac vitiet.

Quare & operæ pretium est, beneficio hujus de fine, ac felicitate philosophiæ pectus sanare, purgareque, ut & paucis rebus explebile sit, & nulla non re iucunde fruatur. Philosophandum sed enim nobis, non ad speciem, sed serio est: quando nobis opus non est, ut sani videamur, sed ut sani simus. Philosophandum item quam primum, neque in crastinum differendum; quoniam hodie quoque beate vivere interest, & hoc mali habet stultitia, quod semper vivere incipit, destinatur incipere, & nunquam tamen interim vivit. ap. Anton. & Maxim. Serm. 114.

Mirum sane dictu! Semel nati sumus: bis nasci non licet, ac definere ætatem oportet: tu vero, o bone, cum diem crastinum in tua potestate non habeas, cras te vi- Plutarch. quod non suav. vivi possit sec. Epicur.

victurum reputans, te in horas venturas differs, ac interim hodiernum amittis? Sic omnium vita cunctando perit; exindeque est, ut locum nostrum non nemo inter occupationes moriatur. Nemo non ita exit e vita, quasi modo intraverit; ac potest ideo sensibus quoque exprobrari infantia, quod quasi alienum agentes negotium, vivere se non senserint, vitaque ipsis tota abierit sine fructu vitæ.

Adnitamur ergo ita vivere, ut nos temporis exacti non pœniteat; ac die præsente ita fruamur, quasi crastinus ad nos nihil attineat. Videlicet, ad crastinum suavissime accedit is, qui minimum egens, appetensque crastini est, & grata illi supervenit hora, cuius nimiam sibi non fecerit spem. Cum molestum sit vitam semper inchoare, presto nobis illa continuo, quasi perfecta, absolutaque, & quasi cumulo ipsius nihil desit. Stulti vita ingrata est, trepida est, tota in futurum fertur; nos vero demus operam, ut nostra sit grata, ut secura, ut non modo præsens, sed etiam, ut iam collocata in tuto.

Senec. Ep. 23.

Sane hoc est demum fugere stultitiam, evehere se in illam sapientum quasi speculam, e qua videre ceteros liceat palantes errare, & vitam nequicquam quærere in vita. Quodsi esse reputas suave, e terra nautas colluctantes cum tempestatibus spectare; aut citra tui periculum exercitus prælia miscentes contueri: nihil esse suavius omnino potest, quam e sereno sapientiæ solio desipientium turbas, contentionesque contemplari. Non sane, quod iucundum sit ceteros malis affici, sed quod iisdem malis non involui delectet.

Ceterum, ut liceat nobis pro virili, & quadantenus adiutare illos, qui pervenire ad hoc sapientiæ quasi culmen desiderant; sic ea congeremus, quæ hisce de rebus meditati hactenus sumus, ut dicamus primum de felicitate, quæ summum bonum homini est; ac deinceps de iis, quæ ipsi creandæ conservandæque conferunt, quæque aliud non sunt, quam ipsæ virtutes.

## CAP. I.

*De felicitate, seu fine bonorum, quatenus illius homo capax est.*

ET de felicitate quidem hoc solum præmitto, idcirco illam dici finem, hoc est ultimum, extremum ac summum bonorum, quod, cum ea bona dicuntur, quæ ad sui prosecutionem appetitum alliciunt; & ex ipsis bonis quædam propter se, quædam propter alia expetantur, ipsa felicitas tale bonum sit, ad quod referri omnia oporteat, ipsum autem nusquam.

Neque obstat, cum felicitas & beatitudo, seu beata vita idem sint, a nobis nihilominus beatæ vitæ finem aliquando dici; id facimus enim phrasi gentilitia, qua beatæ vitæ finem, & beatam vitam pro eodem habemus: non vero, qua significemus esse ulteriorem finem aliquem, ad quem beata vita referri censeatur.

Hoc autem præmisso, par est, duplicem abusque initio distinguere felicitatem; unam videlicet supremam, quæ intensionis, remissionisque sit incapax, alteram subalternam, in quam cadere adiectio & detractio voluptatum potest.

Laert. X. 121.

Et prior quidem concipitur quasi quidam status, quo nullus possit melior, suavior, desideratior excogitari; in quo nihil sit mali, quod timeas, nihil boni, quod non habeas; nihil, quod agere libeat, ac non liceat; qui denique constantior sit, quam ut amitti unquam possit.

Posteriorem autem habemus, ut statum, in quo, quantum licet, quam optime sit; seu in quo bonorum necessariorum quam plurimum, malorum quorumvis quam minimum adsit, atque adeo in quo traducere vitam suaviter, tranquille, permanenter detur; quantum quidem ipsa conditio regionis, societatis, generis vitæ, constitutionis corporis, ætatis, & similium circumstantiarum permiserit.

Non est vero nequicquam, quod ita distinguo, ac definio; si quidem tametsi perspicuum videatur, priorem illam esse habendam Dei propriam; non desunt tamen, qui de se, suaque sapientia magnifice sentientes, illam sibi ut polliceri, sic adrogare audeant; ac sese idcirco Deo pares dicant, modestique sint, si se uno Jove reputent minores.

At illi videntur profecto suæ mortalitatis, imbecillitatisque obliti, cum, quicunque illius sunt conscii, agnoscere facile possint, non esse homines alterius, quam posterioris capaces; ac multum præstare sapientiam, si, cum omnes homines quadantenus miseri sint, te in eo statu collocet, in quo sis minime omnium miser; aut inter varios miseriæ gradus, quibus obnoxius natus es, collocet in eo, in quo sis quam minimum miser. Quippe istud demum est, esse felicem, iis carere malis, quibus angi posses, ac iis interim bonis frui, quibus majora, ea, qua es conditione esse non possint.

Hæc certe est causa, cur censeam sapientem, tametsi carebit sensu oculorum, tametsi etiam aurium, futurum nihilominus beatæ vitæ participem, quoniam & adhuc perseverabit in quam multis licebit bonis, & iis malis privabitur, nisi corporis saltem, animi, quibus alioquin posset vexari. Laert. X. 119.

Quin etiam profiteor sapientem tametsi dire torquebitur, adhuc tamen felicem fore. Nempe non divina illa quidem, sed hac humana felicitate, quæ in sapiente semper est tanta, quanta esse maxima, pro conditione temporis, potest. Ib. ult.

Nam in tormentis quidem dolores persentit, interdum etiam ingemiscit ob illos, atque eiulat; sed interim tamen, quia facta illos patiendi necessitate, minime ipsos exasperat, seu præ impatientia, ac desperatione graviores non facit, quin potius quam maxima potest animi constantia illos mitigat, quodamodoque leviores reddit; eatenus sane beatior est, quam si illis succumberet, illorum videlicet instar, qui cruciati similibus, non pari virtute & constantia eos tolerant, neque paria habent, a sapientia, (quæ adhibet saltem vitæ innocentiam, conscientiæque securitatem,) quibus ea levent, adiumenta.

Quare neque est, quod quis cavilletur, esse ergo nobis pro eodem Phalaridis taurum, ac rosas; & sapientem proinde, dum in illo tauro perurretur, exclamaturum, quam suave est! Quam hoc non curo! Quam pro nihilo habeo! Siquidé alia sunt,

quæ sapiens malit sibi contingere, ut corporis quies ab omni incommodo libera, & animi remissio bonorum suorum contemplatione gaudentis; alia sunt, quæ, quamvis nolit accidere, cum accidant tamen & constanter perfert, & illa etiam laudat, comprobatque: quatenus habet, unde sibi de sua constantia gratuletur, ac dicere potest: uror, sed invictus. Quidni optabile sit, non quod urit me ignis, sed quod non vincit?

Atque hæc quidem, prout contingit, sapientem quoque esse obnoxium, ut morborum doloribus, sic cruciatibus tyrannorum, tametsi neque illos accersat, neque istos provocet, quantum quidem decore potest. Quod superest autem, neque ea semper, neque omnibus tempora incidunt, in quibus longe ut indolentius, ita felicius vivere liceat.

## CAP. II.

*Voluptatem, sine qua notio felicitatis nulla est, rem bonam suapte natura esse.*

CUm porro & suave, seu volupe sit, sine dolore vivere, & suave quoque, seu volupe, bonis frui, ipsisque recreari; constat quidem, felicitatem non posse sine utraque hac, aut altera saltem, suavitate, voluptateve intelligi: (nempe pro eodem voluptatem, suavitatem, jucunditatem, ceteraque id genus habeo) verum esse aliquos videas, qui magna pompa adversus ipsam voluptatem sic differant, quasi quidpiam malum sua natura sit, ac adeo ab ipsa sapientia, felicitateque alienum.

Cic. Tusc. 5. l. Quare & priusquam disquiramus, reverane felicitas in voluptate consistat, declarandum est, voluptatem esse ex natura sua quid bonum, uti & dolor oppositus quidpiam est suapte natura malum.

Sane vero, cum illud sit bonum, quod juvat, quod placet, quodque adeo amabile est, appetitumque allicit: uti & malum, illud, quod nocet, quod est ingratum, quodque idcirco sui odium, aversionemque concitat; nihil est, quod magis, quam voluptas demulceat, magis delectet, magis diligatur, expetatur magis; ut contra nihil est, quod magis, quam dolor, incommodet, displiceat, abhorreatur, refugiatur. Adeo proinde, ut voluptas non modo esse videatur bonum, sed ipsa quoque boni ratio, quatenus est id, cujus causa res aliqua bona est, seu expetitur; uti & dolor non modo malum sed ipsa etiam mali ratio, quatenus est id, cujus causa res aliqua est mala, seu refugitur.

Quippe & tametsi interdum voluptatem refugiamus, non ipsa tamen est voluptas, quam refugimus, sed quem forte habet adnexum dolorem; uti &, si dolorem aliquando prosequamur, non ipse est dolor, quem prosequimur, sed quam voluptatem forte habet adjunctam. Cic. de fin. 1. n.

Nam, ut rem dicam paulo explicatius, nemo ipsam voluptatem, quia voluptas sit, aspernatur, aut odit, aut fugit; sed quia consequuntur magni dolores eos, qui ratione voluptatem sequi nesciunt. Neque porro quisquam est, qui dolorem ipsum, quia dolor sit, amet, consectetur, adipisci velit; sed quia nonnunquam ejusmodi incidunt tempora, ut labore, & dolore magnam aliquam quærat voluptatem. Ibid.

Ut

Ibid. Ut enim ad minima veniam: quis nostrum exercitationem ullam corporis suscipit laboriosam, nisi, ut aliquid ex ea commodi consequatur? quis autem vel eum iure reprehenderit, qui in ea voluptate velit esse, quam nihil molestiæ consequatur? vel illum, qui dolorem eum fugiat; quo voluptas nulla pariatur? At vero eos & accusamus, & iusto odio dignissimos ducimus, qui blanditiis præsentium voluptatum deliniti, atque corrupti, quos dolores, quas molestias excepturi sint, occæcati cupiditate, non provident. Similique sunt in culpa, qui officia deserunt mollitia animi, id est, laborum, & dolorum fuga.

Ibid. Et harum quidem rerum facilis est, & expedita distinctio. Nam libero tempore, cum soluta nobis est eligendi optio, cumque nihil impedit, quo minus id, quod maxime placeat, facere possimus, omnis voluptas assumenda est, omnis dolor depellendus. Temporibus autem quibusdam sæpe eveniet, ut & voluptates repudiandæ sint, & molestiæ non recusandæ.

Itaque, tametsi omnem voluptatem esse quid bonum existimemus, & omnem dolorem quid malum non asserimus tamen, oportere semper aut prosequi illam, aut fugere hunc; sed esse in ipsis, sicut qualitatis, ita quantitatis habendam rationem. Nempe præstare, ut dolores sustineamus aliquos, quo voluptatibus potiamur uberioribus; ac expedire, ut abstineamus ab aliquibus voluptatibus, ne subinde dolores difficiliores perferamus.

Quo fit, ut hic sit quasi fons, ex quo de criteriis agentes, canones varios circa affectum, passionemve deduximus, habentes, puta voluptatem, & molestiam, sive dolorem pro electionis, fugæque criterio, neque id profecto iniuria. Siquidem commensuratione, & rerum juvantium, lædentiumque delectu diiudicare hæc omnia decet, quandoquidem bono interdum, ut malo, & vice versa interdum malo, tanquam bono utimur.

Ex hisce ergo, ut rem inculcem, dico, nullam voluptatem esse per se malum, sed ea, quæ nonnullas voluptates pariunt, ejusmodi esse, ut multo ampliores voluptatibus dolores inducant; addoque proinde, si voluptas omnis sic in se ipsam colligi posset, ut nullum dolorem neq; in se complecteretur, neque post se relinqueret; fore omnem ipsa sui collectione non minus perfectam, absolutamque habendam, quam sint opera naturæ præcipua, sexeque adeo, ut voluptates nullatenus inter se differrent, ac possent idcirco indiscriminatim optari.

Quin etiam, si illa quoque ipsa, quæ sunt luxuriosis efficientia voluptatum, liberarent eos rerum sublimium, & mortis, ac doloris metu; docerentque, qui essent fines cupiditatum; nihil haberem, quod reprehenderem, cum undique complerentur voluptatibus, nec haberent ulla ex parte aliquid aut dolens, aut ægrum, id est, malum.

## CAP. III.

*Felicitatem universe in voluptate consistere.*

NUnc, ut ad id, quod proposui, accedam, videtur plane felicitas in voluptate consistere; quan-

quam id comprobandum primo universe est, ac dicendum posterius, in quanam speciatim consistat.

Laert. X, 128. 129. Universe ergo videtur voluptas esse ut principium, ita & finis beatæ vitæ; quando esse eam bonum primum, & nostræ, omnisque animalis naturæ congenitum deprehendimus; ipsaque est, a qua electionem, fugamque omnem auspicamur, & in quam tandem desinimus; hoc affectu usi, tanquam regula ad bonum omne diiudicandum.

Alexander Aphrod. 2. de An. an. adde Gassend. ad Laert. X. pag. 1348. Et quod voluptas quidem sit primum, congenitumque bonum, seu, ut solent dicere, *primum aptum*, accommodatumque naturæ; ex eo demonstratur, quod omne animal, simul atque natum sit, voluptatem appetat, eaque gaudeat, ut summo bono: dolorem aspernetur, ut summum malum, & quantum possit, a se repellat (a), (& videre certe licet, ne Hercules quidem ab interula succensa depastus, sese contineat, quin lacrymetur.

a Laert. X. 137 Cicer. de fin. 1. 9.

*Clamans, fremensque, at undique resonant petræ*
*Locrorum, & Eubœa iuga altamentium.*)

Facit vero id omne animal nondum depravatum, ipsa natura incorrupte, atque integre iudicante.

Itaque nulla est ratione, neque disputatione opus, quamobrem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit; constat scilicet hoc sentiri; ut calere ignem, nivem esse albam, dulce mel; quoniam nihil oportet hæc exquisitis rationibus confirmare; satis est admonere. Etenim, quoniam detractis de homine sensibus, reliqui nihil est: necesse est, quid aut secundum naturam, aut contra sit, a natura ipsa iudicari: voluptatem etiam & per se expetendam esse, & dolorem ipsum per se esse fugiendum. Etenim quid percipit, & quid iudicat, quo aut petat, aut fugiat aliquid, præter voluptatem & dolorem?

Quod vero voluptas, ut primum natura, accommodatum est, sic etiam expetendorum extremum, sive bonorum finis sit, vel ex eo potest intelligi, quod voluptas sit sola, ob quam cetera sic expetimus, ut ipsa non ob aliud, sed suimet causa solum expetatur. Quippe possumus quidem alia expetere, ut delectemur, seu voluptate afficiamur: at nemo requisierit, propter quam causam delectari, aut affici voluptate velimus. Profecto non magis, quam propter quam causam esse felices desideremus; ut puta quod ut eodem gradu, sic pro eadem re haberi voluptas, ac felicitas debeant; atque adeo pro fine, sive ultimo ac summo bonorum, ad quod referantur quidem cetera, ipsum autem alio nusquam referatur. Eudoxus ap. Arist. Eth X. 2.

Confirmatur autem ex eo, quod felicitas non aliunde esse, ut iam premonuimus, felicitas intelligatur, quam quia est status, in quo licet quam suavissime, iucundissimeque, hoc est, quanta fieri potest maxima cum voluptate degere. Tolle enim hanc suavitatem, iucunditatem, voluptatem ex vita, ecqua, amabo, tibi notio felicitatis superferit? non illius modo, quam dixi divinam, sed etiam alterius, quam humanam haberi; quæque aliunde magis, & minus, sive intensionem, ac remissionem non suscipit, quam quia cadere in ipsam adiectio, & detractio voluptatis potest?

Ut

Cic. de Fin. l. 1. 12. Ut autem etiam possit ex comparatione voluptatis cum dolore manifestius intelligi; constituamus aliquem magnis, multis, perpetuis fruentem & animo, & corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediente, nec impendente; quem tandem hoc statu, aut præstabiliorem, aut magis expetendum possumus dicere? Inesse enim necesse est in eo, qui ita sit affectus, & firmitatem animi, nec mortem, nec dolorem timentis, quod mors sensu careat, dolor in longinquitate levis, in gravitate brevis soleat esse; ut eius magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio consoletur. Ad ea cum accedit, ut neque divinum numen horreat, nec voluptates aut bonorum præteritorum memoria, aut futurorum expectatione partas effluere patiatur, earumque assidua recordatione lætetur, quid est, quod huic possit, quod melius sit accedere?

Ibid. Statue contra aliquem confectum tantis animi, corporisque doloribus, quanti in hominem maximi cadere possunt, nulla spe proposita, fore levius aliquando, nulla præterita, nec præsenti, nec expectata voluptate; quid eo miserius dici, aut fingi potest?

Ibid. Quod si vita doloribus referta maxime fugienda est, summum profecto malum est vivere cum dolore; cui sententiæ consentaneum est, ultimum esse bonorum, cum voluptate vivere. Neque enim habet nostra mens aliud quidquam, ubi consistat, tanquam in extremo; omnesque & morbi, & ægritudines ad dolorem referuntur; nec præterea est res ulla, quæ aut sua sede naturam sollicitare possit, aut frangere.

## CAP. IV.

*Voluptatem, in qua sita felicitas est, esse indolentiam corporis; & tranquillitatem mentis.*

Laert. X. 136. Veruntamen, cum sint duo quædam, ut paulo ante est insinuatum, voluptatum genera; nam alia quidem spectari potest tanquam in statu, seu quiete, adeo ut nihil aliud sit, quam placabilitas, sedatio, & vacuitas, immunitasve a perturbatione, ac dolore; alia vero, tanquam in motu, adeo, ut consistat in suavi motione, veluti lætitia, hilaritate, & quacunque sensus iucunditate, & quodam quasi cum dulcore, & titillatione movetur, ut dum quis per famem, & sitim comedit, ac bibit; ideo quæri potest, in utraque ne, an in altera, & quanam felicitas consistat?

Ib. 127. Dicimus ergo, voluptatem, in qua consistit felicitas, sive finis beatæ vitæ, esse voluptatem priorem, hoc est, stabilem, seu in statu, atque idcirco non aliam, quam indolentiam corporis, & tranquillitatem mentis.

Ib. 128. Quocirca &, cum universe voluptatem beatæ vitæ esse finem dicimus, longe profecto absumus, ut eas voluptates, quæ sunt virorum luxu diffluentium, aut aliorum etiam, quatenus spectantur in ipsa motione, actioneve fruendi; qua nimirum sensus iucunde, dulciterque afficitur, intelligamus; veluti quidam rem ignorantes, aut a nobis dissentientes, aut alioquin adversum nos male affecti, interpretantur; sed illud duntaxat, ut res iterum dicatur, intelligimus: non dolere corpore, ac animo non perturbari.

n. 132. Siquidem non compotationes, comessationesque perpetuæ, non ipsa cum pueris, mulieribusque consuetudo, non piscium deliciæ, aut quæcumque aliæ mensæ lautioris cupediæ iucundam vitam pariunt; sed quæ cum sobrietate, sere-noque adeo animo est ratio, causas, cur quidque eligendum, fugiendumque sit, investigans, ac opiniones abigens, ob quas plurima mentes occupat perturbatio.

Ut noscatur vero, quamobrem hæc sola voluptas sit finis; observari debet, naturam ad voluptatem aliam primario, & tanquam ad finem non tendere, quam ad stabilem; quæ ex amotione doloris, molestiæque consequitur. Nam mobilem quidem non habet ut finem, sed apparat solum tanquam medium ad stabilem, nimirum, ut sit quasi condimentum operationis illius, quæ ad eximendum dolorem, molestiamve est necessaria. Sic enim, cum fa-

Cicer. de fin. l. II. mes, & sitis, v. c., res sit molesta, animalque incommodet; primarius finis naturæ est, ut in eo statu animal constituat, in quo sit ab hac molestia immune: & quia id, nisi comedendo, bibendoque non potest fieri, ideo suavitate ipsam comedendi, bibendique actionem condit, ut animal tanto liberius sese ad comedendum, bibendumque accingat.

Ac vulgo quidem homines præpostere agentes, nimirum inconsiderate, intemperanterque abrepti, voluptatem, quæ est in motu tanquam finem sibi præstituunt; verum advocata in subsidium sapientia voluptates in ordinem & concinnitatem redigit, docetque, non aliam pro beatæ vitæ fine constituendam, quam quæ finis sit secundum naturam, quæque non alia profecto sit ab ea, quam prædiximus. Etenim duce ipsa natura, quicquid agimus, eo spectat, ut neque corpore doleamus, neque animo perturbemur; ac ubi id semel assecuti sumus, omnis animi procella sedatur, ac nihil maius est, ad quod respectemus, quasi requiratur quidpiam aliud, quo ipsum tam animi, quam corporis bonum compleatur. Tunc enim voluptate egemus, cum ex ipsius absentia excitatur in nobis dolor; at cum non dolemus, tunc nulla in nobis voluptatis indigentia est.

Ex quo fit proinde, ut magnitu- ibid.
dinis voluptatum terminus, seu voluptas summa, ipsa sit doloris amotio, seu, qui amotionem consequatur, status. Nam ubicunque voluptas adest, quam diu quidem adest, ibi nihil est dolens, aut ægrum, aut utrumque simul. Fit etiam proinde ut privatione doloris terminata voluptas summa, variari quidem, distinguique possit, augeri autem, amplificarique non possit. Natura enim, quousque omnem prorsus dolorem exemerit, voluptatem auget; at sublato omni dolore, non patitur ipsam secundum magnitudinem provehi, sed admittit solum varietates quasdam minime necessarias; utpote quæ ad id, ne doleamus non comparentur.

Quin etiam hinc fit, ut abs re in- Cic. de fin. l. II.
sultent, qui causantur nos, non habere illud, omni dolore carere, ut aliquid dolorem inter, & voluptatem medium, sed ipsum cum altero membro sic confundere, ut non solum pro voluptate, sed etiam pro summa voluptate habeatur. Nam

quo-

quoniam scilicet privamur dolore ipsa liberatione & vacuitate omnis molestiae gaudemus; omne autem id, quo gaudemus, voluptas est, ut omne id, quo offendimur, dolor; doloris omnis privatio recte nominata est voluptas. Ut enim, cum cibo, & potione fames, sitisque depulsa est, ipsa detractio molestiae consecutionem affert voluptatis; sic in omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis.

Ibi.17. Unde & potest quoque discrimen ostendi, cum urgent, non esse, cur status ille medius voluptas potius, quam dolor dicatur. Quippe detracta voluptate, non statim consequitur aegritudo, nisi in voluptatis locum dolor forte successerit; at contra gaudemus omittendis doloribus, etiamsi voluptas ea, quae sensum moveat, nulla successerit; eoque intelligi potest, quanta voluptas, non dolere, sit; & nisi quis capiat, eos interroget, qui morborum doloribus acerbissimis infestantur.

Laert. 11, 89. Quod vero etiam sunt, qui rident obiiciuntque, esse voluptatem hanc constitutionem quasi dormientis, ac nos inertiae insimulant; idcirco faciunt, quia non advertunt, constitutionem huiusmodi non esse nobis merum torporem, sed potius eiusmodi statum, in quo omnes vitae actiones placide simul, atque iucunde peragantur. Nam nolumus quidem, sapientis vitam esse quasi torrentem, rapidumve flumen, at non idcirco tamen esse volumus, quasi aquam restagnantem, & mortuam, sed potius quasi aquam fluvii tacite, placideque labentis. Quare & contendimus eius voluptatem esse non inertem, sed eam, quam ratio efficit firmam sibi.

Verum hosce ut omittam, & ad id, quod caput est, redeam, in idemque insistam, duo apud nos bona sunt, ex quibus illud summum, beatumque componitur, ut animus sine perturbatione, ut corpus sine dolore sit; atque ita quidem, ut haec bona, ubi omni molestia detracta, plena fuerint, minime crescant. Quo enim crescat, quod plenum sit? Si corpus omni dolore careret, quid accedere ad hanc indolentiam potest? Si animus constat sibi, placidusque est, quid accedere ad hanc tranquillitatem potest? Quemadmodum serenitas cęli non recipit maiorem adhuc claritatem, in sincerissimum nitorem repurgata; sic hominis corpus, animumque curantis, & bonum suum ex utroque nectentis, perfectus est status, & summam voti sui invenit, si nec aestus animo est, nec dolor corpori. Si qua extra blandimenta contingunt, non augent summum bonum, sed ut ita dicam, condiunt, & oblectant; absolutum enim illud humanae naturae bonum, corporis & animi pace contentum est.

## CAP. V.

*De iis, quae hanc felicitatem, seu voluptatem pariunt, ut cumprimis virtutes sunt.*

JAm, cum ista corporis, animique pax, hoc est, tranquillitas in hoc, in illo indolentia, completa hominis felicitas sit, nihil nostra magis interest quam ea, quae ipsam facere, tuerique possunt, meditari, quandoquidem, dum illa adest, quod non habeamus, nihil est, dum abest, nihil non agimus, ut consequi

sequi ipsam possimus, & tamen, ut dictum jam est, plerumque non consequimur.

Itaque videtur inprimis non secus de felicitate, quam de sanitate philosophandum esse; siquidem constat, illum statum, in quo animus sine perturbatione, corpus sine dolore est, nihil esse aliud, quam perfectam totius hominis sanitatem. Quo fit, ut intelligi liceat, quemadmodum in corpore, sic in animo quoque ipso, ea, quæ sanitatem creant, & conservant, ipsa eadem esse, quæ obstant, ne morbi adveniant, aut si advenerint, curant, expelluntque.

Laert. X. 118. Cum vero adversus corporis morbos comparata sit medicinæ ars; quæ remedia iis præcavendis, propulsandisque adhibet; ideo non multum circa illos superest nobis operæ, sed duo quædam monita esse posse satis videntur.

Unum, ut quo averti possint, aut leviores fieri, & plerumque curari, colatur temperantia, vitaque sit sobria, atque continens, quod morborum seges non aliunde soleat, quam ex opposito vitio proficisci.

Alterum, ut cum eos patiendi incubuerit necessitas, fortitudo occurrat, & tum perferantur animo constanti, tum præ impatientia non exasperentur, ac vel illud solatio sit; quod futuri sint, aut magni, breves; aut diuturni, leves.

Id. ib. ! 131. Adversus animi autem morbos comparata quidem Philosophia est, unde & illam animi quasi medicinam merito habemus: verum ea non perinde ab iis, qui animo laborant, consulitur, aut adhibetur. Id nempe, quia corporis morbos ipso animo judicamus, morbos vero animi neque sentimus corpore, neque animo aut agnoscimus, aut judicamus, ut par est, quoniam ipsummet, quo judicandum sit, ægrotet. Unde & intelligi potest, esse revera animi morbos perniciosiores, quam corporis, ut inter morbos corporis, illi omnium gravissimi, & periculosissimi sunt; qui sui sensum adimunt, sicuti veternus, aut febris ardentior.

Quin etiam esse animi morbos deteriores, quam corporis, eadem declarat ratio, qua voluptates animi sunt voluptatibus corporis potiores. Videlicet, quod corpore nihil nisi præsens, & quod adest, animo autem & præterita, & futura sentiamus. Ut enim æque doleamus animo, cum corpore dolemus, fieri tamen permagna accessio potest, si, v. c. aliquod æternum, & infinitum impendere malum nobis opinemur; quod idem licet transferre in voluptatem, ut ea major sit, si nihil tale metuamus, cum & illud perspicuum sit, maximam animi aut voluptatem, aut molestiam, plus aut ad beatam, aut ad miseram vitam afferre momenti, quam eorum utrumvis, si æque diu sit in corpore.

Quoniam vero duo quidam sunt capitales animi morbi, cupiditas nempe, ac metus, cum propaginibus variis, cumque adjuncta ubique ægritudine, seu molestia, eo modo, quo corporis morbi cum adjuncto dolore sunt: idea

Ideo Philosophiae est munus adhibere remedia, quae ipsos, ne animum invadant, prohibeant; aut, si invaserint, tanquam e praesidio dejiciant. Tales sunt potissimum cupiditates immensae opum, honorum, aliarum rerum, & metus a Diis, a morte, & alii, quibus late grassantibus, nulla unquam pars animi relinquitur sana.

Laert. X. 132. Remedia porro, quae Philosophia adhibet, ipsae sunt virtutes, quae a ratione, seu prudentia generaliore profectae, hujusmodi affectus arcent, & expellunt. Dico autem rationem, seu generaliorem prudentiam, quoniam cum sit quaedam prudentia specialior, actionibus vitae singularibus dirigendis inserviens, agnoscitur tamen altera generalior, quae nihil aliud sit, quam ipsamet ratio, ipsumve rationis dictamen, ac idem plerisque habeatur cum ipsa sapientia; cum aliunde virtus nihil aliud sit, quam perfecta quaedam dispositio animi, quam ratio, seu prudentia creet, ac animi morbis seu vitiis opponat.

## CAP. VI.

*De recta ratione, ac libero arbitrio, a quo laus omnis virtutum est.*

Adde Gassend. ad L. X. Laert. p. 1593. HInc, cum deinceps de virtute, ejusque speciebus videatur dicendum, praemittendum est quidpiam de ipsa ratione, ac simul de eo, quod in ea est, libero arbitrio, cum exinde sit universa, quae virtuti competit, laus, uti est & oppositum, quod vitio debetur, probrum, ac vituperium.

Itaque cum ratio generatim nihil aliud sit, quam facultas ratiocinandi, seu judicandi, ac unam rem inferendi ex alia, tum illam speciatim hic accipimus, quae in rebus agendis, seu in electionem, fugamque cadentibus, judicat, ac infert, seu ratiocinatur.

Cum possit autem judicium, sive ratiocinium recte, perverseque institui, illa quidem ratio, cujus pravum est judicium, non est proprie ratio, nosque illam potius opinionem dicimus: attamen, ob frequentem usum, dicatur quoque, si lubeat, ratio, dummodo prava intelligatur; uti & recta ratio dici potest opinio, modo intelligatur ea, quae sana sit.

Ac ipsam quidem rationem rectam cum naturae bonitas facit, tum rerum peritia, sive experientia, ac observatio sedula, ex qua efficitur, ut quasi habitis firmis, correctisque principiis, ratiocinatio solida sit, & jure ad illius provocetur judicium, qui expertus est, ac prudens rerum; sed & huc faciunt, quae de criteriis in canonica disputata sunt, quaeque recensere nihil est jam opus.

Interim porro cum dico, res in electionem, fugamque cadentes, suppono esse quoque in nobis liberum rationis arbitrium, hoc est, facultatem eligendi, & prosequendi id, quod esse ipsa ratio bonum judicarit; respuendi vero, ac refugiendi, quod eadem judicarit malum.

Esse autem id reipsa in nobis, experientia probat, & communis sensus, quo constat nihil esse laude, vel vituperio dignum, nisi quod libere, voluntarie, judicato, ex ele-

ctione fit; ac idcirco pendet ab eo, quod est in nobis, quodque ab omni dominatu liberum, immuneque est; ac ejusmodi, ut propterea præmia, suppliciaque iure legibus constituantur: cum fieri nihil posset iniquius, si hominum actiones essent concludendæ rigidæ illi necessitati, quam ex fato ortam aliqui, ut omnium dominam, introducunt, aliudum quicquid accidit, aut fit, id ex æterna veritate, causarumque continuatione fluxisse declarant.

Satius longe profecto est, fabulosæ, hoc est, vulgari de Diis opinioni addici, quam Physicorum fato servire, imponentium ipsum cervicibus nostris ut sempiternum dominum, quem dies, noctesque timeamus. Quippe illa opinio, ob reverentiam, quæ Diis habetur ut exorentur, facit spem: hoc vero habet necessitatem inexorabilem adjunctam.

Ac verum est quidem, in rebus ratione carentibus fieri aliqua necessario, (quanquam non ea necessitate, quæ impediri non valeat, uti & in canonicis, & tum, cum de causis ageremus, attigimus,) at in homine ratione utente, & quatenus quidem illa utitur, necessitas prorsus est nulla; ac nos ideo conati fuimus declinationem motuum asserere atomis, ut deduceremus, qui posset fortuna humanis rebus intervenire, ac illud, quod in nobis est, sive liberum arbitrium, minime periret.

Nempe congruum omnino est, ut nos in omnem partem versemus, & contendamus ingenium; in id incumbendo, ut quomodcunque ademtum a motione sempiterna liberum tueamur arbitrium, ac pravitatem evadere inculpabilem non patiamur.

Quod de fortuna autem dico, non eo sane facit, ut ipsi tribuamus divinitatem aliquam, non modo instar vulgi, sed illorum etiam, qui illam habentes ut causam quampiam instabilem, non existimant quidem porrigere ipsam quasi manu hominibus boni, aut mali aliquid, quod ad beatam vitam faciat, sed putans tamen illam bonorum, malorumque insignium occasiones suppeditare: non eo, inquam facit; sed ut agnoscamus, sicut necessitate, & consilio, sic etiam fortuna multa fieri, ac idcirco sapientis esse, ut se comparet adversus fortunam.

Porro, cum quidquid bonitatis, aut malitiæ est in humanis actionibus, non aliunde pendeat, quam ex eo, quod quis sciens, & volens, seu liber facit; ideo animus est assuefaciendus, ut & sane sciat, hoc est, ratione recta utatur, & sane velit, hoc est, ut liberum arbitrium ad id, quod vere est bonum, flectat, ab eo, quod vere est malum, deflectat; siquidem talis assuetudo eam dispositionem in animo gignit, quam esse virtutem definivimus, uti opposita gignit eam, quam proinde licet definire vitium.

Taceo autem illud esse vere bonum, quod voluptatem, ut sinceram, ita sine ulla unquam futura molestia, ac pœnitentia creat; illud vere malum, quod sincerum dolorem, & sine ulla unquam futura voluptate, & allubescentia parit: Verum autem utrumque dico, ad ejus discrimen, quod nisi apparens fucatumque non est, cujusmodi quidem est bonum, quod voluptatem

ptatem

ptatem præsentem creans, insecuturam nihilominus molestiam, ac pœnitentiam habet: malum vero, quod dolorem molestiamve præsentem pariens, voluptatem habet allubescentiamque futuram; ut intelligitur ex iis, quæ deducta iam ante sunt.

## C A P. VII.

*De virtutibus ipsis generatim.*

CEterum, cum sit omnis virtus aut ipsa prudentia, rationisve rectæ dictamen, prout ipsi assuescimus, aut ab ipsa prudentia, rectæve rationis dictamine regatur, ac pendeat; constat ad hoc posterius genus spectare tum illam, qua quis est erga se affectus; tum illam, qua erga alterum; cum prudentia aliunde ea sit, qua quis ad regendum comparatus est, non modo seipsum, verum etiam alios.

Gassend. in L.X Laert. p.1412. seq.

Et quæ virtus quidem est ad alterum ea dici iustitia generatim solet; at ea, qua quis erga seipsum affectus est, duplex vulgo distinguitur, temperantia, & fortitudo. Moris est nobis, ut utramque honestatis nomine complectamur, uti dum agere ex virtute, nihil esse aliud, quam prudenter, honeste, iuste agere dicimus; videlicet quatenus iis, qui sobrie, continenterque vivunt, vivere honeste seu decore dicuntur; & qui gerunt se fortiter, gerere se honeste, seu decore censentur.

Quare & nos quoque, ut ceteri solent, quadruplicem distinguimus virtutem, ut puta prudentiam temperantiam, fortitudinem, & iustitiam; sed ita nihilominus, ut prudentiam non tam ulli opponamus affectui, quam incogitantiæ, ignorantiæ, stultitiæ, (nisi tamen ex accidenti, quatenus perturbatio rationem veluti obcæcat; facitque, ut homo imprudenter agat,) & iustitiam similiter, non tam affectui, quam malitiæ, qua quis in fraudes pronus est, (nisi etiam ex accidenti quatenus ira, odium, avaritia, aut passio alia facit, ut iniuste agatur,) temperantiam autem opponamus alteri memoratorum paulo ante affectuum, videlicet cupiditati, & fortitudinem alteri; videlicet metui.

Patet proinde, quod ante dixi, rationem esse sobriam, recteve institutam, quæ vitam iucundam, seu beatam pariat, eo spectare, ut intelligamus, præstare id illam beneficio virtutum, quas ingenerat ac tuetur. Et, quod adieci, illam investigare causas, cur quidque eligendum, fugiendumve sit, ac abigere opiniones, ob quas plurima mentes occupat perturbatio; eo attinere, ut intelligamus, esse eam idem cum generaliore prudentia, quæ est omnium eligendorum, fugiendorumque principium, ac ideo bonum maximum, quod ab ea exortæ virtutes perturbationes sedent, edocentes, vivi iucunde non posse, nisi prudenter, honeste, iusteque vivatur, ut neque prudenter, honeste, ac iuste, quin vivatur simul iucunde.

Effici autem ex hoc vides quamobrem censeam, esse virtutes beatæ vitæ congenitas, ac fieri non posse ut ab iis vita iucunda separetur. Nempe cetera quidem omnia, ut caduca, atque mortalia, sunt a germana, constantique voluptate separabilia: sola autem virtus, ut bonum perpetuum, atque immortale inseparabilis ab ea est.

Simul vero ex his intelligitur, esse omnes virtutes inter se connexas

nexas, & ex capite quidem duplici; uno, quia cum ipsa principe prudentia ceteræ omnes conjunctæ sunt, ut cum capite membra cetera, aut cum fonte rivi ex ipso manantes; altero, quia & tam prudentia, quam ceteræ cum jucunda vita cohærent, & neque, nisi adsint virtutes, esse jucunda vita potest; neque adesse virtutes possunt, quin vita simul jucunda sit.

Neque porro, tametsi omnes inter se nexæ virtutes sint, ideo pares inter se sunt, sicut aliqui autumant, qui & paria esse inter se vitia omnia, peccataque defendunt. Nam & potest quis esse ad justitiam, quam ad temperantiam, comparatior; & potest in uno esse, quam in alio, temperantia perfectior; nam, (quod citra quidem invidiam sit dictum,) ipse, v. c. qui diutius jam in eo sum, ut in sobrietate proficiam, non toto asse pascor; Metrodorus, qui nondum tantum profecerit, toto. Constat & inter homines esse alium alio sapientiorem; & ex iis, qui recte & ex virtute agunt, non paria decerni præmia omnibus, uti neque peccantibus paria decernuntur supplicia. Nempe, quod iis sensus, moresque repugnent, qui paria omnia faciunt, & peccare æque contendunt eum, qui parentem, & eum, qui servum verberet injuria; cum & sint, apud quos nihil distet, fabam comedas, an parentis caput.

Gassend. loc. cit. p. 1685. Sed, hosce ut mittam, illi alii sunt, qui, quod virtutes ad voluptatem, seu felicitatem comparatas esse dicamus, insimulant, ac debacchantur, quasi intelligamus eam, quæ obscœna, infamisque voluptas sit. Verum illi sinendi sunt, ut lubuerit, deblaterare: Nam & quod virtutem summum bonum faciunt, facimus & nos, si modo de mediis ad beate vivendum conducentibus sermo sit; Neque enim aliud est ullum, quod, quantum ipsa virtus, possit, ipsaque adeo præstantius sit, (scilicet non opes, non amici, non liberi, &c.) At, si de ipso beate vivendo, seu felicitate sit sermo; quidni sit hoc bonum virtute superius; cum finis sit, cui obtinendo ipsa virtus inserviat?

Inclamant aliunde, quod virtutem enervem faciamus, dum tantum ipsi virium non tribuimus, ut sapientem omni passione, affectuve carentem reddat; sed patiatur illum aliquibus tangi, ut quod v. c. in amicorum morte mœreat, lacrymetur, gemitus, ac suspiria ducat. Verum, cum magni jure faciamus, quod possit nos virtus & a vanis terroribus, & a cupiditatibus inanibus eximere, quando ista capita sunt graviorum omnium perturbationum; non parvi quoque ducimus, si ad ceteros affectus quod spectat, illos ad ejuscemodi mediocritatem redigat, in qua remaneat aliquis humanitatis veluti sensus.

Illa certe omnimoda, quam jactare solent, mœroris detractio, a majore alio malo proficiscitur, immanitate scilicet, ac immoderata vanæ gloriæ ambitione, & quasi rabie; adeo, ut videatur longe præstabilius, passionem quampiam experiri, mœrore quopiam affici, oculos non pati turgere,

gere, sed in lacrymas fluere: & quæ ii patiuntur, aut fingunt, qui affectu tenero esse, amantesque videri volunt, quam ex horum decreto sapere, & ringi.

### CAP. VIII.

*De prudentia universe.*

Gassend. ad Laert. X. pag. 1429.

VErum, ut aliquid speciatim de virtutibus singulis dicamus; ducendum initium à prudentia est, cujus cum sit munus vitam regere, & quicquid in vita contingere potest, sic prospicere, ut ad beatam vitam illud dirigat: videri potest una omnium virtutum munera complecti.

Et quod prudentia quidem comparetur ad hoc, ut, quæ in vita accidunt omnia, sive omnes vitæ actiones ad beatam vitam, seu felicitatem, voluptatemve expositam componat; nimisquam manifestum est. Ut enim Medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonæ valetudinis causa probamus, & gubernatoris ars, quia bene navigandi rationem habet, utilitate, non arte laudatur, sic prudentia, quæ omnino ars vivendi putanda est, non expeteretur, si nihil efficeret in vita.

Nunc autem expetitur, quod est tanquam artifex conquirendæ & comparandæ ejuscemodi voluptatis.

Prudentia enim, (seu forte mavis sapientiam dicere) est una, quæ non modo præcaveat, ne quid incidat, unde corpus doleat, sed quæ etiam potissimum mœstitiam pellat ex animis, quæ nos exhorrescere metu non sinat, qua preceptrice in tranquillitate vivi potest, omnium cupiditatum ardore restincto. Cupiditates enim sunt insatiabiles, quæ non modo singulos homines, sed universas familias evertunt, totam etiam labefactant sæpe rempubl. Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiæ, seditiones, bella nascuntur; nec hæ sese foris solum jactant, nec tantum in alios cæco impetu incurrunt; sed intus etiam in animis inclusæ inter se dissident, atque discordant. Ex quo vitam amarissimam necesse est effici; ut prudens, sive sapiens solus amputata, circumcisaque inanitate omni, & errore, naturæ finibus contentus; sine ægritudine possit, & sine metu vivere.

Quod si vitam omnem videmus perturbari errore, & inscitia; prudentiamque esse solam, quæ nos à libidinum impetu, & formidinum terrore vindicet, & ipsius fortunæ modice ferre doceat injurias, & omnes doceat vias, quæ ad quietem & tranquillitatem ferant. Quid est, cur dubitemus dicere, & prudentiam propter voluptatem expetendam esse, & imprudentiam propter molestias esse fugiendam?

Quod dico autem, virum prudentem ferre modice fortunæ injurias; ideo est, quod nisi speciatim, at generatim saltem eas habet provisas, neque, si quidpiam præter spem, præterque suscepta consilia contingat, idcirco se cruciat, quod norit, non esse humanæ solertiæ, sagacitatis, facultatis, aut providere, aut impedire, ne quidquam adversi, molestique eveniat. Imo satius ducit, ratione bene instituta, (quantum videlicet huma-

na

na imbecillitas patitur, ) infortunatum fieri, quam male inita, fortunatum; ac nihil esse præclarius, quam si quidpiam fortuna pulcre, feliciterque dirigat, sed se id ipsi non sine judicio, deliberationeque commissum.

Quanquam & ita se gerit sapiens, ut cupiditates inanes rescindens, ad necessaria se contrahat, quæ tam pauca, parvaque sunt, ut ea vix ulla eripere fortunæ iniquitas possit, adeo proinde, ut cum nulla vel plane exigua fortuna intervenire sapienti possit, is videatur illi posse dicere: occupavi te, fortuna, atque cepi, omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses.

Veruntamen de rescindenda cupiditate inferius: nunc cum spectari prudentia possit, quatenus aut seipsam regit, aut domum, seu familiam, aut civitatem, seu rempublicam, sicque aut privata, aut domestica, aut civilis distinguitur; agendum de singulis pauca.

## CAP. IX.

### *De prudentia privata.*

vide Gassend. ad Laert. X, p. 1446.

ET de privata quidem, unum fere est caput, ut quisque genium suum norit, & nihil natura repugnante adorsus, mature provideat de statu, in quo jam vitam exacturus sit, & cui omnes vitæ actiones sic accommodet, ut quam fieri posset indolentissime, atque tranquillissime vivat.

Oportet enim sibi finem, sive vitæ scopum ratum, constantemque præfixum habere; & ratione quidem bene inita, secundum omnem evidentiam, qua solemus expendere, si quid opinamur, aut statuimus, omnia quippe, nisi id fiat, indiscretæ temeritatis, confusionisque plena evadent, ac suscepti, institutive subibit sera pœnitentia.

Quin etiam, nisi occurrente quavis occasione unamquamque actionum tuarum, ut ad hujuscemodi scopum, sic ad ipsum naturæ finem, quem tibi in illo constituendo proposueris, referas, sed ad aliud quidpiam sive prosequendo, sive refugiendo deflectas; non erunt tibi vitæ actiones propriis sermonibus consentaneæ, sed tranquillitatem, exempli gratia, verbis extollens, negotiosum reipsa te, turbationique obnoxium prodes.

Is porro præscriptos a natura fines in vitæ ratione ineunda perspexit, cui perspectum est, quam parabile sit, facileque occurrat, quod necessarium ad vitam sit, seu, quod ad detrahendum, quicquid ob indigentiam in corpore dolet, sufficiat. Exinde, videlicet novit ita præclare seriem vitæ totius constituere, ut nullatenus rebus, ac negotiis contentionis, ac adeo aleæ, periculique plenis indigeat.

Ex hoc proinde fit, cur sapiens paupertatem non valde timeat, quando tam rarum est, ut ea, quæ necessaria sunt, cuiquam desint. Quod si forte ea quoque desint, ac pecunia ad ipsa comparanda indigeat, non idcirco tamen vitam sic instituet, ut Cynicorum more mendicet, sed aliquos potius ad sapientiam ita

erudiendos suscipiet, ut & rem agat, sapientia dignam, & sibi interim necessaria ab iis, quibus rerum sit abunde, provideat.

Quatenus tamen, & quousque aut istud, aut aliud ipsi assine præstandum sit, ubi necessaria deficiunt, (ac id agitur, ut quæsita animi fiducia, ea, quæ in diem accidunt, generose excipiamus,) adhibenda est ipsamet sapientia, Philosophiave in subsidium: malo scilicet consultori earum rerum arbitrium, quę nostra intersunt, permittimus; si, quod naturæ est necessarium, sine Philosophia & metimur, & apparamus.

Quare oportet philosophantem huiuscemodi rebus providere, & usque dum quidem adhibita ipsis cura diligens eas suppeditarit. Quamdiu autem quidpiam ex ipsis sine quo perfecta constet fiducia, potest detrahi, non accingere se opibus, alimentisque comparandis.

Philosophia igitur ante, harum rerum studium suscipiendum est; ac fiet brevi, ut agnoscatur, quæ virtus, & quanta boni sit, id solum in ipsis, quod sit minimum, simplex, leveque requirere, quoniam, quod in vita suavissimum, & a molestia alienum est, id ex minimo, quo quis sit contentus, dependet. Quæ vero secum impedimenta sollicita rerum comparatio trahit, cum agnoscantur ex gravitate, laboreve corporis, aut ex ipsa rerum comparandarum difficultate, aut ex abductione a speculationum longe præstantissimarum studio, (quod continens esse operæ pretium fuerit,) aut quapiam alia demum ex causa; ea sane evadit protinus infrugifera, neque digna, quæ cum perturbationibus consequentibus commutetur.

Quod præmonui autem, ut quisque genium suum norit, seseve ipsum consulat, ut sui ipsius destinationem, quatenus se ad aliquid idoneum compererit, faciat, idcirco feci, quod alioquin nihil esse possit ærumnosius & a tranquillitate alienius, quam illud vitæ genus sequi, ad quod te ineptum finxerit natura.

Quo fit, ut neque viro desidioso vita actuosa sequenda sit, neque actuoso desidiosa. Quippe ut illi otium quies, actio labor est; sic isti otium labor, actio vero quies. Sic timido, ac leni defugienda militia est, audaci atque impatienti umbratica vita. Siquidem neque ille in bello, neque iste in umbra potest tranquille degere; quod idem potest facile intelligi in ceteris: adeo proinde, ut nihil sit tutius, quam illud solum aggredi, quod exequi non adversante repugnanteque natura possis.

Unum addo, ut quantum licet, is status, qui deligitur, quo securior sit, & tranquillior, deligatur mediocris, seu qui neque valde emineat, neque valde abiectus sit. Quoniam versari in civitate, neque ut leonem neque ut culicem oportet, ne aut huius instar, facile exteraris, aut instar illius insidiis capteris.

## CAP. X.

### *De prudentia domestica.*

AD domesticam prudentiam, quod spectat, cum ea esse posse videatur, aut coniugalis, aut paterna, aut herilis & possessoria, licet circa priorem quidem ad id solum attendere, quod elicitur ex iis, quæ sunt mox de genere vitæ instituendo dicta. addo, Gassend. ad Laert. X, 1453.

Videlicet, si ita quidem comparatum te noveris, ut vivere cælebs sine angore non possis; ut possis patienter morosam uxorem, male moratos liberos ferre; ut valeas non admodum angi, ubi videris liberos eiulantes, morbo laborantes, tibi præmorientes; ut non sollicitudinibus variis distineri, distorquerique, quo omnia necessaria ad coniugalem statum provideas, quo nocumenta omnia avertas, atque id genus cetera; eo casu & ducere uxorem, & suscipere liberos, quibus prudentia coniugali, & paterna consulas, licet. At nisi talem te noveris, vides, si ducas, si suscipias, quantum tibi ad beatam vitam, hoc est, germanam tranquillitatem, sis facturus impedimenti.

Ac præsumere quidem potes & uxorem morigeram, & bene natos liberos, & curas non multas, nec magnas; veruntamen præsumes solum, neque esse quis Deus tibi vadem dabit, rem ita eventuram, ut præsumseris. Quare cum sit saltem res admodum anceps, alienum a sapientia est, ultro subire aleam, ac eo se conicere, unde, si deinceps pœniteat, revocare pedem non possis.

Dico tamen, ultro, quoniam potest aliqua vitæ circumstantia exigere, ut, invitus licet, nuptias adeas, liberosque suscipias, veluti, si eo loco sis, ut tibi sit patriæ commodis serviendum. Nam, quod nonnulli quidem prætexunt propagationem generis, cui veluti addicti simus; periculum sane non est, ne desint, qui & nuptias colant, & procreandis liberis vacent, ut invidendum proinde sit, si sapientes aliqui pauci ab hoc munere præstando abstineant.

Quod si quispiam casus, aut certum consilium, necessitasve aliqua te ad nuptias adegerit, tum & uxor est eo loco habenda, ut tui amantem, partisque curarum suscipientem reddas; tum liberi ita curandi, ut partim natura præscribit, quæ ad hoc nos instigat, ut, simul atque nati sunt, illos deperamus, sollicitique de iis simus (quod ovibus etiam ac lupis, aliisque animalibus est commune;) partim ipsa sapientia, quæ ita instituendos monet, ut & patriis legibus obsequentes sint, & ipsimet fieri sapientes exoptent.

Neque vero hæc cura modo pro liberis propriis suscipienda est, sed pro liberis etiam amicorum, ac si pupilli præsertim sint; cum nihil esse possit amicitia dignius, quam se tutorem gerere, ac parentis loco erga illos habere, quos amicus præmoriens & summe amaverit, & ut orphanos, ita præsidio indigentes reliquerit.

Circa posteriorem, & quatenus quidem subsunt servi, ac famuli, qui ipsi sunt necessaria quidem, sed parum plerumque iucunda possessio, ita debet sapiens dare operam, ne insolescant, ac morosi fiant, ut mansuete se, quantum fuerit fas, erga illos gerat; & discolos quidem pene invitus castiget, memor scilicet, esse homines; facile autem indulgeat, veniamque condonet, ac si qui præsertim indolis non malæ, diligentesque extiterint. Et neque id modo, sed etiam, ubi aliquos natos ad sapientiam compererit, quales apud nos non defuere, ac ipse præ ceteris Mus, illos & promoveat, & amicos vocet, & philosophari secum suave ducat.

Qua-

Quatenus autem familiaris rei subest, illius curam ita habebit, sicque in futurum prospiciet, ut id tamen citra avaritiam, ditescendique cupiditatem fiat. Sed de hac quidem cupiditate postea. Interim vero non debet sapiens rem familiarem negligere: quia id ex usu vitae est; ne, si pessum nempe res eat; ac deinceps, quae sunt ad vitam necessaria, non suppetant; philosophando obex fiat, dum aut laboriose requirenda erunt, quae poterant nullo, exiguove negotio servari; aut mendicandum, petendumque importune ex alio, quod quis potuerat ex seipso facili studio obtinere; aut senescendum, aegrotandum, moriendumque in egestate, quae tranquillitati animi non parum officiat.

Ac praeter illa quidem, quae sunt vitae usibus necessaria, esse quaedam possunt, quae pro conditione personae, loci, temporis habenda necessaria sint; ac ideo non habenda negligi; at esse praesertim eorum cura debet, quorum ad tollendam indigentiam naturalem necessitas est, quibusve negatis natura ipsa dolet. Talis est frugis provisae copia; ipsique eos magis commendamus, qui frumentum domum, quam qui supellectilem pretiosam important. Delectat nos certe maximopere, quod cum nuper gravi obsidione urgente, tam multi fame in hac nostra civitate perierint; ipsi tamen potuerimus tot; ac tam bonos familiares, amicosque nobis conviventes servare; non congestis lautis edulis, sed provisa fabarum copia, ex qua ad certum numerum licuit singulis diatim impertiri.

## CAP. XI.

### *De prudentia civili.*

QUod attinet demum ad civilem prudentiam, id repetendum haud secus est, quod circa ipsum genus vitae eligendum est in specie notatum. (adde Gassend. ad Laert X. p. 1463.)

Nempe, si qui sint natura ambitiosi, appetentesque gloriae, actuosi alioquin, & publicis rebus gerendis idonei, ac insuper ii, quibus aut nascendi conditio, aut fors, aut occasio januam facilem ad publicae rei administrationem aperiat; possunt ii non quietem sectari, sed se publicae administrationi, actuosaeque vitae dedentes, suae naturae obsequi; scilicet cum sint ita comparati, ut ex vita otiosa perturbationem & molestiam, dum, quod concupiscunt, non assequuntur, trahant.

At si qui sunt suapte natura comparati ad otium sint; aut ambitionem, vanitatemque vi rationis represserint; aut, quid id sit rei, experti, quasi ex procellis emerserint; aut tot, tamque magnis exemplis facti cautiores fuerint; haut abs re illi reputabunt esse sibi otium longe praestabilius, neque esse congruum, ut illud cum vita actuosa commutent; nisi quid forte interveniat ex parte Reipubl., quod eorum industriam deposcat; unde & concludimus, sapientem non esse ad Rempubl., nisi quid intervenerit, accessurum.

Quidni? cum illis otium sectantibus liceat facilius longe, ac tutius eundem denique finem consequi, quem sibi viri ambitiosi per pericula, ac labores praestituunt.

Nam de horum scopo ut dicam,

non defuere unquam, qui ut securitatem ex hominibus adipiscerentur, ( ac pro conditione quidem principatus,& regni,ex quibus eam vulgo comparari putant, ) affectaverint gloria præfulgere, illustresque evadere;existimantes se hac ratione statum securum tranquillumque ex hominibus paraturos. Ac si secura quidem fuit, tranquillaque ipsorum vita, ii sunt illud ipsum, quod naturæ est, bonum consecuti: nisi autem secura, tranquillaque fuit, ( ut revera esse vix potest, ) tum exciderunt sane ab eo, quod naturæ congruum nancisci ex principatu frustra appetierunt.

At cum sapientis scopus sit idem, securitas nempe, & tranquillitas vitæ: quanto, amabo, compendio ad eum pervenit, cum vitæ civilis turbas fugiens, directo, ac statim, seipsum in profundissima quiete, & quasi in portu omnino silente, tranquilloque constituit? Felix profecto, qui pernorit summum bonum, beatamque vitam, non in principatu, aut potentia dominatrice consistere; non in numerosa pecunia, aut possessione rerum ampla; sed in vacuitate doloris, sedatione affectuum, ac dispositione illa animi, quæ ipsis naturæ finibus omnia circumscribens, efficit, ut paucis contentus id obtineat, quod illi, nisi imperent multis, opesque magnas habeant, obtinere se posse diffidunt.

Certe, si de me liceat dicere, felicitati summæ duco, quod factionibus civitatis me nunquam immiscuerim, ac populo nunquam placere, adularique studuerim. Ecqua vero id facerem ratione? quando, quæ ego scio, non probat populus; quæ probat populus; ego nescio. Quam vero & mihi, & ipsi Metrodoro simul non nocuit, occultis vixisse; cum videlicet inter bona tanta, quibus licuit parvis in hortis, inque obscura Melite frui, nobilis hæc Græcia nos non modo ignotos, verum etiam pene inauditos habuit!

Dixi autem, nisi quid interveniat ex parte reipubl., quoniam; si respubl. vocet, ac opera nostra reipsa indigeat, inhumani simus, si, cum licuerit plurimis prodesse, nolimus. Simus & nobis ipsis iniurii; cum, nisi salva republica esse nobis non liceat, id, quod maxime cupimus, otiosis.

Haut ergo sic se habet sapiens, ut videre aliquos licet, qui professi sapientiam, videatur sibi adeo pulcre, præ fastus abundantia, perspectum habere negotium politici regiminis, ut paria Lycurgo, ac Soloni moliri se posse confidant.

At si rogetur, ut leges ferat, ut & formam regiminis, & magistratuum munera præscribat; id non detrectabit, ratus nempe illos, qui primi condidere leges, ac iura, & constituere regimen, magistratumque in urbibus, vitam constituisse in statu securo admodum, & tranquillo; cum, si quis de medio ista tolleret, vitam viveremus ferarum, & qui alium haberet obvium, ipsum tantum non devoraret.

Sin vocetur, ut princeps sit; & iuxta leges, ac regimen iam constitutum rempubl. regat; non detrectabit similiter, ratus, tametsi ea res aleæ plena plerumque sit, posse tamen virum sapientem sic prospecta habere omnia sic,

provi.

providere omnibus, ut exigua illi, quod ante dicebam, fortuna interveniat, & maximæ interim, gravissimæque res consilio ipsius, & ratione administrentur. Dabit vero operam inprimis, ne, cum hominum infirmiores debitum obsequium potentioribus exhibuerint, isti illos aut opprimant, aut egere rebus ad vitam necessariis, ipsi iis affluentes, patiantur. Quippe, cum is sit omnis societatis, ac reipublicæ adeo finis, ut ex operis mutuis præstitis, vita omnium sit tuta, ac beata, quam maxime licet.

Tandem, si a principe vocetur, & occasio poscat, ut seu consilio, seu auxilio obsequium illi exhibeat; id denique non detrectabit, voratus, cum sit non modo pulcrius, verum etiam jucundius, beneficium dare, quam accipere; rem fore pulcerrimam, sic longe jucundissimam, beneficium conferre in principem, ex quo ad tam multos sit redundaturum. Sed hæc de prudentia.

## CAP. XII.

### *De temperantia universe.*

adl. Gassend. ad Laert. IX, 1499. SEquitur temperantia, pars, ut jam est dictum, honestatis prior, ac talis quidem, quæ præcipuam honesti, ac decori continere rationem videatur. Nempe cum illius sit munus, animum cupientem reprimere, ut fortitudinis est, eundem metuentem erigere, minus indecorum habetur pusillanimitate demitti, quam cupiditate efferri; atque idcirco magis decorum, cupiditati obsistere, quam adversus metum eniti.

Initio vero illud quoque circa temperantiam observandum est, expeti ipsam non propter se, sed quia voluptatem pariat, hoc est, animis pacem afferat, & eos quasi concordia quadam placet, ac leniat. Siquidem cum in moderandis cupiditatibus versetur, ac idcirco in rebus aut expetendis, aut fugiendis, rationem ut sequamur, moneat; non satis est judicare, quid faciendum, non faciendumve sit, sed stare etiam oportet in eo, quod sit judicatum.

Plerique autem, quod tenere atque servare id, quod statuere, non possunt, victi, & debilitati objecta specie voluptatis, tradunt se libidinibus constringendos, nec, quid proventurum sit, provident: ob eamque causam propter voluptatem & parvam & non necessariam, & quæ vel aliter pararetur, & qua etiam carere possent sine dolore, tum in morbos graves, tum in damna, tum in dedecus incurrunt, sæpe etiam legum, judiciorumque pœnis obligantur.

Qui autem ita frui volunt voluptatibus, ut nulli propterea dolores consequantur & qui suum judicium retinent, ne voluptate victi faciant id, quod sentiunt non esse faciendum; hi voluptatem maximam adipiscuntur prætermittenda voluptate. Iidem etiam dolorem sæpe perpetiuntur: ne si id non faciant, incidant in majorem.

Ex hoc vero intelligitur, temperantiam esse expetendam, non, quia voluptates aliquas refugiat, sed quod ab illis se continens, molestias declinet, quibus devitatis, voluptates consequatur majores. Id vero interim ita faciat, ut res honestati, decorique vertatur, ac intel-

intelligi valeat, posse eosdem ut voluptatis, ita decori amantes esse; imo & tales, qui, cum omnes virtutes & colant, & retineant, ea plerumque præstent, atque consequantur, ex quibus manifestum fiat, quanto sit omnibus odio crudelitas, & quanto amori probitas, & clementia, atque ea, quæ maxime mali petant, & concupiscant, ad bonos pervenire.

Porro, quia cupiditatum, circa quas versatur temperantia, aliæ naturales, aliæ inanes sunt; & ex naturalibus aliæ necessariæ, aliæ non necessariæ, (ut preteream necessariarum alias pertinere ad vitæ simpliciter, qualis est cibi, atque potus, unaque voluptatis, quæ in motu est; alias ad ipsam felicitatem, qualis indolentiæ, & tranquillitatis, sive voluptatis in statu,) constat profecto non abs re distinxisse nos in Physiologia cupiditatum genera tria. Diximus nempe alias esse naturales & necessarias, alias naturales, sed non necessarias, alias neque naturales, neque necessarias, sed inanes, seu ex opinione inani prognatas.

Et quia esse illas naturales, necessariasque diximus, quæ, nisi expleantur, dolorem in corpore creant; constat, eas, quæ ad nullum dolorem, noxamque, nisi expleantur, deducunt, & cum studio tamen vehemente sunt, eas tales evadere non ob necessitatem, sed propter vanam opinionem: ac tametsi principium aliquod a natura habeant, id tamen, quod ultra modum diffunduntur, non habere ab ipsa natura, sed ab inanitate opinionum, quæ homines reddunt ipsis etiam feris, hujuscemodi diffusioni non obnoxiis, deteriores, quin etiam ipsas cupiditates probari vel ex eo posse, esse non modo non necessarias, verum etiam non naturales, quod appetentiam contineant diffluentem, difficileque, aut etiam nullo modo explebilem, & plerumque etiam causæ nocumenti alicujus esse jure reputentur.

Ut de quibusdam autem præcipuis speciebus temperantiæ, juxta præcipuas aliquas cupiditatis species, dicamus; seligi possunt sobrietas, quæ opponitur gulæ, seu nimiæ cupiditati cibi, ac potus continentia, quæ libidini seu cupiditati venereorum effræni. Lenitas, quæ iræ, seu cupiditati vindictæ. Modestia, quæ ambitioni, seu cupiditati honoris: Moderatio, quæ avaritiæ, seu cupiditati divitiarum; denique ob affinitatem, quæ est inter cupiditatem, ac spem; ipsa mediocritas, quæ est inter spem, desperationemque futuri.

## CAP. XIII.

### *De sobrietate adversus gulam.*

INprimis vero dici non potest, quantum sit bonum sobrietas, adde Gassend. ad
quæ nos ad victum tenuem, simplicem, parcumque reducit; docens Laert. X.
nos, quam id sit exiguum, quod p. 1400. &
natura desiderat; ac planum faciens 1505.
necessitatem, qua illa laborat, posse rebus tenuibus, paratuque facilibus, cuiusmodi sunt polenta, fructus, herbæque, & aqua, abunde sanari.

Id nempe, quod ob indigentiam molestia corpus afficit, præclare, & quantum sat est, eximunt, quæ nullibi non suppetentia, simplicem siccorum, humidorumque alimentorum naturam habent; quod superest

est vero ; quicquid in luxum abit, cupediis vitiat, ob quę deinceps illas deperiens, nihil aliud, quam suam deperit perniciem.

Quamobrem si sapuerimus, cavendum nobis est ab eo cibo, cujus fruitionem deperimus, prosequimurque, & quem tamen, ubi illius fuerimus facti compotes, fuisse malo nostro gratum reputamus. Hujuscemodi autem est, qui opiparus est, ac pinguis; quo minus probari carnium usus potest, qui sane potius officit sanitati, quam ad illam prosit. Argumentoque esse potest, quod cum sanitas conservetur per eadem, per quæ amissa recuperatur; constet ipsam tenuissimo, & citra carnium usum victu recuperari.

Nihil autem mirum, si hominum vulgus putet esum carnium ad valetudinem conferre; idem enim est, qui existimat, sanitatis tuendæ vim esse in ipsis voluptatum quasi prolutionibus, etiam venerearum, quarum tamen est nulla, quæ quicquam prosit alicui, cum & bene sit, nisi etiam noceat.

Alterum est, quod hominem ad usus vitæ necessarios expeditum, & impigrum facit. Quippe, seu functiones animi requiras, serenitatem, aciem, vigorem animi tuetur; seu functiones corporis, ipsum ut sanum sit, vegetum, agile, diligens tuetur: at repletio, satietas nimia, ingurgitatio, crapula, animum obfuscat, retundit, ac languidum reddit, corpus autem ut morbidum, sic debile, segne, prægravatum facit. Quæso vero, ecquid speciatim tibi pollicearis de illo, cui ob vinum largius epotum, gravantur membra, præpediuntur crura, lingua tardescit, madet mens, oculi

id spectat ad cupiditatem, quæ necessaria est, neq; occasione alicujus rei molestiam necessario inferentis, creatur: sed partim, quia quidpiam angit, vellicatque, ob id solum, quod ejus absentia impatienter toleratur, partim, quia absoluta, & sine ullius molestiæ intermistione oblectatio præsumitur, partim, ac, ut paucis dicatur, quia menti inhærent inanes, falsæque opiniones, quæ neque ad sarciendum ullum naturalem defectum spectant, neque ad aliquid habendum, ex cujus absentia corporis ipsius compages dissolvatur, tendunt.

Siquidem vel ipsa, quæ ad manum sunt, abunde sufficiunt obtinendis iis, quibus natura indiget; hæc quippe ejusmodi sunt, ut partim ob simplicitatem, partim ob exignitatem, nullo negotio sint parabilia. Hinc illi quidem v. g. qui carnibus vescitur, opus etiam est inanimis rebus; at illi, cui sunt res inanimæ satis, dimidio solum opus est, ac ipso quidem tum facile parabili, tum ad apparandum modicis sumtibus egente.

Sunt porro quatuor quædam præcipua commoda, quæ sobrietas parit. Unum, quod victui simplici, minimeve splendido, copiosoque assuescere, sanitatis numeros implet. Videlicet opiparę, uberesque epulæ sunt, quæ cruditates, gravedines, podagras, febres, morbosque alios gignunt, exasperant, protrahunt; non vero escæ simplices, quas natura, ut necessarias, ita salutares facit, producitque, & non ceteris quidem animalibus modo, sed ipsi quoque homini, qui illas tamen suo malo depravat, iisque

nant, singultus, jurgia, clamores gliscunt?

Longe sane aberit sapiens, ut in compotationibus, temulentiaque pernoctetur, qui aut vinuli hemina esse contentus debeat, aut pro potu suavissimo obviam quamque aquam habere. Neque vero id modo, sed longe etiam aberit, ut lautis dapibus se inferciat, aut pinguibus, & crassis ventrem oneret, cui sufficere debeant simplicissimæ, imo ipsa naturæ dona.

Quod si huiusmodi tenuium, simpliciorumque ciborum usus ad habendum Milonis robur, ac universe ad virium corporis contentionem minime confert, neque sane eo robore, intensisque viribus sapiens indiget, si contemplationi quidem, non vitæ actuosæ, petulantique sit incubiturus.

Tertium, quod præstat, ut si quando per intervalla sit mensa splendidior, ipsi degustandæ comparati sincerius simus. Non profecto, quod viles cibi æqualem epulis sumtuosis voluptatem non afferant ubi exemta prorsus fuerit, quæ cibi defectu molesta est fames, (nam polenta etiam, & aqua voluptatem maximam pariunt, si quis modo famem, sitimque expectans, iis, cum indiguerit duntaxat, utatur,) sed quod isti assueti lautioribus epulis, earum suavitatem præ saturitate pene continenti non sentiant, perinde ac sapiens, qui ad eam percipiendam, gustatum præ victus tenuitate comparatum affert. Quo pacto accidit illi quoque, ut publicis spectaculis sincere præ aliis, si interesse aliquando iis contingerit, oblectetur.

Quod nego autem, tenuissimo victu, id est, contemtissimis escis, & potionibus minorem voluptatem percipi, quam rebus exquisitissimis ad epulandum; improbari quoque, nisi ab eo, non potest, qui sibimet ipsi vanis imponat opinionibus, qui non attendat *illos* solos magnificentia iucundissime frui, qui ea minimum indigent, qui nunquam siti, aut fame pressus, aquam, aut cibarium panem usurparit. Me profecto quod attinet, pane cibario, & aqua vescens aut nonnihil duntaxat casei Cithæridii, (si quando epulari juvet paulo sumtuosius,) superaddens voluptate abundo in corpusculo; ac nuncium remitto voluptatibus, quæ ex vulgari epularum magnificentia percipiuntur. Vnde & efficitur, ut, si modo panem, polentamve, & aquam habuero, paratus sim, vel cum ipso Iove de felicitate certare.

An addam vero eduliorum magnificentiam, ac varietatem *non* modo ipsam animam perturbatione non exuere, sed ne augere quidem voluptatem in corpore; quando ipsa quoque eo, quod *dolebat*, exemto, finem reperit? Exempli gratia, carnium usum de quo mox loquebar, nec speciatim adimit quicquam, quod naturæ molestum sit, neque aliquid peragit, quod, nisi compleatur, in molestiam sit abiturum. Interim autem gratiam habet violentam, ac fortassis quoque ex contrario mistam; quatenus ad vitæ durationem minime valet, confert autem solum variandis voluptatibus, similis usibus venereis, vinorumque peregrinorum potationibus, sine quibus potest natura, seu vita manere; cum

ea sine quibus manere non potest, compendiosa penitus sint, facileque, & salva iustitia, liberalitate, tranquillitate, otio plurimo obtineri possint.

Ac taline persuasione sint homines vulgares, nihil est, quod moremur; viget siquidem petulantia, intemperantiaque in id genus hominibus, adeo proinde, ut verendum non sit, ne quandoque desint, qui animalibus vescantur. Nam, si omnes quidem optime de rebus sentirent, nihil foret opus aucupio, vel aucupibus, piscatoribus, aut subulcis; ac huiuscemodi animalia degentia per se, & incustodita, præfectoque carentia, brevi perinde perderentur, devastarenturque ab aliis insidiantibus multitudinemque absumentibus, ac in aliis innumeris, quibus homines non vescuntur, contingit. At vero multiplici semper, vel omnigena potius vigente desipientia inter homines, non deerunt unquam innumeri, qui ea depascantur, heluones.

Quantum denique, quod nos reddit interritos adversus fortunam, nempe illi timeant fortunam oportet, qui sumtuose vivere assueti, arbitrantur non posse vitam non miserrime transigi, nisi suppetat, unde dietim minas, talentaque impendant. Ex quo efficitur, ut plerumque vitæ negotiosæ obnoxii fiant, & plerumque rapinas, cædes, sceleraque similia patrent; at, cui viles cibi, ut fruges, oleraque sufficiunt, cui sunt panis, & aqua satis, cui est intra hæc desiderium clusum, quid est, quod ille fortunam timeat? Quotusquisque enim est ad ista pauper? Quænam fortunæ malignitas ad hæc usque sese demittit? Eccui ita invidet, ut non fabas, non lenticulas, non fructus, non herbas facile competiat? Nam de aqua quidem passim occurrente, quid necesse est dicere?

Ego certe, ut de me ipso, verecunde licet, pergam dicere, ipsis hortulorum plantaribus contentus, & lætus iis sum, & volo hoc etiam pro foribus esse inscriptum, hospes, hic bene manebis: hic summum bonum voluptas est. Paratus erit ipsius domicilii custos, hospitalis, humanus; & te polenta excipiet, & aquam quoque large administrabit, & dicet, ecquid bene acceptus es? Non invitant enim hi hortuli famem, sed extinguunt; nec maiorem ipsis potionibus sitim faciunt, sed naturali, & gratuito remedio sedant.

In hac voluptate ego quidem consenui; qui & cum rationibus mecum initis deprehenderim, ne toto quidem asse me pasci, nihilominus certos habeo dies, quibus malignius famem extinguam; visurus, an aliquid desit ex plena, & consummata voluptate, vel quantum, & an dignum sit, quod magno labore pensetur.

## CAP. XVI.

### *De continentia adversus libidinem.*

Deinde, virtus quoque eximia ipsa est continentia, sive abstinentia a venereis, quippe quorum usus, ut paulo ante dixi, nunquam prosit, & præclare agatur, nisi etiam noceat. adde Gassend. ad Laert. X. p. 1203. 1509.

Iis

Iis certe abuti intemperanter, est facere vitam vigore effœtam, curis anxiam, morbis molestam, duratione brevem; quo fit, ut vir sapiens esse in eo debeat, ut & capi se amore non sinat, & longe sit, ut reputet esse amorem quidpiam, quod immittatur divinitus, ut illi propterea esse indulgendum videatur.

Et quo minus quidem amore capiatur, ac ut incentivo ad venerea careat, nihil æque prodest, atque tenuis victus, de quo dictum mox ante est; quando, quæ ex nimio eduliorum usu turgescit copia seminis, & fomes, & pabulum est, quo creatur amoris incendium; sed & confert secundum hoc, tum honesta, & quæ præsertim circa sapientiam est, occupatio, tum meditatio incommodorum, quibus obnoxii illi sunt, qui se ab amore abripi sinunt.

Nam universe quidem mulieris, puerive amori se addicere, illud secum trahit, ut vires absumantur, pereant labores, labatur familiaris res, vadimonia fiant, officia langueant, fama ægrotet; ac dum Sycionia in pedibus, grandes smaragdi in digitis, aliaque ornamenta in corpore rident, animus ipse se, tanquam sibi male conscius remordeat, quod desidiose ætatem agat, annosque bonos perire sinat, ceteraque id genus alia, quæ enumerare est promtum.

Speciatim vero, ecquid mali non trahit, velle rem habere cum ea muliere, qua leges interdixerint? Longe sane aberit sapiens, ut quidpiam tale cogitet, cum absterrere ipsum debeat vel ingens illa sollicitudo, qua sunt præcavenda, quæ multa, & magna intercurrunt pericula; cum & plerunque eveniat, ut, qui hæc adoriuntur, vulnerentur, contrucidentur, aut adigantur ad carceres, ad exilia, ad graviores pœnas. Unde & efficitur, quod ante dixi, ut nempe propter voluptatem & parvam, & non necessariam, & quæ vel aliter pararetur, & qua etiam carere possent, sese dolori maximo, pœnitentiæ puta gravissimæ subiiciant.

Nisi proinde incontinentem esse, ac molliter uni hujuscemodi voluptati succumbere, non est se interim fraudare voluptatibus & multis, & magnis, quibus fruitur, qui continenter, & sub legum præscripto vivens, sapientiæ sic vacat, ut mentem quidem neque hebetet, neque curis excruciet, neque affectibus ceteris perturbet; corpus autem neque enervet, neque morbis vexet, neque dolore torqueat, sicque bonum illud summum consequatur, quod, ut ante dixi, non ipsa puerorum, mulierumque consuetudo, ut neque piscium deliciæ, neque aliæ cupediæ mensæ lautioris parere possint.

Prætereo vero non subesse, cur, dum abstinentia a venereis hic universe commendatur, quispiam inferat, esse ergo etiam a legitimis nuptiis abstinendum; quippe, quæ nostra hac de re sit sententia, est jam ante dictum. Addo hic solum, quod dixi amorem non immitti divinitus, eo facere, ut intelligatur, siquis liberis careat, nullosve ex uxore suscipiat, non esse id cupidini, venerive iratis tribuendum, sperandumque, ut

votis

votis atque sacrificiis potius, quam remediis naturalibus evadere in parentem possit.

Addo autem præterea absfuturum sapientem, ut Cynicorum ritu vivat, seu ea sit inverecundia, quam isti in propatulo ostentant. Nam quod se dicunt naturam sequi, & reprehendunt, ac irrident, quod ea, quæ turpia re non sunt, verbis flagitiosa dicamus; quæ turpia sunt, nominibus appellemus suis; nam latrocinari, fraudare, adulterare, re turpe est, sed dicitur non obscœne: liberis dare operam, re honestum est, nomine obscœnum: pluraque in eandem sententiam adversus verecundiam disputant: Non videntur satis advertere, vivere se in societate, non vero in agris, & ferarum ritu, quomodo naturam pure sequerentur.

Quippe ex quo nomen societati dedimus, iubet nos natura eo fine servare leges societatis, ut fruentes communibus bonis, malum nobis non accersamus, quale est, nisi alia pœna, at saltem infamia, sive ignominia, quæ sequitur inverecundiam, defectumve eius pudoris, quem eius, in qua vivimus, societatis mores præscribunt, & a quo, in voce, aspectu, aliisque adiunctis spectato, ea, quæ merito laudatur, pudicitia est dicta.

Addo denique facere non parum, ut ad pudicitiam, sic universe ad continentiam, & a Musica, & a Poetica abstinere, quatenus ab utraque sunt, & cantilenæ, & eæ voces, quæ suavitate quadam fusæ, aliud nihil sunt, quam libidinis incentiva.

Nempe hac de causa nostra est sententia solum sapientem de utraque recte, & ut virtutem decet, verba facere, quod ceteri illecebris utriusque facillime capti, utrique indulgeant; solus sapiens damno, cujus causa sunt, prospecto, eas eliminet; declarando, Musicam esse inter cetera, ut bibacem, & pecuniarum facile prodigam, ita segnitiei amantem, & ad omne bonum honestum, generosumque opus inutilem: Poeticam vero, inter cetera, esse eam, quæ homines semper in vitia, ac potissimum in libidinem pronos fecerit, etiam ipsorum Deorum exemplo, cum ipsos, ut ira inflammatos, sic libidine furentes induxit, effecitque, ut videremus non eorum modo bella, pugnas, prælia, vulnera, odia, dissidia, discordias, ortus, interitus; sed etiam querelas, lamentationes, vincula, cum mortali genere concubitus, mortalesque ex immortali procreatos, ceteraque id genus, a quibus sane homines, quibus mens fuerit, abhorreant.

## CAP. XV.

### *De lenitate adversus iram.*

Ad hæc lenitas sive mansuetudo, ad quam etiam clementia, & misericordia referuntur, ita adversus iram, vindictæque cupiditatem comparatur, ut laudatissima virtus sit, quoniam ira, ac potissimum immodica, gignit insaniam. Quippe per iram mens effervescit, caligineque suffunditur, micat ardor ex oculis, pectus rumpitur fremitu, dentes quatiuntur, vox strangulatur, horrent capilli, & facies succensa, minasque intentans ita est horrenda, fœdaque aspe- ad de Gassend. ad Laert. X. p. 1510. sq.

aspectu, ut mens tam sui impotens, quam omnis decori oblita videatur: lenitas vero sic mentem sanat, sanamve potius sic continet, ut neque ipsa emoveatur, neque passio in corpus exeat, qua quidquam præter decorum fiat.

Ceterum, cum ira accendi, effervescereque ex acceptæ iniuriæ opinione soleat, iniuria vero inferatur ab hominibus præ ipsorum aut odio, aut invidia, aut despicientia: qui fieri poterit, ut sapiens ita iniuriam toleret, ut erga inferentes lenis atque placidus maneat? Nempe rationis præsidio fretus, quo & iam dixi illum adversus fortunam se comparaturum. Quippe iniuriam habet in rebus fortuitis, matureque agnoscit, non esse in sua situm facultate, ut ceteri hominum sint iusti, passionibusque non abripiantur; ac ideo tam parum irascitur, commoveturque ob iniurias illatas ab hominibus, quam ob incommoda aut damna, quæ a fortuitis casibus, universeque ab aliis caussis extra facultatem positis adveniunt.

Non commovetur, exempli gratia, propter fervores, aut algores quia tempestatibus inducuntur: quoniam tempestatum, suas vices obeuntium, hæc natura sit quam immutare ipse non possit, quamobrem neque commovetur ob iniurias, quas inferunt petulantes, ac improbi, quod illi pro sua natura sic agant, &, ut secus agant, naturamve mutent, in ipso non sit. Neque vero aliunde esse congruum putat rationi, ac sapientiæ, malum malo adiicere, (scilicet præter nocumentum, quod extrinsecus accidit, accersere sibi sua opinione intrinsecus perturbationem,) aut quia alius voluit molestia animum ejus afficere, ita desipere, ut molestiam admittens, illi quasi gratificetur.

Ac par est quidem, virum sapientem bonæ famæ curam eatenus habere, quatenus despectui non sit; siquidem nonnullæ etiam voluptates, ex bona fama proficiscuntur, uti ex mala, & ex contemtu ipsam consequente, aliquæ molestiæ, verum bonæ famæ cura est habenda, non tam ulciscendo iniuriam aut irascendo in inferentem ipsam; quam bene, innoxieque vivendo, neque contumeliæ, aut maledicentiæ veram ullam caussam, occasionemve præbendo. Nempe hoc præstare nostræ opis est, non vero, ut alius sua non utatur malignitate.

Quo fit, ut, si etiam, qui tibi est infensus, ac se pro inimico gerit, quidpiam postulet, id denegandum ipsi non sit, si modo & liceat, & possis proinde securus ab eo fieri; qui a cane non differat, sitque adeo quadam quasi offa placandus: Quanquam nihil satius, tutiusque est, quam illius malitiæ, ut vitæ innocentiam, sic propriæ conscientiæ securitatem opponere, &, quod superest, ostendere, se iniuria superiorem esse.

Profecto vero, cum fieri etiam possit, ut sapiens, quod ante dicebam, vocetur in ius, & non modo iniuriam, sed etiam calumniam, accusationem, damnationem patiatur; cogitat tunc quoque, esse quidem situm in sua potestate, ut bene, & ex virtute vivat, sed non, ne ceteros erga se malignos, iniustosque experiatur; neve ab ipsis præter fas, & æquum accusetur,

cau-

causamque apud iudices etiam iniquos dicere teneatur. Quare, neque accusatoribus, neque testibus, neque iudicibus irascitur suis; sed bona fretus conscientia, nihil de sua lenitate, tranquillitateque remittit, & se hoc quoque casu superiorem habens, spectat ipsum intrepide, & in iudiciis animose, intrepideque versatur.

Neque porro est, quod quispiam obiiciat, repugnare hisce, quæ de lenitate iam doceo, id quod supra de famulorum castigatione dictum est, quoniam & ad dyscolos solum castigationem redigimus, & illam in familia, non secus, ac in republ. animadversionem in scelestos, necessariam esse, manifestum est, &, ut princeps, aut magistratus civium scelera citra iram punit, ita potest pater familias citra iracundiam famulorum delicta. Non repeto autem id, quod dictum est, de indulgentia erga illos, qui bonæ alioquin indolis, diligentesque extiterint.

Hisce addo, virum sapientem non leniter modo iniurias laturum, non mansuete modo veniam habiturum; sed officiose etiam illi, qui sese in meliorem frugem receperit, gratulaturum. Quippe, cum initium salutis ipsa peccati notitia est, ideo gratulatio instituenda est, ut sicut ob talem notitiam pecati horror incutitur, ita illius quod fieri debuit, quodque deinceps faciendum est, pulcritudo exaggeretur, studiumque illius magis incalescat.

## CAP. XVI.

*De modestia adversus ambitionem.*

Conf. Gassend. ad Lucr. X. p. 1515.

AD modestiam quod attinet, sufficere pene ea possunt, quæ superius deducta sunt, ubi ostendimus sapientis non esse, affectare magistratus, honoresve in republ. summos: verum ita se continere, quasi in angulo quopiam delitescat. Quare & inculco hic solum, quod consilium cuique amicorum do: occultus, seu privatus vive, (sed cum ea tamen cautione, nisi quid ex parte reipubl. intervenerit,) quando, ut vel ipsa docet experientia, is bene vixit, qui bene latuit.

Nimis quam certe est familiare, ut videamus illos, qui ad summum succedunt honorem, deiici invidia, quasi fulmine, ac sero demum agnoscere, satius multo esse quietum parere, quam sudando, & per angustum ambitionis iter luctando, regere imperio res velle, eoque evehi, unde nihil sit aliud, quam casus & magnus, & præceps, timendus. Quid quod isti, quos gloria, honoreque præfulgentes vulgus suspicit, infelicissimi ideo sunt, quod intra pectus gravissimis molestissimisque curis corrodantur. Cave scilicet credas illos vivere animo securos; quandoquidem fieri non potest, ut qui esse timendi videntur, ipsi multos non timeant.

Et liceat videas illos classes longe, lateque dimittere, imperitare legionibus, stipantium turba circumdari, cave putes illos degere tranquille, aut omnino sinceræ ullius voluptatis participes fieri: quoniam hæc omnia ridicula, ludibriaque, & insomnia sunt, quatenus & metus, & curæ sequaces non metuunt revera strepitus armorum, non reverentur fulgorem auri, non splendorem purpuræ, verum audacter inter reges,

rerum-

rerumque potentes versantur, vulturis Poetarum instar, ipsa præcordia depascunt.

Cave, quin etiam existimes proficere quidquam nostro in corpore istam regni gloriam, nobilitatem, gazam; cum videre præsertim liceat, non decedere citius febres, si in picturis textilibus, rubentique ostro iacteris, quam si in veste plebeia cubes, ac nos nihil lædat veste purpurea, auroque, & monilibus pretiosis onusta carere, si nobis modo plebeia sit, quæ frigus arcere a corpore possit. Quid vero si pannis, stramentisque lætus doceas, quam vani mortales sint, qui non intelligentes, quam ea sint parva, quæ beatam vitam faciunt, ad hæc, quæ habentur magnifica, animis attonitis inhiant! Magnificentior mihi, crede, sermo tuus in grabato videbitur, & in panno; non enim dicentur tantum illa, sed probabuntur.

Certe, & tametsi aliunde domus ipsa argento non fulgeat, auro non renideat, citharis non reboet, aurea iuvenum simulacra lampadas manibus tenentia, ut suppeditent lumina epulis nocturnis, non habeat; nihilo profecto est minus iucundum corpora curare molli prostratos in gramine, & propter quidem aquæ rivum, ac subaltæ arboris ramis, & tempestate præsertim verna, qua herbæ floribus consperguntur, cantus avium mulcent, perflant Zephyri, tota denique natura arridet.

Quare, & cui sic vivere in agris, aut in hortulis suis licet, quid est, quamobrem honores ambit, & non potius sese modeste contineat? Nam & aliunde quærere gloriam ostentatione virtutis, scientiæ, eloquentiæ, nobilitatis, opulentiæ, famulitii, vestium, formæ incessus, & similium, ridiculæ est vanitatis; ac in hisce omnibus modestia exigit hoc solum, ut ne quid præ rusticitate, insulsitate, neglectu similove adversus decorum peccetur. Scilicet, ut ante dicebam, æque vilis est, abiectique animi, ob ista insolescere, & ob iacturam, absentiamve eorundem animo demitti.

Hinc, si forte sapiens aliquas maiorum, aliorumve statuas, imaginesve habuerit, longe erit, ut eas ostentet, gloriamve ex iis quæritet; & licet illas non negligat, sollicite tamen in porticibus potius, quam alibi, collocet, asservet.

Sic vero neque sollicitus de sepultura admodum erit, neque de ea quidpiam sumtuosum mandabit. Id solum ipsi curæ erit, quod possit successoribus utile, iucundumque esse; ratus, quod ad se, corpusve mortuum attinet, interfore parum, quo se modo habeat. Quippe vanitatem etiam ultra mortem propagare, insanum est: uti & prætextus, quo aliqui nolint, ut ante obiiciebam, dentibus ferarum laniari; nam si id quidem malum sit; qui non sit acerbum ignibus torreri, in melle situm suffocari, rigescere sub marmore, terræ pondere obtritum urgeri?

## CAP. XVII.

### *De moderatione adversus avaritiam.*

SEquitur moderatio, seu illa animi dispositio, qua quis parvo contentus est, quoque profecto nul-

nullum majus adesse homini bonum potest. Nempe esse parvo contentum, res est omnium ditissima; quando & grandes divitiæ sunt ad legem naturæ composita paupertas. Scilicet, modo non esurire, non sitire, non algere contingat, felicitas divinæ par est, & cui hoc habenti, nihilque aliud aventi, desunt cetera, utcunque pauper vulgo habeatur, is ditissimus nihilominus est.

Quam vero res honesta est, hæc paupertas, læta cum sit, contentaque eo, quod est satis; hoc est, iis naturæ divitiis, quæ ad hoc sufficiunt, ut, quod dixi, non esuriat, non sitiat, non algeat! Sane, quando istæ naturæ divitiæ terminatæ sunt, facileque parabiles; earum vero, quæ juxta inanes opiniones, concupiscuntur, nec modus ullus, nec finis inveniri potest: gratiæ sunt habendæ naturæ beatæ, quod necessaria patent facilia, & quæ parata sunt difficilia, non necessaria fecerit.

Et cum oporteat virum sapientem in ea esse spe, ut tota vitæ serie defuturum sibi nihil sit; nonne hanc spem abunde fovet perfacilis istarum tenuium parabilitas; cum alioquin illa, quæ sumtuosa sunt, bene sperantem perinde non faciant; & hacce de causa homines vulgares tametsi plurima possideant, perinde tamen, ac si illa defectura sint, congerendis semper, quæ numquam cumulo perfecto habeantur, laborent?

Unde & debet facere ad hoc, ut contenti simus facile parabilibus, simplicissimisque rebus, meminisse, quemadmodum ne omnes quidem in unum congestæ divitiæ quicquam virium habeant ad animi perturbationem præclara aliqua ratione solvendam; mediocres autem, passimque obviæ, & ad obtinendum comparatissimæ res incommodam corpori indigentiam tollant, cum & aliunde ejusmodi sint, ut cogitanti mortem, dimittere, ipsas hautquaquam sit grave.

Miseræ sane hominum mentes, cæcaque eorum pectora! Nolle videre, ipsam naturam nihil sibi aliud dictare, quam ut summoveant a corpore id, quod propter indigentiam dolet, &, quod superest, fruantur iucunda, & sine cura, metuque, mente: non vero ut se tota vita ad id habendum comparent, quod sit ad vitam necessarium; atque ita quidem inhiantes, quasi tum quoque victuri sint, cum vita frui desierint; non pervidentes utpote, quam sit lethale omnibus nobis ab ipso exortu pharmacum propinatum.

Quod si ea, quæ sufficiunt, & ad quæ nemo pauper est, delicias quoque, quas hominum vulgus deperit, non ministrant, iis tamen natura non eget: neque desinit interim fin- cum ceras ex tenuibus, simplicibusque rebus voluptates suppeditare, quemadmodum dictum iam est.

Unde & sapiens sic est affectus circa eas res, quæ pecuniæ cupiditatem afferunt, (quo nempe amori, ambitioni, quotidianis sumtibus copiæ suppetant,) ut, cum procul ab iis omnibus rebus absit, non sit, cur pecuniam magnopere desideret, vel curet omnino.

Quod dico autem, divitiarum; quæ iuxta inanes opiniones concupiscuntur, nec modum ullum,

nec

nec finem esse, ideo est, quod, cum parvo natura satietur, inanis opinio cupiditati præiens, cogitet semper aliquid, quod non habeatur, & quasi adhuc desit, cupiditatem ad illud vocet: Unde & efficitur, ut cui pauca non sufficiunt, satis illi esse nihil possit; sed quo plures opes congestas habuerit, eo plures sibi reputet deesse.

Quamobrem, cum nunquam penuria sit parvi, debet vir sapiens, cui illud adest, grandes, quod dicebam, putare divitias, siquidem illis nihil deest, cum ceteræ quantumvis magnæ, parvæ sint, quoniam deest illis, quod sit infinitum. Ex quo consequitur, ut, cui sua non videntur amplissima, licet totius mundi dominus evaserit, miser tamen sit; quippe cum miseria indigentiæ sit comes; & illi, qui adeptus totum mundum fuerit, defuturi sunt mundi ceteri, quos vana opinio haut secus monstrabit, quam pauca habenti totum istum mundū concupiscendum monstraverit.

Vis proinde quempiam divitem facere, scito non divitiis ejus adiiciendum, sed cupiditatibus detrahendum esse. Tunc enim solum, cum inanibus cupiditatibus resectis, sese ad naturam composuerit, nihilque amplius, quam quod illa exigat, concupierit, sentiet se revera esse divitem: quia tunc solum sibi nihil deesse sentiet. Unde & hoc illi inculcandum est: Si ad naturam vives, nunquam eris pauper, si ad opinionem, numquam dives. Exiguum natura desiderat, opinio immensum.

Hæc certe animi dispositio, seu, si mavis, facultas, qua sibi ipsi temperando, quicquid necessarium naturæ non est, ex cupiditatibus detrahitur, una cum adiuncta simplicissima, ac facillima rerum necessariarum parabilitate, hæc inquam, dispositio eandem parit securitatem, quæ habetur ex placido secessu, devitationeque *multitudinis*; quando illius beneficio, versanti etiam in societate, mediaque multitudine, nihil amplius deest, quam seorsum agenti.

Ex eodem vero capite est, quod quisquam unquam sibi fiduciam, securitatemque ex rebus externis, qua optima ratione licet, comparare aggressus est, is possibilia quidem paratu, tanquam a se non aliena quæsivit: at impossibilia pro alienis habuit. Quin etiam possibilium bene multa non attigit, ac ea omnia, quæ obtinere nihil fuit necesse, abdicavit.

Porro huiusce abdicationis, detractionisque memoratæ defectu, quantæ, quæso, miseriæ est, *hominem*, ut pertuso vase continuo haurire, neque mentem unquam explere? Nam, ut taceam multis paraſſe divitias, mutationem fuisse, non finem miseriæ, sive quia curis se onerarunt, quibus antea erant immunes, sive quia locum fecere insidiis, quibus & captati, & impetiti fuerint, ut, inquam, id taceam; hoc saltem miseriæ est summæ, te, quo pascaris uberius, eo majore fame cruciari.

## CAP. XVIII.

*De mediocritate inter spem, desperationemque futuri.*

DEnique vero, cum omnis universe cupiditas ad id feratur, quod non habetur, & concepta haben-

habendi spe; quasi habendum proponitur; unde & spes cupiditatem lactans, quadam cum voluptate est; uti & opposita desperatio fovens metum, ne, quod concupiscitur, non habeatur, non est sine molestia; ideo aliquid subiiciendum est de mediocritate, quæ tum generatim adhibenda est, circa id, quod concupiscitur, ac esse aut speratur, aut desperatur futurum: tum speciatim circa vitæ durationem, sive potius perpetuitatem, cuius ut cupiditas accenditur, ita desperatio discruciat.

Itaque illud mente inprimis generatim tenendum est, id, quod est futurum, ac in rebus quidem contingentibus, neque omnino nostrum, neque omnino non nostrum esse. Videlicet, ut neque illud, tanquam eventurum haut dubie speremus, quod aliquo casu interveniente diverti valeat, neque etiam, tanquam haut dubie, non eventurum desperemus, quod possit, a quo avertatur, nullus casus intervenire, sicque efficiatur, ut non destituti omni spe sine voluptate aliqua non simus, aut omnino frustrati spe, molestia quapiam afficiamur.

Illud certe discriminis inter sapientem, stultumque est, quod sapiens expectet quidem futura, sed ab illis tamen non pendeat, interim autem & potiatur præsentibus, (animadvertendo, quanta sint ea, quamque jucunda,) & præterita grate recordetur: stulti autem vita, ut supra dicebam, ingrata, ac trepida sit, quod tota in futurum feratur.

Quammultos nempe videre licet, qui non meminerunt preterita bona, non fruuntur præsentibus? Futura modo expectant, quæ, quia certa esse non possunt, conficiuntur & angore, & metu, maximeque cruciantur, cum sero sentiunt frustra se aut pecuniæ studuisse, aut imperiis, aut opibus, aut gloriæ; nullas enim consequuntur voluptates, quarum potiundi spe inflammati, multos labores, magnosque susceperant, ac ut plurimum sunt malevoli, invidi, difficiles, lucifugi, maledici, monstrosi.

Dico vero sapientem virum præterita bona grate meminisse; quoniam queri satis non possum, quod nimis ingrati adversus præterita simus; quod quæcunque percepimus bona, non in memoriam reducamus, nec inter voluptates numeremus, cum certior nulla sit voluptas, quam quæ iam eripi non potest, præsentia videlicet bona nondum tota in solido sunt; potest ita casus aliquis incidere; futura pendent, & incerta sunt, id solum, quod præterit, inter tuta sepositum est.

In bonis autem præteritis non illa modo habeo, quibus potiri concessum fuit; verum ipsam quoque malorum, quæ potuerunt nobis incidere, devitationem; neque minus ipsam ab iis, quæ inciderunt, ac esse potuerunt diuturniora, liberationem, ac una ipsam recordationem, reputationem, gratulationem, quod fuerint tolerata constanter.

Quod attinet porro ad cupiditatem producendi in immensum vitam; innui iam illam viro sapienti idcirco esse rescindendam, quod in promtu sit desperatio, quæ sine molestia, angoreque non est. Facit vero huc cogitatio illa, quod

quod ex infinito tempore ætatis non major voluptas possit percipi, quam percipiatur ex hoc, quod videmus esse finitum, si quis modo illius fines recta ratione dimetiatur.

Quippe, cum ratione dimetiri fines voluptatis, nihil aliud sit, quam reputare, ut ante dixi, voluptatem summam non aliam, quam vacuitatem tum doloris, tum perturbationis esse; constat illam neque majorem, neque minorem fieri longinquitate temporis, neque minorem, remissioremve ejusdem brevitate reddi.

Et quamvis sperata productior, seu longioris ævi voluptas videatur, voluptatem præsentem intensiorem facere; id tamen apud eos, qui voluptatis finem non recta ratione, sed cupiditate inani metiuntur; quique sic se habent, quasi cum non erunt, seu vita defierit, sint sensuri molestiam ob privationem voluptatis, quam sentirent, si superessent. Ex quo factum est, ut ante monuerim, exquisitam notitiam, quod mors nihil pertineat ad nos, præstare, ut hac vita mortali fruamur, non quidpiam temporis incerti adiiciendo, sed immortalitatis cupiditatem abiiciendo.

Quamobrem, cum præscripti sint a natura fines voluptati corporis, ac illos temporis æterni desiderium adimat, necesse est mens, seu ratio superveniat, quæ, ut par est, ratiocinando de huiusmodi finibus, ac desiderium eliminando sempiterni temporis, vitam undique perfectam constituat, efficiatque, ut ea contenti, hautquaquam ipsa temporis infinitate indigeamus.

Quin etiam, ne tum quidem voluptate frustrabimur, cum rerum mortalium conditio excessum e vita molietur; quippe, prout optimæ vitæ perfectum, atque adeo delectabilem nanciscemur finem; discedentes videlicet tăquam convivæ vitæ pleni, & debite perfuncti eo munere, quo perfuncturi accepimus vitam.

## CAP. XIX.

### *De fortitudine universe.*

Fortitudo superest, quam alteram partem honestatis esse ideo diximus; quod comparata adversus metum, & quicquid incutere eum solet, præstet, ut, qui se non timide, & ignave gerunt, sed animose, & fortiter, gerere se honeste, & decore dicantur. Cumque res late pateat, tum videtur potissimum sumsisse occasionem ex bello, in quo, qui sese fortiter, atque adeo honeste gerunt, gloriam præ aliis adipiscuntur, exindeque fit, ut honestum fere intelligatur id, quod est populari fama gloriosum. adde Gassend. ad Laert. X. p. 1485

Esse autem & hanc virtutem comparatam ad voluptatem, quatenus exposita est, vel ex eo intelligitur, quod neque laborum perfunctio, neque perpessio dolorum per seipsa allicit, nec patientia, nec assiduitas, nec vigiliæ, nec ea ipsa, quæ laudatur, industria, ne fortitudo quidem; sed ista sequimur, ut sine cura, metuque vivamus animumque, & corpus, quantum efficere possumus, molestia liberemus.

Ut enim mortis metu, exempli gratia, omnis quietæ vitæ status perturbatur: & ut succumbere doloribus, eosque humili animo, imbe-

imbecilloque ferre miserum est; ob eamque debilitatem animi multi parentes, multi amicos, multi patriam, plerique etiam seipsos penitus perdiderunt: sic robustus animus, & excelsus, omni est liber cura, & angore; cum & mortem contemnit, qua qui affecti sunt, in eadem causa sunt, qua antequam nati; & ad dolores ita peparatus est, ut meminerit maximos morte finiri, parvos multa habere intervalla quietis, mediocrium nos esse dominos, ut, si tolerabiles sint, feramus, sin minus, æquo animo e vita, cum ea non placeat, tanquam e theatro exeamus.

Quibus rebus intelligitur, nec timiditatem, ignaviamque vituperari, nec fortitudinem, patientiamque laudari suo nomine, sed illas reiici, quia dolorem pariant: has optari, quia voluptatem.

Quod dixi porro, fortitudinem comparatum esse ut adversus metum, sic adversus omnia, quæ incutere metum solent, eo tendit, ut intelligamus, eadem esse mala, quæ, ut præsentia cruciant, sic futura metuuntur, atque idcirco addiscamus ea, quæ futura, aut ipsi nobis fingimus, aut quomodocunque apprehendimus, non metuere; ea vero, quæ præsentia sint, patienter, constanterque ferre.

Ac ex variis quidem malis, quæ ipsi nobis fingimus, neque reipsa futura sint, præcipua sunt, quæ vel a Diis metuimus, quasi ipsi aut mali sint, aut esse mali autores possint: vel a morte, quasi ea secũ, futurumve post se malum aliquod sempiternum trahat. Ex iis autem, quæ & sic metuimus, ut advenire valeant, & sic interdum præsentia sunt, ut nos molestia afficiant, ea sunt, quæ aut dolorem corpori inferunt, aut ægritudinem in animum inducunt.

Et quæ dolorem quidem creant, sunt morbi, flagra, ignis, gladius, id genus alia; quæ vero ægritudinem, ea, quæ dicuntur mala externa, cuiusmodi sunt aut publica illa, tyrannis, bellum, eversio patriæ, pestis, fames, &c. aut privata; ut servitus, exilium, carcer, infamia, orbitas, & quæ id genus alia sunt.

Id vero discriminis est inter hæc omnia ex una parte, & dolorem, ægritudinemque ex alia, quod dolor, atque ægritudo mala per se sint, ista omnia non sint, nisi quatenus ad dolorem, ægritudinemque referuntur, ut causæ: neque enim, nisi dolorem, & ægritudinem parerent, foret, quamobrem refugerentur.

Et pauca quidem ex ordine attingenda de istis sunt. Sed adnotandum prius est, fortitudinem, non, quasi natura, sed quasi rationis consilio ingeneretur, esse habendam. Differt scilicet fortitudo ab audacia, ferocitate, inconsulta temeritate, quæ in brutis etiam animantibus reperitur, quippe cum propria sit virorum, & ex consilio quidem, seu prudenter agentium; sicque metiri illam oportet, non corporearum virium robore, atque impetu. sed firmitudine animi, honesto instituto, seu proposito constanter hærentis.

## CAP. XX.

### *De fortitudine circa metum numinis.*

Videtur autem esse inprimis de duplici quodam gravissimo

metu dicendum: quia, si quid unquam mentis finem, summamve, quæ animi sit propria, voluptatem peperit, ipsa fuit expunctio earum opinionum, (adde & ipsi assinium,) quibus metus maximi ipsi menti incutiebantur. Scilicet miseri mortales in eo semper sunt, quod non sanis quibusdam ducantur opinionibus, sed quopiam rationis experte affectu, ut non definientes proinde ratione id, quod revera malum est, parem, neque minus intensam perturbationem suscipiant, quam si illa revera essent, propter quæ turbantur.

Epic. Epist. ad Herod. ap. Laert. X, 81. Quod solet porro priore loco maximum metum incutere, maximamque adeo perturbationem creare in hominum mentibus, illud est, quod existimantes esse quasdam beatas, atque immortales naturas, censent tamen ipsis inesse contrarias hisce attributis voluntates, actiones, passiones, cuiusmodi sunt sollicitudines, negotia, iræ, gratiæ, ex quibus ut malis detrimenta maxima, & bonis præsidia ab ipsis naturis, hoc est, Diis, adveniant. Nempe homines innutriti propriis, hoc est, humanis affectibus, similes sui Deos fingunt, & admittunt, & quicquid affectuum suorum non est, illud reputant ab ipsis alienum.

Quamobrem & dici non potest, Lucret. V. v. 1193. quam infelix se genus humanum reddiderit, cum talia Diis tribuit, ac iras præsertim acerbas adiunxit, ob quas animi formidine Divum infacti humiles, non nemini membra conrepunt pavore, seu tonitru cœlum murmure percurrit, seu terra intremiscit, vacillatque sub pedibus, seu ventorum vis, ac tempestas mare commovet, seu quid aliud demum occurrit, ex quo mentem subeat velle Deos a se misero exigere pœnas.

Non ita vero qui ratione edocti didicere Deos securum ævum Lucret. II, v. 647. seq. agere, naturamque eorum esse a rebus nostris longius semotam, sejunctamque, quam ut erga nos aut gratia, aut ira tangantur. Sane vero si tangerentur, hominumque etiam vota exaudirent, quæso te, quam brevi perirent omnes homines, qui continuo, ut multa, ita perniciosa in se invicem comprecentur!

Quamobrem cave, ne reputans Deum esse immortale, beatumque animal, ut communis notio de Deo suggerit, quidquam ipsi attribuas, quod aut ab immortalitate alienum sit, aut a beatitudine abhorrens: sed quicquid de illo opinabere, fac, ut valeat salva immortalitate, beatitudineque constare.

Scilicet Dii revera sunt; evidens est enim illorum notitia, ut superius deduximus, at quales vulgo homines existimant, minime sunt; siquidem quales ipsos esse quibusdam adiunctis, seu proprietatibus opinantur, ut cum immortales, ac beatos dicunt; non Epic. Epist. ad Herod. ap. Laert. L. X, 77. tales deinde tuentur, sed aliis adiunctis contradicentibus eosdem negant, ut dum illos dicunt negotium habere, aut exhibere alteri, iraque & gratia teneri, quæ ut superius attigimus, præ imbecillitate, metu, opisque externæ indigentia contingunt.

Neque vero propterea erit, cur reputeris impius, quoniam impius revera est, non is, qui vulgares multitudinis Deos tollit; sed

is, qui

is, qui multitudinis opiniones Diis adhibet: non enim germanæ prænotiones sunt, sed suspiciones falsæ, ea, quæ Diis ab hominibus vulgo traduntur.

Lucret. lib. V. 119[illegible] Qua ratione quoque non impius est, qui pro Deorum metu ad nullum non lapidem, nullam non aram vertitur, nulla non delubra sanguine respergit, sed is, qui pacata mente omnia contuens, de Diis vera sentit, ac illos animo, non spe quidem pretiove inductus, sed ob majestatem eximiam, supremamque naturam colens, tuetur respectu ipsorum venerationem omnimodam, & genere etiam orationis utitur, quo suggeruntur cogitationes, ex quibus nullæ venerationi contrariæ opiniones nascuntur, neque adeo patitur id, quod ceteri, in quorum animis contrarietas hæc maximam ingenerat perturbationem.

## CAP. XXI.

### *De fortitudine circa metum mortis.*

vide Gassend. ad Laert. X. p. 1295-1298. QUod deinde hominum mentes teterrimo metu percellit, mors est, quoniam nescio quid sempiterni mali, juxta fabulas præstolantur, suspicanturque, (& quod est quidem mirum, in ipsa, quæ contingit, privatione sensus, quasi sit tunc ipsi forent aliqui,) ignari nempe, quæcunque sunt prodita esse in inferis, quæque etiam ante memoravimus, figmenta esse poetarum mera, aut, si quid veri contineant, id nobis contingere in vita; scilicet ob metus inanes, ob sollicitudines vanas, ob cupiditates insatiabiles, ob ceteras demum passiones, quæ sic miseros mortales excruciant, ut ipsorum vita plusquam Acherusia reddatur.

Tu igitur, ut hisce te eximere terroribus possis, reputare assuesce, nihil ad nos pertinere mortem, ac ejusmodi quidem argumento, quod, quicquid nobis sive boni, sive mali est, cum sensu sit: mors autem privatio sit sensus. Dissolutio nempe est mors, & quod dissolutum est, sine sensu manet, adeo proinde ut videatur mors esse contemptu perfacilis, quoniam agens mitis est, ac dolorem frustra minatur, ubi patiens est e medio sublatum.

Enimvero homines vulgares mortem refugiunt, interdum quidem, quasi dolorum maximum, interdum vero, quasi omnium, quibus in vita fruimur, cessationem. Abs re vero ipsum non vivere, seu non esse, terrori est; quoniam nihil vitæ in eo superest, ut dignoscere liceat, esse non vivere quidquam mali.

Quo fit, ut illi prorsus desipiant, dum cetera inter exhorrent, indignanturque se iri post mortem laniatum a feris, crematum ab igne, corrosum a vermibus; quippe, quod non videant nullos fore se, ut se lugere possint peremtos, laniatos, exustos, in putrorem versos: Itemque, dum ægre ferunt non versaturos se amplius cum uxoribus, cum liberis, cum amicis, nullum ipsis officium, nullum amplius præstituros: quippe, quod non ratiocinentur neque fore tum sibi ullum desiderium hujusmodi rerum.

Igitur, quod impium malorum maxime horrendum existimatur mors, nihil, sicuti dixi, ad nos attinet; quia, dum nos sumus, mors

non adest, & dum mors adest, nos non sumus; adeo proinde, ut neque ad vivos, neque ad mortuos perti-neat, quoniam alteros quidem non attingit, alteri vero nulli sunt.

Exquisita porro notitia, quod mors nihil pertineat ad nós, præstat, ut hac vita mortali fruamur, non quidpiam incerti temporis adiiciens, sed cupiditatem immortalitatis abiiciens. Nihil enim mali in vita est illi, cui egregie perspectum est nihil esse in vitę privatione mali. Adeo proinde, ut quemadmodum cibus, non qui plurimus, sed qui suavissimus est, deligitur: ita vitæ tempus, non quod longissimum, sed quod iucundissimum, fructuose captetur.

Neque vero ille non ineptus est, qui timere se mortem dicit, non quod præsens dum fuerit, mœroris quicquam afferat; sed quod, donec futura est, animum mœrore conficiat. Quod enim, quando præsens est, molestiæ nihil exhibet, id dum expectatur, nec quicquam contristat. Si quid certe in hoc negotio incommodi, aut metus est, morientis est vitium, non mortis; neque molestiæ quicquam est in ipsa, magis, quàm post ipsam; ac tam stultum est ipsam timere, quam senectutem; quoniam, quemadmodum senectus adolescentiam sequitur, ita mors ipsam senectutem.

Adde quod, saltem sperandum est, aut nullum fore in extremo illo anhelitu dolorem, aut, si sit, fore aliquantulum in ipsa brevitate solatii; quod nullus sit dolor longus qui sit magnus; ac persuasus esse quisque debeat, si ipsa animæ, corporisque distractio cum cruciatu fiat, se saltem post illum dolorem non posse dolere.

Ridiculus quoque est ille, qui juvenem admonet, ut honeste vivat, senem, ut honeste moriatur, quod hæc sejungenda non sint, sed una, eademque esse meditatio debeat honeste vivendi, & honeste moriendi. Quippe quod & iuveni possit mors immatura contingere; & seni tum vitæ aliquid superſit, tum qui postremus actus est, si pars etiam quædam, imo coronamentum vitæ.

Perspectum profecto esse utrique debet, tametsi possint homines parare sibi securitatem, ad cetera quod attinet: ad mortem tamen ipsam quod spectat, versari omnes quasi in civitate, quæ muris, & præsidio careat.

Potest aliunde iuvenis felix mori, qui cogitet, nihil aliud se in longiore vita manere, quam quod eatenus viderit, fueritque expertus. Potest & senex vivere infelix, qui commoda vitæ, quasi in vas pertusum congesta, præterfluere sinat, nec rerum satur unquam sit, ut tanquam vitæ satur conviva cedere, capereque velit æquo animo quietem securam.

Cave scilicet, ullum senem esse felicem reputes, quod senex diem obeat, sed si bonorum quidem sit satur, ac plenus.

Denique multo magis ineptus, ridiculusque ille est, qui esse ait bonum, non nasci;

Aut natum, Ditis quamprimum claustra subire.

Si enim persuasus hoc dicit, quamobrem non statim abit ipse e vita? id nimirum illi, si rem modo serio deliberavit, promtum est.

Sin joco dicit, insane facit, cum hæ non sint res, quæ jocum admittant. Sed nempe est in ipsa vita quidpiam per se amabile; illique idcirco non minus objurgandi sunt, qui mortem concupiscunt, quam qui ipsam timent. Quid esse profecto tam ridiculum potest, quam mortem appetere, cum vitam tibi inquietam feceris metu mortis? aut præ vitæ tædio currere ad mortem, cum genere vitæ effeceris, ut currendum ad mortem foret.

Id itaque potius curandum, ne tibi vita displiceat, neque dimittere eam velis, nisi te aut natura vocet, aut intolerabilis quispiam casus. Ob id scilicet meditandum est, utrum commodius sit, vel mortem transire ad nos, vel nos ad mortem. Etenim malum quidem est in necessitate vivere, sed in necessitate vivere necessitas nulla est, quando natura nobis dedit, ut aditum ad vitam unum, ita exitus ab ea multos.

Quanquam, si interdum contingat, ut fugiendum, ac properandum sit, antequam aliqua vis major interveniat, quæ libertatem auferat recedendi: nihilominus nihil est tentandum, nisi cum apte poterit tempestiveque tentari. Cum vero illud tempus, quod fuerit diu captatum, venerit, tum demum exsiliendum sit. Neque enim par est dormitare illum, qui de fuga cogitat, neque non debemus sperare etiam ex difficillimis salutarem exitum; & nec properemus ante tempus, nec cessemus in tempore.

## CAP. XXII.

*De fortitudine adversus corporis dolorem.*

AD dolorem quod attinet, corporeum intelligimus; qui profecto solus, ut mali, ita summi mali rationem haberet, nisi nostra culpa dolorem animi accerseremus, qui evadat etiam, ut jam ante dictum, corporeo deterior. Nam concepta quidem animo ægritudo, propter jacturam divitiarum, honorum, liberorum, & similium, ejusmodi est, ut plerumque habeatur, ac fiat gravissimis doloribus corporis intolerabilior: sed nimirum id nostra opinione, quæ si foret sana, non commoveremur, quatenus ista extra nos sunt, neque nos revera attingunt, sed interveniente solum opinione, quam ipsi nobis facimus, sicque intelligeremus nullum esse revera malum, præter dolorem corporis, nihilque dolendum esse animo, quod sit a dolore corporis præsenti, futurove sejunctum. addde Gassend. ad Laert. X. p. 1498.

Itaque, qui sapiet, cavebit, ne quempiam dolorem in corpus accersat, quidpiamve committat, unde sibi dolor creari possit in corpore, nisi aut declinandi gravioris doloris, aut comparandæ uberioris voluptatis gratia id fiat, ut jam aliquoties inculcatum est. Quo magis mirari par est, esse aliquos, qui ceteris habentibus sanitatem, quæ status est indolentiæ, tamquam rem bonam, defendant tamen esse habendam ut aliquid indifferens; quasi vero quis, nisi verbis ludat, aut plane desipiat, reputare pro eodem possit, in dolore esse, & dolore vacare.

Porro autem, si necessitas quæpiam aut naturalis constitutionis, qua corpus morbis obnoxium sit, aut factæ exterius violentiæ, quam, ut se res humanæ habent, defugere interdum non liceat, (nam sapientem quoque, ac innocentem virum posse aliquando & in jus vocari, & damnari, & cædi, & varie torqueri, manifestum est,) dolorem quempiam fecerit; tunc sapientis est ipsum ferre æquo, fortique animo; ac patienter aut solutionem, aut relaxationem ejus præstolari.

Non diu certe perseverat in corpore continens dolor; sed summus quidem, valdeve intensus, brevi desinit; aut enim solvitur, succedentemque habet, nisi omnimodam indolentiam, saltem mitigationem magnam; aut solvit, sicque finitur morte, cum quod ab ea doleat, nihil sit. Qui dolor vero moram trahit, diuque in corpore perdurat, is sane & remissior est, & non multos est dies, imo horas non multas, absque aliqua in ipso corpore voluptate.

Et non ne observare licet, prolixiores morbos plus habere per intervalla jucundi, quam mali, dolentiave in corpore? Quippe ut taceam, accensam sitim voluptatem bibendi augere, & refectioni locum dant, & interfandi vires patiuntur, & ludos aliquos admittunt, & longas plerumque habent intercapedines, per quas vacare etiam & studiis, negotiisque concedatur. Unde & planum fit dolorem, ut in gravitate brevem, sic in longinquitate levem esse solere; ut ejus magnitudinem celeritas, diuturnitatem allevatio consoletur.

Quamobrem illud sæpe facturum, neque intolerabilem, neque perpetuum esse dolorem; quod omnis videlicet sit, si longus, levis; si magnus, brevis; dummodo finium ipsis rebus præscriptorum memineris, nihilque adjeceris ex tuo opinatu, quo graviorem ducas, ac facias, quam sit; & te querelis oneras, impatienterque exasperans, eo solum proficias, ut intolerabiliorem reddas: cum ex opposito nihil sit, quod dolorem allevat magis, quam ipsa cõstantia, & quasi patiendi assuetudo; ex qua fit, ut sapiens, qui sæpius laborat, etiam per ipsam mali corpus afficientis, vehementiam, letari interdum, ac ridere possit.

Testem profecto de nostro Metrodoro id possumus, qui semper intrepide sese ut adversus mortem, ita adversus dolorem gessit. Nam de nobis quidem nihil attinet dicere, quibus familiare propemodum est, eos adesse morbos vesicæ, ac intestinorum, ut nihil ad eorum magnitudinem accedere possit, & compensatur tamen cum ipsis omnibus animi lætitia, quam capimus memoria rationum, inventorumque nostrorum, eaque constantia, qua beatos habere dies illos non desinimus, quibus hujuscemodi morbis, ac doloribus torquemur.

Atque hæc quidem causa est, cur superius dixerimus sapientem, tametsi torqueatur, posse nihilominus esse beatum; quoniam & quam necessitatem frangere non potest, patientia emollit; & quantum potest animum suum a dolente corpore abducit, cumque ipso amplius, quam cum fragili, querulaque parte versatur. Cogitat, quid honeste, quid fortiter fecerit; & memo-

memoriam in ea, quæ maxime miratus est, quæque maxime delectarunt, spargens, recreat se bonis præteritis, adversus quæ longe abest, ut sit insipientium more, ingratus.

Cogitat & se nihil posse facere e virtute, ac sapientia, quam profitetur dignius, quam si dolori, hoc est, rei, omnium toleratu difficillimæ, non succumbat, si se erectum teneat, si patientia hostem tam in sensum eiiciat; si victoriam demum reportet, cujus deinceps recordatio sit jucundissima futura; at post indolentiam præsertim, quæ successura sit, tanto gratior, quanto, ut ex mari procelloso, evaserit in portum tranquillum.

Quod si in gravi etiam dolore sublevamenta sapienti non desunt; quid esse putemus de leviore dicendum, aut de privatione quoque alicujus vel membri, vel sensus? Haut abs re fuisse dictum est, atque tamen si fuerit oculis captus, fore nihilominus felicem. Videlicet, si ipsa nox beatam vitam non adimit, cur adimat dies, cum similis est nocti? Utcunque vero tunc aliquæ corporis voluptates absint, & variæ tamen adhuc supersunt; & quod caput est, ipso animo multis delectari, variisque modis licet, etiamsi non adhibeatur adspectus.

Etenim, cum ipsi sapienti vivere cogitare sit; ejus cogitatio non ferme ad investigandum adhibet oculos advocatos. Illi certe, cujus doctrinæ dedimus aliquando nomen, sine varietate colorum licebat vivere beate; sine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri animi etiam aciem aspectu oculorum arbitrabatur; & cum alii sæpe, quod esset ante pedes, non viderent, ille in infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret.

## CAP. XXIII.

### *De fortitudine adversus animi ægritudinem.*

Dixi jam, ægritudinem, quæ animo concipitur, concipi solere ob ea, quæ reputantur mala externa; quibusque opposita bona maxime concupiscimus. Res etiam adversas, & prosperas, seu secundas dicunt; observareque licet eundem esse humilem, abjectumve animum, qui ut adversis deprimitur, ita prosperis insolescit. Quo fit, ut quæ forent hoc loco dicenda speciatim de malis, ægritudinem inducentibus, & quorum occasione fortitudine opus est, intelligi debeant ex iis, quæ attigimus circa bona, quorum cupiditates sunt, & propter quæ est temperantia opus.

Gassend. ad Laert. pag. 1421. maxime ex Cicer. Tusc. Qu. III.

Id hic generatim sufficiat, quod obiter quoque insinuavimus, esse ægritudinem non natura, sed opinione mali, qua necesse est, omnes esse in ægritudine, qui se in malis esse arbitrentur, sive illa ante provisa, & expectata sint, sive intervenerint. Nam, qui fit, ut non minus lætetur, cujus filius sit interfectus, sed id tamen nesciat, quam si revera viveret, ac pari ratione, si famæ detractum, si peculium furto ablatum, atque ita de ceteris? Annon id facit opinio sola? Nam si natura faceret, quo momento filius abesset a vivis, exprimeretur jactura sensus in paterno animo, neque secus jactura famæ, peculiique sentiretur.

Quare, ne ægritudinis sensum

expri.

exprimatur in animo, necesse est, opinio, non natura, interveniat. Quoque minus dubites, si ille filium suppositititum esse germanum existimet, & germanum pro filio non habeat; renunciata germani morte, nullatenus movebitur; renunciata suppostitii, vehementissime angetur: idque proinde non natura, sed opinio sola præstabit.

Exinde vero hoc saltem constat, ista, quæ nos angunt, non esse nobis re ipsa mala; quia extra nos sunt, neque per seipsa attingunt, sed opinione solum nostra in nobis mala fieri; & ex hoc esse, cur jam ante rationem esse dixerimus, quæ vitam jucundam, seu beatam faciat, dum opiniones abigit, ob quas animum occupat perturbatio. Scilicet ægritudo est, qua & animus conturbatur, & illius tranquillitas, jucunditasque evertitur.

At quomodo tandem potest ipsa ratio hasce opiniones expellere? Nempe, quatenus, ut est ante dictum, comparat se sapiens adversus fortunam. Hæc quippe externa, quæ opinamur bona, quorumque jactura ægritudinem in animis parit, fortunæ quoque bona dicuntur, quod nostra revera non sint, sed pro ipso fortunæ arbitrio adesse, & abesse possint.

Unde & sapiens ista habet non magis sua, quam aliena; neque ipsa sic possidet, quin sit ad eorundem amissionem comparatus. Quippe opinionem illam exuit, qua bona hujuscemodi reputantur falso, ut propria, ita inamissibilia; illam vero induit, qua esse ambigua, & fluxa, uti & sunt, persuasum habet; sicque providet, quid acturus sit, si facere se contingat illorum jacturam; providet, inquam, ne tunc se inani mœrore conficiat; sed æquo ferat animo, id a fortuna repeti, quo[illegible] dederit, nisi commodato.

Iis sane, qui hujusmodi *bonis pri*vari opinantur malum, id gravissimum accidit, ut quæ possent saltem leviora præmeditando fieri, & quasi vetustate minui, præmeditatio, malum adaugeat, sicque stulta fiat cogitatio mali, quod futurum sit, aut fortasse ne futurum quidem. Scilicet eo casu odiosum est satis malum omne, cum venerit, &, si forte non venerit, frustra omnino suscipitur miseria voluntaria, ac efficitur, ut quis nunquam non aut excipiendo, aut cogitando malo angatur. Nam & qui semper cogitet, posse sibi aliquid mali, adversive accidere, evadet hoc illi sempiternum malum.

Quod si sapienti quoque contingat, ut propter factam aliquam in usu bonorum fortunæ assuetudinem, illam opinionem non prorsus expungat, sicque saltem exigua ipsi fortuna interveniat, ob quam in ægritudinem saltem mediocrem incidat, unde & fieri possit, ut mœreat: tunc ægritudinis levatio in iisdem duabus rebus ponitur, quæ paulo ante sunt circa dolorem insinuata: videlicet avocatione a cogitanda molestia, causæ, quæ illam induxit; & revocatione ad ea, quæ agnovit esse animo grata, & jucunda.

Potest siquidem animus sapientis parere rationi, & quo duxerit, illam sequi. Vetat autem ratio intueri ea, ex quibus creetur, foveaturque molestia; sicque abstrahit ab acerbis cogitationibus animum, ut il-

ut illum convertat ad cogitandum bona, futura, aut præterita, eaque præsertim, ex quibus noverit illum delectari.

Ac facile quidem molestæ, importunæque cogitationes recurrunt, sed isti tamen avocationi, revocationique insistendum est; quoniam animus jugi deflexione assuescit paulatim molestiam quasi eluere, neque alia ratione tempus ægritudinem sensim minuit, quam quia exhibet occasiones varias, quibus distractus animus assuescit sensim non cogitare, & quasi oblivisci ea, quæ ægritudinem induxerunt.

## CAP. XXIV.

### *De justitia universe.*

Gassend. ad Laert. X. pag. 1519.

JUstitia restat, quam totam esse ad alterum prædiximus; quamque idcirco homini, ut in societate degenti convenire constat. Et certe ipsa est quasi communis nexus, sine quo nulla constare potest societas, ... , qua unicuique id, quod est ipsius, tribuitur, & ne ulli fiat injuria, cavetur.

Atque ut exordiar ab eo, unde dicere de ceteris virtutibus cœpi, haut absimilia profecto sunt, quæ dici quoque de ipsa possunt. Ut enim prudentiam, temperantiam, fortitudinem copulatas esse docui cum voluptate, ut ab ea nullo modo nec divelli, nec distrahi possint; sic de justitia judicandum est, quæ non modo nunquam nocet cuiquam, sed contra, semper alit aliquid, tum vi sua, atque natura, quod tranquillet animos; tum spe nihil earum rerum defuturum, quas natura non depravata desideret.

Et quemadmodum temeritas, & libido, & ignavia semper animum excruciant, & semper sollicitant, turbulentæque sunt; sic cujus in mente injustitia consedit, hoc ipso, quod adest, non potest turbulenta non fieri; etsi vero molita quidpiam est, quamvis occulte fecerit, nunquam tamen confidet id fore semper occultum. Quod si qui satis opibus hominum sibi contra conscientiam septi esse, & muniti videantur, Deorum tamen numen horrent, easque ipsas sollicitudines, quibus eorum animi noctes, atque dies exeduntur, a Diis immortalibus supplicii causa importari putant.

Quæ autem tanta ex improbis factis, ad minuendas vitæ molestias accessio fieri potest; quanta ad augendas, tum ex conscientia factorum, tum pœna legum, odioque civium? Et tamen in quibusdam neque pecuniæ modus est, neque honoris, neque imperii, nec libidinum, nec epularum, nec reliquarum cupiditatum, quas nulla præda unquam improbe parta minuit, sed auget potius, atque inflammat, ut coercendi magis, quam dedocendi esse videantur.

Invitat igitur vera ratio bene sanos ad justitiam, æquitatem, fidem; neque homini infanti, atque impotenti injuste facta conducunt; qui nec facile efficere possit, quod conetur, nec obtinere, si effecerit: & opes, vel fortunæ, vel ingenii liberalitati magis conveniunt; qua qui utuntur, benevolentiam sibi conciliant, &, quod aptissimum est ad quiete vivendum, caritatem; præsertim, cum omnino nulla sit causa peccandi.

Quæ enim cupiditates a natura profi-

proficiscuntur, facile explentur; sine ulla injuria, quæ autem inanes sunt, his parendum non est. Nihil enim desiderabile concupiscunt, plusque in ipsa injuria detrimenti est, quam in iis rebus emolumenti, quæ injuria parantur. Itaque ne justitiam quidem recte quis dixerit per seipsas optabilem; sed quia jucunditatis vel plurimum afferat. Nam diligi, & carum esse, jucundum est, propterea, quia tutiorem vitam, & voluptatem efficit pleniorem. Itaque non ob ea solum incommoda, quæ eveniunt improbis fugiendam improbitatem putamus, sed multo etiam magis, quod cujus in animo versatur, nunquam sinit eum respirare, nunquam acquiescere.

Ac possent hæc quidem pone esse satis; sed subiiciendum tamen est quidpiam, partim de jure, sive justo, a quo justitia denominatur, ut intelligi plenius possit, quæ illius origo sit, [illegible] partim de quibusdam justitiæ affinibus virtutibus; cujusmodi sunt, beneficentia, gratitudo, pietas, observantia, & amicitia.

## CAP. XXV.

### *De jure, seu justo, a quo justitia dicta.*

adde Gassend. ad Laert. X. p. 1525.

In primis ergo, cum justitiam esse ex eo dictam constet, quod jus alii debitum tueatur, seu id, quod justum est, exequatur; operæ pretium est, quid sit id, quod jus, justumve censere oporteat. Itaque, cum justitia ad commune bonum sit excogitata, necesse est, jus, seu justum, quod spectat, tale quidpiam sit, quod sit omnibus, singulisque, qui sunt societatis participes, bonum. Et quia unusquisque id, quod sibi est bonum, natura duce expetit, hinc necesse est id, quod est jus, seu justum quidpiam secundum naturam sit, ac naturale idem dicatur.

Nequicquam vero hoc non attingo, quoniam contingit aliquando, ut id quasi jus, sive justum in societate præscribatur, quod societatis bonum non sit; ac ideo, quia non naturale, sive contra naturam sit, non debeat, nisi ex abusu, ac nomine tenus justum reputari; cum id, quod veram juris, seu justi naturalis rationem habet, ejusmodi sit, ut sicuti præscribitur, ita sit revera utile, ac bonum.

Quocirca, ut proprie loquamur, jus, sive justum naturale nihil aliud est, quam tessera utilitatis, ut homines ad invicem, neque lædant, neque lædantur, atque adeo secure degant; quod, ut bonum est, sic natura duce quisque expetit.

Utile proinde, ac bonum pro eodem hic habeo, censeoque, ut quidpiam sit justum, seu jure servetur, duo quædam exigere; unum, ut utile sit, seu ad communem utilitatem, hoc est, securitatem, spectet; alterum, ut sit communis societatis consensu præscriptum.

Neque enim quidpiam est complete justum, nisi quod societas communi consensu, communive pacto inito consueverit servandum ...

Hinc fit, ut utrique istorum juris, sive justi nomen tribui soleat, siquidem tam utile ipsum dicitur jus esse, quod cui competit, seu quod illi tribui, servarive est justum, quam ipsa communis societatis pactio, præscriptione, quæ

& di-

so dicitur lex, ut puta, quasi id, quod est cuique utile, seu justum, præscribens.

Ac sunt quidem, qui existiment ea, quæ justa sunt, esse secundum propriam, invariatamque naturam justa, & leges non ipsas justa facere, sed duntaxat præscribere juxta eam, quam habent naturam: verum res non ita se habet, sed eo potius modo, quo se habere observatur ceteris in rebus, quæ sunt utiles, ut quæ ad sanitatem spectant, sexcentæque similes; quæ utiles istis, noxiæ illis sunt, sicque a scopo sæpe numero tam communiter, quam privatim aberrant.

Et certe cum res unaquæque qualis est secundum naturam, talis esse deprehendatur ubique, semper, & omnibus, quippe quod invariata sit; quæso ea, quæ justa hi dicunt, ubivisne, ac semper, atque omnibus justa sunt? Annon pervidere deberent ea, quæ sunt legibus constituta, ac idcirco legitima, iustave habentur, non esse perinde apud omnes nationes constituta, atque recepta; sed partim quidem ut indifferentia a plerisque negligi, partim ut noxia a ceteris respui, ac iniusta censeri? Annon & sunt quidam, qui ea, quæ non sunt universe utilia, talia nihilominus putent, atque idcirco ea complectantur, quæ accommodata universe non sunt, si respectu modo suæ societatis deprehendant esse utilia, & generale aliquod præ se ferre emolumentum?

Quamobrem dici ad summum potest, illud universe esse iustum, habereve iusti naturam, quod utile est, sive conforme prænotioni de iusto, quæ est mox descripta; non speciatim quidem, ut utilitas apud varias gentes variatur, ita & iustum varium est, sive uni quidem sic habitum iustum, ut alteri iniustum sit. Atque ita dum quæritur, idemne apud omnes sit ius, sive iustum? Respondeo, generatim quidem esse idem, utile nempe aliquid in societate mutua, verum spectatis singulatim tum regionibus, tum causis apud varias variis, fieri, ut non sit idem apud omnes.

Atque, ut ex istis aliqua deducam, quod experientia comprobatur utile esse ad mutuos usus in societate, communive eorum participatione, quæ esse iusta reputantur, illud iusti naturam habet, si tale quidem sit, ut utilitas ad omnes attineat. Quod si tale quidem quis ponat, & contingat tamen, ut mutuo societatis utile non sit, id iam veram iusti naturam non habet.

Rursus &, tametsi interdum ex eo, quod fuerit justum habitum, utilitas excidat; si nihilominus interdum utilitas aliqua sit, ac idcirco ad prænotionem, quæ habetur de justo, congruat: id pro illo quidem tempore est justum: certe apud illos, qui sese inani loquacitate non confundunt, ac res humanas generalius perspiciunt.

Denique, ubi nulla nova interveniente rerum circumstantia, ea, quæ fuerint habita justa circa actiones hominum, deprehenduntur ad prænotionem habitam de justo non congruere, ipsa justa haudquaquam sunt. Ubi vero novatis rebus, ea, quæ fuerant decreta justa, desierunt esse utilia, ea quidem illic extitere justa, quanto tem-

tempore ad mutuam concivium societatem permansere utilia; deinceps vero statim atque desierunt esse utilia, desierunt simul esse justa.

## CAP. XXVI.

*De origine juris, ac justitiæ.*

adde Gassend. ad Laert. X. 1517. maxime ex Cicerone & Lucretio.

SEd, ut rem altius, & ab ipso, quod ajunt, ovo repetamus, tam videtur esse antiquum, esse quidpiam ius, sive iustum, & coli iustitiam apud homines, quam sunt ipsæ eorum inter se societates antiquæ.

Nam initio, cum homines ferarum ritu vagarentur, & incommoda varia, tum a feris, tum ab inclementia cœli paterentur; præstitit quidem naturalis quædam eorum inter se conciliatio, (quippe ob formæ, animæque, seu morum convenientiam,) ut in varios cœtus coirent, ac illis etiam incommodis aliquatenus providerent, (exstructis videlicet casis, comparatisque, tum adversus feras, tum adversus ipsum frigus, munimentis,) verum, quod unusquisque bene sibi esse, quam alteri mallet, ideo frequentes erant rixæ de cibatu, de feminis, de commodis aliis, quæ sibi invicem præripiebant; quousque animadverterunt, non posse se tuto, commodeque degere, nisi pacta inirent de non lædendo se invicem; atque ita quidem, ut, si quis alterum læderet, ceteri lædentem punirent.

Itaque is fuit primus societatis nexus, qui ut supposuit, posse unumquemque, habere quidpiam proprium, seu quod posset dicere suum, utpote aut tanquam primo usurpatum, aut tanquam donatum, pretiove acceptum, aut tanquam propria arte quæsitum, aut aliis modis habitum, ita fecit illud unicuique ratum. Talis autem nexus, sive talis pactio, nihil aliud fuit, quam communis lex, ad cuius observationem omnes tenerentur, & quæ attribueret, faceretve certum unicuique ius, sive facultatem utendi re sua; unde & ipsa quoque lex fuit quasi commune, sicuti iam dixi, societatis ius.

Ac non memoro quidem, ut tota societas suam illam puniendi, sive coercendi facultatem in aliquos paucos sapientes, ac bonos, aut etiam in unum, qui sapientissimus, optimusque omnium reputaretur, transtulerit: adnoto solum, illos fuisse in societate habitos justos, colentesve justitiam, qui juribus suis contenti, aliena non invaderent, sicque nemini facerent injuriam; illos vero injustos, iniustitiamve exercentes, qui non contenti iuribus suis, in jura aliorum involarent; sicque aut rapiendo, aut cædendo, aut alia ratione nocentes, lædentesve iniuriam ferrent.

Et fuit quidem aliquousque tranquilla, ac felix vita hominum, & maxime quidem sub illis sive pluribus, sive uno, qui essent principes, seu reges sapientissimi, optimique, qui toti in eo, ut saluti, utilitative publicæ prospicerent, varias condiderunt, sanxeruntque leges consentiente populo, quibus dissidia apud ipsum, aut exoritura anteverterent, aut componerent, si exorirentur. Attamen, ut se res hominum habet, transit demum res in principes, ac reges non bonos, unde illis dejectis, aut etiam occisis, rediit summa

ad

ad populum; atque adeo ad turbas, ob factiones varias ambientium imperium; quousque inimicitiis, dissidiisque languens populus, ac defessus vi ævum colere, regi iterato a magistratibus, seu principibus voluit; tametsi, cum antea principum arbitria utplurimum pro legibus essent, leges, quibus vellet regi, pepigit, sicque iterum recidit sub leges, hoc est, arcta iura.

Sed ne ad posteriora tempora descendam, ac præcipuum caput duntaxat attingam, quod spectat ad tuendum vitam, cuius, (ut carissimæ omnium rei,) cura fuit ab initio, ut securitas pactionibus, seu legibus communibus stabiliretur: videntur sapientissimi, optimique illi legum conditores, cum ad vitæ societatem, & ad ea, quæ homines invicem agunt, attenderent, declarasse, nefandum esse hominem interficere, & ignominiam non vulgarem, (utpote quæ esset coniuncta cum minutione capitis,) interfectori decrevisse; partim quidem permoti illa, de qua iam dixi, hominum conciliatione inter se, qua attenta homines deberent non perinde esse proclives ad consimile sibi animal, ac dissimile aliquod ex iis, quorum cædes est concessa, perdendum; partim vero, & maxime considerantes, aversari id homines debere, quod nullius foret ad vitam transigendam emolumenti, ac malignitati solum verti posset.

Nempe, ab initio, illis quidem, qui ad constitutionis utilitatem attenderunt, nulla alia fuit opus caussa, qua se ab agendo quidpiam simile continerent: qui vero non potuere satis, cuius ea momenti esset, capere, ii magnitudinis pœnæ metu a patrandis temere mutuis cædibus abstinuerunt; quod utrumque etiamnum deprehenditur evenire. Etenim, qui considerant, quanta sit huiusmodi constitutionis utilitas, ii comparati ad constantem illius observantiam sunt; qui illius vero intelligendę capaces non sunt, ii se comparant præ metu pœnarum, quas leges intentant, quasque prudentiores quidam adversus illos, qui utilitatis rationem non habent, statuerunt; & maiore quidem parte multitudinis illas, ut legitimas, admittente.

Quippe a principio nulla earum legum, quæ sive scriptæ, sive non scriptæ, ad nos usque pervenerunt, transdendæque porro in posteros sunt, violentia quadam constitit; sed mero, ut iam dixi, utentium consensu. Videlicet mentis prudentia, non robore corporis, aut imperioso obsequio multitudini praecelluere, qui has leges populum rogarunt; ac illud quidem, inducendo nonnullos ad considerandum, quid utile foret, (cum prius, ut par erat, non assequerentur,) aliis vero ipsa pœnarum magnitudine metum incutiendo. Neque enim alio uti medicamine ad curandum imperitiam utilitatis licuit, quam pœnæ a lege præscriptæ timore. Nam & nunc quoque ipse est solus, qui vulgares homines in officio continet, obstatque, ne quidpiam seu in publicum, seu in privatum commodum peccent.

Quod si omnes possent, peræque & nosse, & mente tenere, quid utile sit, legibus hautququam egerent, sed suapte sponte ab iis caverent, quæ illæ vetant, agerent, quæ

illæ præscribunt, quando vel agnoscere solum quid utile, quid noxium sit, ad inducendum horum quidem fugam, illorum vero prosecutionem, satis, superque idoneum est. At vero comminatio pœnæ adversus eos, qui, quid expediat, non prospiciunt, est necessaria. Siquidem pœna impendens cogit eos refrenare impetus, qui ad actiones pravas instigant, ac ad agendum, invite licet, quod sit consentaneum, compellit.

Exinde sane legumlatores, ne cædem quidem involuntariam esse omnis mulctæ immunem statuerunt; non quidem, ne affectantibus voluntariam, prætextum ullum facerent imitandi ex proposito, quæ alii facerent inconsulto: verum, ne non satis cautionis, atque diligentiæ hac in parte adhiberent, sicque bene multa, quæ revera forent involuntaria, contingerent. Neque enim hoc non utile fuit propter easdem causas, ob quas se mutuo conficere voluntaria cæde prohibitum fuit. Adeo proinde, ut cum eorum, quæ involuntarie fiunt, alia quidem ex causa improvisa, inobservabilique humanæ naturæ contingant; alia vero ro ex nostra negligentia, incogitantiaque imminentis discriminis: idcirco volentes avertere socordiam, quæ in proximorum cederet perniciem, ne ipsam quidem involuntariam actionem abire omnino inultam constituerint, sed peccati hujus frequentiam pœnarum metu sustulerint.

Quin etiam ego existimo, cædes quoque lege permissas non aliam ob causam esse factas solitis illis per lustrationes expiationibus obnoxias, (idque eorum consilio; qui isthæc præclare invexerunt primi,) quam quod esset in animo, homines a cæde voluntaria nimis quam frequenti absterrere.

Siquidem homines vulgares aliquo passim indigebant, quo, ne temere facerent, quod non conduceret, arcerentur. Unde primi illi id intelligentes, non pœnas modo decreverunt, sed alium insuper timorem, cujus non esset ratio perinde patens, incusserunt; declarando illos, qui quomodocunque interfecissent hominem, nisi lustrationibus uterentur, fore impuros.

Nimirum pars animæ bruta, seu in qua affectus, passionesve sunt, diversimode quasi instituta accessit ad eam, quæ passim jam viget, mansuetudinem, adhibitis contra affectus impetus ferini iis cicurandi artibus, quibus ab initio usque usi sunt, qui multitudinem rexerunt: ex quibus est illud intercetera, ne homines se invicem indiscriminatim occidant.

## CAP. XXVII.

*Quos inter jus, ac justitia versetur:*

His vero dimissis, cum requiri possit, ob ea, quæ præmissa sunt, inter quosnam tam ipsum jus, ejusque violatio, quæ injuria est, quam ipsa justitia, & quæ injustitia illi est opposita, reperiatur; idcirco res intelligenda ex comparatione inter homines, ceteraque animalia est. adde Gassend. ad Laert. l. p. 1916

Quemadmodum igitur inter quæcunque animalia convenire non potuit, ut nec læderent, nec lederentur ad invicem, nulla est iuris, iniuriæve, seu justi, & injusti ratio: pari modo, neque

est ul-

est ulla censenda inter eas nationes, quæcunque non potuere, aut noluere, ut ad invicem neque læderent, neque læderentur, pacisci.

Etenim justum, sive jus, quod servare justitia est, nisi in mutua societate non est; justitiaque adeo bonum est societatis, quatenus quisque sociatorum potest secure degere, expersque ejus anxietatis, quam continens metus nocumenti creat, ex eoque fit, ut quæcunque animalia, aut quicunque homines inire non possunt, aut nolunt societatem inter se, neque adeo quicquam pacisci, tali bono careant, sive nullo juris, justitiæque vinculo, quo securi degant, inter se teneantur. Unde & fit, ut non alia ipsis securitatis ratio supersit, quam ne lædantur, sic lædere, ut etiam lædi, cum læserint, non possint.

Quare &, sicut, dum animalium, quę nihil inter se pepigerunt, unum lædit aliud, dici quidem potest esse illi noxium, inferreve ipsi nocumentum, aut noxam: at non tamen esse respectu illius injustum, inferreve ipsi injuriam, quia nullo jure, nullave pactione, aut lege de non lædendo ipsum, tenetur: eadem ratione hominum quoque, inter quos nulla pactio, societasve intervenit, si unus lædat alium, is dici quidem potest nocens, noxamve, aut damnum afferens, verum non injurius, seu injuriam faciens, quod nulla pactio, aut lex sit, qua ad non lædendum teneatur.

De animalibus autem loquor, non quasi sint aliqua, etiam ex gregalibus, sociatim viventibus, quæ pacta ineant inter se, ne ad invicem lædant, aut lædantur; sicque possint ad invicem, justa, si non lædant, injusta, si lædant, censeri; sed quasi exinde intelligi possit, inter homines quoque ipsos justitiam per se nihil esse, quatenus reperitur solum in mutuis societatibus, pro ea cujusque regionis amplitudine, in qua possunt pacta de non inferendo, accipiendove nocumento iniri; cum alioquin & in homine solitarie spectato sit nulla; & quæ in una societate justitia est, in alia plerumque, ob pactiones contrarias, injustitia habeatur.

An vero inter homines, & ipsa animalia intervenire justitia potest? Non sane: Nam si homines quidem possent, ut cum ipsis hominibus, ita & cum aliis animalibus stipulatione quadam pacisci, ne nos occiderent, neque ipsa quoque a nobis indiscrete occiderentur; eatenus prȩclare liceret ipsa inter, & nos justi rationem exigere; illud videlicet ad mutuam securitatem dirigeretur: At quandoquidem fieri nequit, ut quæ sunt rationis expertia animalia, communi nobiscum lege contineantur; hanc ipsam ob causam non licet id adipisci utilitatis, ut majorem securitatem ex aliis animalibus, quam ex ipsis rebus inanimatis impetremus. Adeo proinde, ut quo reddi securi ab ipsis possimus, supersit utamur ea facultate, quæ in nobis est eorum necandorum.

Requires fortassis obiter, qui fiat, ut animalia etiam occidamus, a quibus nihil esse, quod timeamus, videtur? Nempe possumus id plerumque facere præ intemperantia, & feritate aliqua; uti & præ immanitate, crudelitateque sȩvimus in eos homines, etiam extra

societatem positos, a quibus fieri potest, ut nihil timeamus. Sed videlicet aliud est peccare adversus temperantiam, illiusve species, cujusmodi est, ut sobrietas, sic lenitas, seu mansuetudo, sive mavis humanitas, naturalisve bonitas; aliud peccare adversus justitiam, quæ inita pacta, legesve supponit.

Nec vero illud dici potest, concessum nobis lege esse interficere aliqua ex illis animalibus, quæ naturæ humanæ exitialia non sunt, aliove quopiam modo hominis vitę non officiunt. Neque enim, ut fatear, ullum est ex lege concessis, quod permissum excrescere in multitudinem ingentem nobis perniciosum non sit, retentum vero ea copia, qua vulgo habetur, usus aliquos non præbeat ad vitam.

Etenim & ovis, & bos, & quodcunque aliud hujuscemodi, donec mediocri copia habetur, subsidia nobis aliqua vitæ transigendæ necessaria confert; at vero, si in quantamcunque, & superantem eum modum, quo iam possidetur, ubertatem abeat, tunc sane vitæ nostræ officiat, aliud quidem usum suo robore, (quippe ad id pro indole sibi nativa comparatum,) aliud autem, vel ex eo, quod alimentum nobis ex terra proveniens absumat. Quocirca & propter hanc causam vetitum non est hujuscemodi animalia interficere, & eo quidem modo, ut retineatur copia, quanta ad usum vitæ conducit, quantumque regere difficile non sit.

Non enim, ut circa leones, lupos, universeque cetera, quæ vocari solent fera animantia, (sive illa parva, sive magna sint,) accipere non possumus quandam ex ipsis multitudinem, quę reservata, quodpiam subsidium ad vitam necessarium præstet; ita se habet res circa boves, equos, & universe cetera, quæ appellitantur mansueta animalia. Ex quo fit proinde, ut *illa* exterminemus penitus; ex his *id solum*, quod consentaneum modum excedit, rescindamus.

Unde, ut hoc quoque breviter attingam, reputandum est, etiam apud illas nationes, in quibus delectus circa esum animalium est, fuisse rem apposite ad iam dictas causas præscriptam ab iis legibus, quæ sunt his similia complexæ; & quod ad ea spectat, quæ edendo non sunt, fuisse utilis, ac non utilis habitam rationem, & ob causam quidem cujusque regionis specialem, cuiusque constitutionibus adhærere nos, qui illic locorum nusquam degimus, nihil est necesse.

Ex hisce autem intelligimus, haut abs re fuisse habitum, etiam ab usque initio, circa occisionem aliorum animalium, ipsorumque hominum discrimen. Nam ad alia quidem animalia quod spectat, consentaneum est primos illos, qui ea, quæ forent nobis agēda, vel non agenda, prescripserunt, occidere nullum vetuisse. Etenim quæ utilitas respectu eorú percipitur, ex ritu agendi contrario, (illi scilicet, de quo ante circa homines diximus,) est nata. Neque enim poterat fieri, ut homines mutuo cum animalibus viventes, tuerentur sese incolumes, nisi conarentur illa propulsare.

At vero ad ipsos homines quod attinet, cum aliqui ex iis, qui erant pro illo tempore venustiores (iique, qui, ut probabile est, suasores fuere primæ illius pactionis, de qua ante

te dictum, ) recordarentur, ut illicmet, ubi mixtim vivebatur, a cæde interdum abstinuissent, propter ipsam, quæ ad salutem attinebat, utilitatem; revocarunt quoque in memoriam aliis, dum in unum congregarentur, ecquid rei tum contigisset; quo abstinentes ab animalis congeneris internecione, vitæ societatem tuerentur, quæ generatim causa est privato cuique propriæ salutis, utile autem fuerat ante secedere a societate coeuntium aliorum seu animalium, seu hominum, aut damno certe afficere nullum, ne non modo animalia, quæ diversa genere, erant, sed ne homines etiam, qui erant congeneres, & noxam inferendam comparati irritarentur. Quare & ob hanc causam continuere manus ab animali congenere, quodcunque se in communionem rerum necessariarum præbuit, quosdamque in ipsam societatem usus contulit.

Procedente autem longius tempore, & progenie utrinque longe succrescente, ac depulsis, quæ generis erant alieni, animalibus, secretioneque ipsorum facta, cœpere quidam ratiocinando, ( & non sola, ut prius, sine ratione memoria utendo,) consilium de eo, quod foret utile, dum ad invicem convenirent. Nempe conati sunt validius inhibere illos, qui se invicem temere, imprudenterque conficerent, & mutuum auxilium imbecillius redderent, ob præteriti temporis, quibus res sui similibus male cessisset, oblivionem. Adnixi ergo hoc facere, eas legum constitutiones, quæ etiamnum per civitates, nationesque perseverant, induxerunt: consentiente ipsis, ut iam inculcatum, multitudine sua sponte; quatenus persensit, quam maior exinde utilitas degentibus in mutua congregatione proveniret. Pari modo videlicet, ad securitatem conducit, illud, quod perniciosum est, citra indulgentiam perdere, & id, quod ipsi exterminando utile est, servare.

Probabile igitur est, factum ob has causas, ut ceterorum animalium licita cædes fuerit, hominum vero prohibita, tametsi immemor hic nimium.

## CAP. XXVIII.

*Quam merito iure iustitia colatur.*

Superest ergo, ut cum iustitia communi pactione sit constabilita, unus quisque existimet se sive natum, sive adscitum, ea conditione societati, in qua degit, nomen dedisse, seu in illam admissum esse, ut sive expresse, sive tacite, in pactionem illam, ne lædat, lædaturque, consenserit. Quare & standum esse pactioni; aut a societate exeundum; quoniam non alia, quam qua receptus conditione est, in ea toleratur. Ex quo sequitur, ut cum naturæ sponte nolit se lædi a ceteris; non lædat ipse ceteros, sicque non faciat alteri, quod sibi ipse fieri nolit. adde Gassend. ad Laert. X. p. 1483.

Possunt certe exinde leges positæ censeri in sapientum gratiam; non quidem, ne ipsi quid iniuste agant, sed ne quid in ipsos iniuste agatur: Nam ad ipsos quod attinet, sunt sane ita comparati, ut etiam sine legibus nemini inferant nocumentum. Quippe, quod præscripserint modum suis cupiditatibus, easque ad naturam compo- Ib. p. 1559.

fuerint, cui nihil ſit neceſſe re iniuſta gratificari. Neque enim ulla voluptas, quæ ſecundum naturam ſit, cauſa eſt, ut alii patiantur iniuriam, ſed quæ cupiditas ex vanis opinionibus effrenis creatur.

Cum enim natura, ut exemplo dicam, fecerit herbas, fruges, fructus, ac una ipſam aquam res paratu facillimas; non ea voluptas, quæ ex ipſis famem, ſitimque exſpectando maxime percipitur, cauſa eſt latrociniorum, ceterarumque iniuriarum, quæ vulgo patrant homines; ſed inanis cupiditas vivendi lautius, opulentiuſque, atque idcirco diteſcendi, ut ſit, quod in ſumtus ſufficiat. Quod idem dicendum de iis, qui ſimplici veſte, ſimplici domo, ſimplici coniugio, ſimilibuſque, præ ambitione, luxu, libidine, aliis paſſionibus non contenti, plura appetunt, quam quibus natura indigeat.

Quin etiam, cum ſapiens, ut ante innuebam, ſui ipſius cauſa omnia faciat, nihil eſt omnino, quod magis ſui cauſa facere poſſit, quam dum præclare inſtitiam colit. Quippe dum ſuum cuique tribuit, ac nemini nocet, ſervat, tueturque ſartam tectam, quantum in ſe eſt, ſocietatem, quæ niſi ſalva ſit, ſalvus eſſe ipſe non poſſit; & neque cuiuſquam in ſe provocat iniuriam; neque mulctam, pœnamve ullam, publicitus infligendam metuit: ſicque nihil ſibi male conſcius, omni perturbatione caret, qui fructus eſt iuſtitiæ omnium maximus; quemque proinde dum colligit, quid majus ſui cauſa faciat?

Neque vero eſt, cur exiſtimes poſſe illum, qui clam, nemineque conſcio, violaverit aliquid juris, pactorumve eo ſancitorum, ne quis faciat, patiaturve iniuriam, pari eſſe ſecuritate, vacuitateque perturbationis; ſiquidem, ut ante dicebam, quamvis occulte fecerit, nunquam tamen confidet, id fore ſemper occultum. Nam ſcelera quidem ſecreta eſſe poſſunt, at ſecura eſſe non poſſunt; neque prodeſt quicquam peccanti latere; quoniam non ut felicitatem, ſic fiduciam latendi habet.

Sane & quantumvis id millies in præſentiarum lateat, occultumve ſit; incertum eſt tamen, an ad mortem uſque ſit futurum occultum. Plerumque enim improborum facta primo ſuſpicio inſequitur, deinde ſermo, atque fama; tum accuſator, tum index. Multi etiam ſæpe ſe indicaverunt, alii quidem per ſomnum, alii per delirium, alii per ebrietatem, alii per quamdam incogitantiam. Adeo proinde, ut vir ſceleſtus, etſi Divum genus, hominumque, ut dicitur, fallat, ut id tamen perpetuo clam futurum ſit, diffidere debeat.

Unde & efficitur, ut quamvis iniuſtitia non ſit aliquid ſecundum ſe malum, quatenus, quod hic eſt iniuſtum, idem alibi iuſtum reputatur; at malum tamen ſit eo metu, quo exſtimulante conſcientia, ſuſpicatur quid, vereturque, ne quæ injuſta patrata ſunt, animadverſores ſcelerum non lateant: nihilque adeo eſt, ut ſecurius, ſic ad degendum placidam, pacatamque vitam conducentius, quam innocenter vivere, & fœdera pacis communia factis nullatenus violare.

Quare & cum juſtus, iniuſtuſque ea ſint antitheſi, ut ſicuti ille eſt maxi-

maxime omnium perturbationis immunis, sic iste, ex opposito sit perturbationis plenissimus; ecquid esse illi utilius, quam iustitia, isti nocentius, quam iniustitia potest? Quid enim? Possuntne esse cuiquam utiles angores, sollicitudines, diurni, & nocturni metus?

Cum tantum ergo bonum iustitia, tantum iniustitia sit malum; illam unice exosculemur, istam impense abhorreamus. Et, si quando forte animus vacillet, dubiique hæreamus, quid agendum sit, quid facto sit opus; aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus; ut sic, tanquam illo spectante, vivamus, & omnia, tanquam illo vidente, faciamus.

Valebit certe hoc consilium, non modo ne quidpiam agamus, quod injustum sit; sed etiam, ne quidpiam occulte adversus honestatem peccemus. Scilicet ille erit nobis, quasi custos, ac pædagogus, quem quia animus verebitur, eius autoritate etiam secretum suum sanctius faciet. Illo præsente non facerem: absente cur faciam? Ille id carperet, quia malum; cur ipse malum sponte non fugiam? Sic itaque fac omnia, tanquam spectet aliquis; nam si verearis sic aliquem, eris ipse cito verendus.

## CAP. XXIX.

### *De beneficentia, gratitudine, pietate, observantia.*

Gassend. ad Laert. X, p. 1586. SEquuntur iam illæ virtutes, quas affines esse iustitię ideo diximus, quod ipsæ quoque ad alterum sint, & nisi perinde legibus, pactionibusque præscribantur, non desinant tamen quandam ex decoro, ex officio, ex usu, obligationem similem illi, quæ iustitiæ est, præ se ferre.

Talis vero inprimis est *beneficentia*, ad quam ii tenentur, qui aut opera, aut pecunia adiutare indigentes possunt; cum, nisi operam quidem præstent, barbari, immites, inhumani audiant; nisi pecuniam, tum paria audiant, tum preterea sordidi, tenaces, avari, aliaque id genus; sin autem præstent, tum audiant comes, benigni, officiosi; tum liberales, munifici, magnifici, &c. adeo proinde, ut vel sui, suæve utilitatis gratia ad beneficentiam, (sed ita, ut fiat citra prodigentiam,) teneantur.

Etenim, qui illa utuntur, ii sibi, ut iam attigi, benevolentiam conciliant; quod aptissimum est ad quiete vivendum, caritatem; qui non utuntur, malevolentiam, &, quod ad moleste vivendum est comparatissimum, contemtum, & odium. Cave autem saltem, ne circa res parvas beneficus non sis, ne id emolumenti perdas, quod exinde habendus sis etiam circa magna gratificabundus.

Haut abs re vero superius dixi esse non modo præclarius, verum etiam iucundius, beneficium dare, quam accipere; quoniam is, qui dat, non modo ea re maior, atque superior est, sed & quasi fœnus, gratiam colligit, cum interim res nulla sit, quæ maius pariat gaudium, quam gratia. Similis est nempe beneficus fonti, cui si mentem des, ecquo non sit gaudio persusus, cum tot sata læta, ex sui diffusione quasi videre observabit? Ib. p. 1589.

Talis deinde est *gratitudo*, ad quam

quam reciproce tenetur, qui beneficium accipit. Nimirum, nisi velit odio, probroque quam maximo esse. Neque enim iniuria exosa est omnibus hominibus ingratitudo; quod cum nihil sit magis secundum naturam, quam propensum esse ad habendum bonum, contra naturam maxime sit, non esse propensum, grateve affectum in autorem boni.

Cum nemo sit porro in benefactorem magis grate affectus, quam sapiens, licet sane asserere, sapientem solum referre gratiam scire, quatenus solus debitam gratiam amicis & præsentibus, & absentibus, & vita etiam functis habet.

Ceteri enim fere duntaxat gratiam habent præsentibus, (idque aliunde, ut plurimum, quo possint beneficium aliquod novum provocare,) at absentium, quotus est quisque, qui grate commeminerit? qui si possit, in liberos, in amicos, in res ipsius, vices rependat? Vita autem functorum, quotusquisque est, qui caram habeat memoriam? qui non lætetur quasi solutam agnoscendi obligationem? qui in eos, quos illi habuerint percaros, aut obsequium, aut etiam beneficentiam, si possit, testetur?

ib. p. 1597. Talis rursus est *pietas*, gratitudinis sanctissima species. Ea videlicet primario erga parentes attenditur, quibus nemo est, qui non amplius, quam ceteris hominibus debeat: quando potest quidem alia debere ceteris; at parentibus sese ipsum debet. Unde & fit, ut, si ingratitudo adversus alios exosa sit, ea, quæ adversus parentes est, sit maxime horrori, exsecrationique.

Dico autem primario, quoniam secundario, & quasi ex consecutione extenditur ad consanguineos, fratresque cumprimis, quibus parentum interventu, quasi vinculo sic adstringimur, ut intelligere debeamus, non posse nos *illos amore* magno non prosequi, quin ingrati simus adversus parentes, avos, ceterosque nostri autores; scilicet rem illis ingratam facientes, qui fuere sua benevolentia omnes a se sive exortos, sive exorituros complexi.

Non est vero pietas seiuncta a caritate, in patriam, quæ ipsosmet etiam parentes, consanguineosque complectitur; nosque & nascentes excipit, & natos alit, ac tuetur. Cumque, ut parentum interventu tenemur affectu erga consanguineos, sic generalius erga concives patriæ interventu teneamur; tum maxime sane tenemur erga magistratus, atque principes, *qui*, qua ipsam patriam, legesque tuentur, id in nos speciatim beneficii conferunt, ut ipsorum freti præsidio degere secure, tranquilleque possimus.

Talis præterea est *observantia*, seu venerabunda affectio, qua erga illos omnes tenemur, qui aliqua re superemineant. Quare & partim coniuncta est cum gratitudine, & pietate, quatenus non licet gratum animum magis apertum facere, quam debitam venerationem, gratumque cultum exhibendo, benefactoribus, parentibus, principibus, omnibus dignitate præfulgentibus viris; partim maximo cum decore iis exhibetur, qui ætate, & sapientia, sive virtute, re omnium spectatissima, & merentissima antecellunt. ib. p. 1598.

Spe-

Spectat porro ad observantiam, quæ religio est, sanctitasque adversus Deos: videlicet, quos colere, non aliter, quam parentes, teneamur, non sane ulla spe, pretiove inducti, non quasi aliquo accepto ab iis, aut sperato bono; verum, ut ante diximus, propter illorum maiestatem eximiam, supremamque naturam; utpote quia venerationem iustam habet, quicquid excellit, & nullius naturæ major, quam divinæ est excellentia; quippe cum æterna, & beatissima sit; ex hoc sane efficitur, ut ipsi quidem intelligentes Deos, nec sibi fingere ullam molestiam, nec alteri quærere, pie, sanctéque colamus naturam excellentem, atque præstantem.

## CAP. XXX.

### *De Amicitia.*

Talis postremo est amicitia, ad quam reciproce tenentur, qui amantur reciproce. Merito vero ipsa nobis erit instar coronidis, quoniam omnium rerum, quas ad beate vivendum sapientia comparaverit, nihil est maius amicitia, nihil uberius, nihil jucundius. Inter cetera sane eadem scientia confirmavit animum, ne quod sempiternum, aut diuturnum timeret malum, quæ perspexit in hoc vitæ spatio amicitiæ præsidium esse firmissimum, ac una cum securitate maximas parere voluptates.

Nimirum, ut odia, invidiæ, despicationes adversantur voluptatibus; sic amicitiæ non modo fautrices fidelissimæ, sed etiam effectrices sunt voluptatum, tam amicis, quam sibi, quibus non solum præsentibus fruuntur, sed etiam spe eriguntur consequentis, ac posteri temporis: efficiturque adeo, ut cum solitudo, & vita sine amicis, insidiarum, & metus plena sit, ratio ipsa moneat amicitias comparare, quibus partis confirmatur animus; & a spe pariendarum voluptatum seiungi non potest.

Cum amicitiæ autem comparentur ob usus, utilitatemve, eo modo, quo serimus terram, ob proventus futuri spem; ipsi quidem primi congressus, copulationesque consuetudinum, instituendarum amicitiarum fiunt propter utilitatem, propterque voluptates, quæ exinde sperantur: at vero, cum usus progrediens familiaritatem effecerit, tum amor efflorescit tantum, ut etiamsi nulla sit utilitas ex amicitia, tamen ipsi amici propter se ipsos amentur. Etenim, si loca, si fana, si urbes, si gymnasia, si campum, si canes, si equos, si ludicra exercendi, aut venandi consuetudine adamare solemus, quanto id in hominum consuetudine facilius fieri poterit, & iustius?

Quærendi vero interim, parandique amici cum delectu sunt; ante enim circumspiciendum est, cum quibus edas, & bibas, quam quid edas, & bibas. Et licet visceratio, cibatiove sine amico, leonis vita, ac lupi sit; is tamen amicus deligendus est, cuius consuetudine nullum suavius sit condimentum.

Quamobrem quærendus quidem est amicus, cui nihil candore, simplicitate, bona fide antiquius sit; sed & danda opera est, ut is sit non difficilis, querulus, omniaque deplorans, sed qui morum facilitate, alacritate, iucunda spe, suavem reddere vitam possit.

Consistit porro, cohæretve, seu perseverat amicitia in mutua participatione voluptatum, sive bonorum, quibus frui, donec vivimus, licet. Non est vero tamen propterea necesse, deponi in commune amicorum opes, ut ille censet, qui esse omnia amicorum communia dicit; quippe hoc diffidentium est, (ne non sint nempe futuræ omnium satis constantes voluntates,) qui vero diffidunt, ii non sunt amici, sed illi duntaxat, qui possunt plena confidentia capere, quicquid opus est ex ipsis amicorum bonis, (tametsi ab illis adserventur, neque in commune congesta sint,) haut secus, quam ex suismet; reputando scilicet illa non esse sua minus, quam si ipsimet ea possiderent, atque adservarent.

Ac stupent quidem homines vulgares, id dum audiunt: sed nihil est, quod ipsos moremur, neque enim quidquam fidei, aut constantiæ in amicitia, benevolentiaque hominum hujusmodi est; cum neque harum rerum capaces sint, neque ullius sapientiæ partis, quæ commendationem aliquam mereatur. Quin etiam, qui e media multitudine est homo, non intelligit, quid privatim, publiceque utile sit; neque constituere inter mores pravos, honestosque discrimen potest.

De sapientibus ergo loquimur, quorum est quoddam quasi fœdus, ut ne minus amicos, quam seipsos diligant; quod & fieri posse intelligimus, & sæpe usu evenire videmus, ut proinde perspicuum sit, nihil ad jucunde vivendum reperiri posse, quod cōjunctione tali sit aptius; ac propterea intelligamus, non modo non impedire rationem, si summum bonum in voluptate ponatur, sed etiam, *sine hoc, institutionem amicitiæ non posse reperiri*.

Videlicet, quia nullo *modo*, sine amicitia, firmam, & perpetuam jucunditatem vitæ tenere possumus, neque vero ipsam amicitiam tueri, nisi æque amicos, & nosmet ipsos diligamus; idcirco hoc ipsum efficitur in amicitia, & amicitia cum voluptate connectitur; nam & lætamur amicorum lætitia æque, ac nostra, & pariter dolemus angoribus.

Quocirca eodem modo sapiens erit affectus erga amicum, quo erga seipsum; quosque labores propter suam voluptatem susceperit, eosdem suscipiet propter amici voluptatem; ac, ut habere se lætaretur, qui sibi ægro assideret, & conjecto in vincula, vel inopi *succurreret*; ita lætabitur se *habere*, cui, si æger fuerit, assideat, si conjiciatur in vincula, laboretve inopia, succurrat. Ac neque id modo, verum etiam erit ita affectus animo, ut & dolores gravissimos subiturus pro amico sit, &, si occasio poposcerit, mortem etiam oppetiturus.

Novimus certe evenisse, (idque patrum etiam nostrorum memoria,) ut quibuscunque plenam fiduciam, securitatemque parare fas fuit ex societate hominum, pari sententia, affectuque viventium, ii suavissimo freti pignore, quam suavissime inter se vixerint, ac plenissima necessitudine juncti præoptarint sine lamentis, pro illo, qui foret ad mortem destinatus, mortem subire.

Atque

Atque hæc sunt quidem, quæ dicenda habui circa Ethicam, eamque, ut abusque initio contestatus sum, præcipuam philosophiæ partem. Tu, quisquis es, cui adspiranti ad germanam sapientiam gratificari in animo fuit, ista age, ac meditare; ratus, ipsa esse elementa honeste, atque adeo bene, beateque vivendi.

Meditare, inquam, interdiu, noctuque; & sive quidem ipse tecum, sive cum fido socio, qui persimilis tui sit, & cui dicere valeas: soli quidem sumus, sed hoc magis nobis disquirere verum sine invidia licet: Hæc ego non multis, sed tibi; tu quoque non multis, sed mihi; sed nempe alter alteri satis magnum theatrum sumus.

Et nonne agnoscis, posse neminem cum viro illo comparari, qui & Diis vera sentit, & omnino intrepide adversus mortem est comparatus, & de ipso naturę fine, bonorumque extremo sic ratiocinatur, ut intelligat ipsum posse facilima facilitate adimpleri, compararique, ac id, quod in malis tolerandum est, aut duratione breve, si vehemens sit, aut, si diuturnum, toleratu leve, & sibimet ipsi denunciat nullam erga se fatorum necessitatem esse, sed vigere in se liberum arbitrium, ac nullam sibi, aut perexiguam intervenire fortunam posse; & quæ cetera inculcata sunt.

Sane &, cum tu vir hujusmodi evaseris, eveniet, ut nunquam sive vigilans, sive in somnis perturbere, (neque enim eris in somnis, ob mentem bene compositam, alio affectu, quam per vigiliam,) sed ut quispiam Deus inter homines vivas. Nihil quippe mortali animali simile habet homo, qui in immortalium bonorum possessione ævum traducit, Hucusque Gassendus.

## CAP. XXXI.

*Quanam in re Epicurus voluptatem summum bonum esse statuens, a Cyrenaicis dissentiat.*

QUamvis autem Epicurus cum Cyrenaicis in eo consentiat, quod in voluptate statuat summum bonum positum esse: in ipsa tamen ea voluptate definienda utrinque dissensus observatur. Cyrenaici Laert. X. 116. enim non in quiete voluptatem, sed in motu consistere docent, hic vero utramque in animo æque ac in corpore admittit, ut in libro de electione & fuga ait, & in libro de fine, & in primo de vitis; & in epistola ad Mitylenenses amicos. Similiter & Diogenes in XVI Electorum, & Metrodorus in Timocrate ita ajunt: *Cum vero & quæ in motu sit, & quæ in statu voluptas intelligatur.* Et Epicurus in libro de electione ita dicit: *Namque perturbationis, dolorisque vacatio est voluptas in statu: lætitia vero, & gaudium in motu actu cernuntur.*

Præterea a Cyrenaicis dissentit, eo, quod corporis dolores deteriores illi arbitrarentur doloribus animi, quamob causam maleficis corporis pœnas decretas dicunt, tanquam omnium molestissimas. Epicurus vero animi dolores majores putat. Corpus enim pręsenti tantum malo affici, animum vero & præterito, & pręsenti, & futuro. Ea ergo ratione majores quoque animi, quam corporis esse voluptates. Atque hæc quidem de Epicureis, quorum secta Italicarum postrema extitit.

HISTO-

# HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ
## PARS XIII.
# DE CHALDÆORUM PHILOSOPHIA.
## PROŒMIUM.

APUD omnes, ne Græcorum quidem eruditissimis exceptis, Philosophiam ab Oriente originem ducere, in confesso est. Nulla autem Orientalium gentium antiquitate, cum *Chaldæis & Ægyptiis*, certare poterat. Ægyptii quidem Chaldæos coloniam esse Ægyptiacam, quæ sibi eruditionem omnem deberet, dictitabant. Sed qui minus studio & præjudiciis laborabant, *Magos*, (a) quorum disciplinæ a Chaldæis profluxerant, *antiquiores Ægyptiis* adfirmabant (b); Astronomiamque a Chaldæis profectam ad Ægyptios transiisse, unde ad Græcos pervenit; nec Chaldæos esse (c) *antiquissimum doctorum genus* diffitebantur.

a Script. τῷ Μαγικῷ citati a Laertio in Proœm.
b Joseph. Ant. Lib. I c. 9.
c Cicero l. de Divin.

*Babylonia* pars est *Chaldææ*, cujus incolæ dicebantur *Chasdim*, quasi *Chusdim*, a *Chuso*, *Chami* filio. Verum eorum Philosophia, patriæ regionis finibus egressa, per Arabiam & Persidem finitimas propagata est; unde factum, ut trium earum gentium eruditio CHALDAICÆ nomine insigniretur. Itaque initium faciemus a sapientia Chaldæorum, proprie ita a regione appellata, unde ceteræ gentes suam duxerunt; & prior quidem pars nostræ indagationis circa ipsos sapientiæ auctores, eorumque sectas, posterior circa doctrinam versabitur.

d Vide indicem in voce Chaldæi.

## SECT. I.
### De Chaldæis Philosophis, eorumque Sectis.
## CAP. I.
### Chaldaicæ eruditionis antiquitas.

QUamvis Chaldaicæ sapientiæ antiquitatem aliæ gentes non æquarent, multum tamen abest, ut ejus sit antiquitatis, quam ipsi ei tribuebant. Cum * Alexander, victo Dario, Babylone potitus esset, quod incidit in annum Periodi Julianæ 4383. *Aristoteles*, diligens liberalium artium promotor, rogavit *Callisthenem*, sororis suæ filium, qui Alexandri comes fuit, ut se doceret, quam antiquitatem Chaldaica sapientia attingere merito censeri posset. Chaldæi contendebant ab eo tempore, quo primum observare astra coeperant, ad expeditionem Alexandri, fluxisse 470000. annos. Sed multo recentiores erant observationes, quas, ut auctor est *Porphyrius*, a *Simplicio* (a) laudatus, Callisthenes ad *Aristotelem* misit; ad ea enim tempora adservatæ fuerant observationes annorum duntaxat 1903. quorum initium, retrogrediendo, ab anno adlato expeditionis Alexandri, incidit in annum Periodi Julianæ 2480. Atque hoc ipsum merito potest in dubium revocari, nam nihil est in Chaldaica Astronomia antiquius * *Æra Nabonassaris*, quæ incipit demum 3967. Periodi Ju-

* Vide Joann. Marshami Chron. Can. init. Sec. IV.
a In L. I. de Cælo p. 123.
* Vide Indicem in voce Nabonassar.

Julianæ anno. Ab hac Aera computant observationes suas, qua si antiquiores ullas habuissent, vix fieri potuisset, ut earum non meminisset (b) *Ptolemaus*. Prima enim observationum, a Ptolemæo memoratarum, incidit in annum primum *Merodachi* Babyloniæ regis, qui legatos misit ad Ezechiam, ut inquirerent de miraculo (c) quod in Horologio Achasi contigerat; is autem annus est Aeræ Nabonassareæ vigesimus septimus. Secunda (d) observatio est anni vigesimi octavi; tertia 127 Nabonassaris, seu quinti *Nabopolassaris*. Hoc testimonium est omni exceptione majus, siquidem *Ptolemaus* ostendit rationes & regulas harumce observationum. Quidquid præterea adfertur, videtur Hypothesis mera esse; ac si quidem statuamus cyclum Canicularem, qui complectitur 1461. annos, hoc est, 1460 naturales, a *Porphyrio* † positum fuisse, ut constaret Hypothesis, octodecim tantum anni huic numero deessent.

b L. IV. c. 6. p.

c 2. Reg. XX. 11. & 2. Paral. XXXI. 31.

d Ptol. Lib. V. p. 125.

† Vide indicem in voce Sothiaca.

## CAP. II.

### *Varios fuisse Zoroastres.*

INventio artium, apud Chaldæos, ab omnibus Zoroastri tribuitur. Ut omittam ineptam Etymologiam nominis ejus, a Græcis vocibus ζῶον & ἄστρον deductam, *Dinon* (a) a Laertio laudatus interpretatur ἀστροθύτην, quod *astrorum sacerdotem* vertunt. (b) *Athanas. Kircherus* hanc minus probat Etymologiam, quippe constantem duabus Linguis, Græca nimirum, voce ἄστρον, & Chaldaica *Zor*. Ipse derivat a צורא *tzura*, figura, aut ציר *tsaiar*, forma, סתר *star*, ignis occultus, quasi dictus fuisset *Tsaraster*, hoc est, fictor imaginum occulti ignis; vel *Tsuraster*, id est, imago arcanarum rerum, quod consentit cum Persico nomine *Zarast*. Verum observarunt docti viri *Ester*, in Persica lingua, significare *stellam*. Priorem partem *Zor* (c) *Bochartus* deducit ab Hebraico *schur*, contemplari; ideoque apud Laertium, pro ἀστροθύτης, legit ἀστροθεάτης *contemplator Astrorum*. At reperire est particulam *Zor*, in compositione aliorum nominum, ut in *Zorobabel*, quod interpretamur *natum Babylone*; unde colligere licet *Zoroastrem* significare *filium Astrorum*.

a In Proœm.

b Obel. Pamph. L. I. c. II. §. 2.

c Geogr. Sacr. L. I. c. I.

Idem nomen alii efferunt *Zabradas*, alii *Nazaratas*, alii *Zares*, alii *Zaran*, alii *Zaradas*; quæ sunt tantum variæ corruptiones Chaldaici, vel Persici vocabuli, quod Græci plerumque efferunt *Zoroastres*.

Nemo negat fuisse varios Zoroastres, excepto uno *Goropio Becano*, qui, præter omnem verisimilitudinem, contendit unicum fuisse. Verum in enumeratione eorum, quibus id nominis fuit, non est exigua inter eruditos dissensio. Nituntur quidem potissimum (d) *Arnobii* verbis, sed quæ non una ratione interpretantur: *Age nunc veniat quis super igneam Zonam Magus, interiore ab orbe, Zoroastres, Hermippo ut adsentiamur auctori. Bactrianus & ille conveniat, cujus Ctesias res gestas historiarum exponit in primo; Armenius, Hostanis nepos; & familiaris, Pamphylius Cyri.* (e) *Patricius* (f), *Naudæus*, (g) *Kircherus* aliique existimant memorari ab *Arnobio* quatuor Zoroastres, primum Chaldæum; secundum

d Cont. Gent. Lib. I.

e Mag. Phil.

f Apol. Mag.

g Obel. Pamphil.

dum Bactrianum, tertium Pamphy-
lium, alio nomine *Erum*; quartum
Armenium, filium, ut vult *Kir-*
h Exerc. Plin. p. 855. novæ Ed. *cherus*, Hostanis. Eadem verba (h)
*Claud. Salmasius* ita legit & distin-
guit: *Age nunc veniat, quæso, per
igneam zonam Magus, interiore ab
orbe Zoroastres, Hermippo, ut ad-
sentiamur auctori, Bactrianus. Et
ille conveniat, cujus Ctesias res ge-
stas historiarum exponit in primo,
Armenius, Hostanis nepos; & fa-
miliaris Pamphilus Cyri*. Itaque
secundum *Salmasium*; tres fuere
duntaxat Zoroastres; primus, se-
cundum quosdam, ex interiore Li-
bya, vel Æthiopia τῆς κεκαυμένης vi-
cina, aut, si *Hermippo* fides habea-
tur, *Bactrianus*; alter Armenius,
nepos Hostanis, cujus res gestas
scripsit *Ctesias*; tertius, Pamphi-
lus nomine, amicus Cyri. *Ursi-
nus* (i) ex eadem lectione verborum
i In Zoroastre. colligit, ab Arnobio duos tantum
memorari, ac manifesto explodi Ba-
ctrianum, *Hermippi* Zoroastrem;
*Ctesiam* autem, dum confutat fa-
bulosam historiam Eudoxi, proba-
re Zoroastrem vixisse tempore Cyri.
Sed verba *Arnobii* ea mutatione in-
digere non videntur, quod mani-
festius fiet, si sigillatim recensea-
mus eos, quibus impositum fuit
nomen Zoroastris.

Primus fuit Chaldæus, *Assyrius*
etiam *Suida* (k) dictus, a quo &
k In Zoroastre. narratur fulmine percussus interi-
isse. Fortasse eo respicit *Arnobius*,
vel ad eam historiam, quam refert
*Dion Chrysostomus* (l), ubi Zoro-
l In Orat. Borysth. aster Persa, (confunditur enim cum
altero,) dicitur ex igneo monte ad
populum venisse. Vel etiam per
*igneam zonam* intelligit sedem nu-
minum, Zonis, addictorum, quæ
est, secundum Chaldaicam doctri-
nam, supra Empyreum, vel cor-
poreum cœlum. Nusquam enim
reperio Zoroastrem Æthiopem ha-
bitum fuisse, aut ex interiore Li-
bya, ut explicat *Salmasius*. Arno-
bius *Hermippum* auctorem laudat,
qui, teste *Plinio* (m), *vicies cen-* m Lib.
*tum millia versuum a Zoroastre con-* XXX c. 1.
*dita, indicibus quoque voluminum
ejus positis, explanavit*.

Secundus fuit Bactrianus, quem
Bactrianæ regem, Nino æqualem,
ab eoque victum & interfectum me-
morat *Justinus* (n), qui & subjicit: n Lib. I.
*Primus dicitur* (nempe Zoroastres,) initio.
*artes magicas invenisse, & mundi
principia, siderumque motus dili-
gentissime spectasse*.

*Arnobius* (o) ait *inter Assyrios* o Lib. I.
*& Bactrianos, Nino quondam Zo-
roastreque ductoribus, non tantum
ferro dimicatum & viribus, verum
etiam magicis, & Chaldæorum ex
reconditis disciplinis*. Hujus etiam
meminerat in primo libro *Ctesias*,
ut adparet ex altero *Arnobii* loco,
supra adlato. Sex priores ejus ope-
ris libri complectebantur tantum
(p), ut ostendit *Photius*, Assyria- p Biblioth.
cam historiam, atque eventus, qui Cod. 72.
res Persicas antecesserant. Ideo
non possumus adsentiri conjecturæ
*Salmasii*, qui citationem *Ctesiæ*
Arnobianam refert ad *Hostanis* ne-
potem, cum Hostanes, auctore (q) q Hist.
*Plinio*, sub *Dario Hystaspide* vixe- Nat. Lib. XXX. c. 2.
rit. At *Diodorus* (r) regem Ba- r Bibl. L.
ctrianæ, quem Ninus vicit, vocat II. p. 66.
*Oxyartrum*, & quidam MSS. Codd.
Justini quos vidit *Ligerius*, *Oxya-
trem*, alii *Zeroastem*. Fortasse simi-
litudo nominum & συγχρονισμὸς,
(Chaldæus enim Zoroastres sub
Nino vixit, ut habet *Suidas*,)

esset

effecere, ut in unum confunderentur, & tribuerentur Bactriano, quæ Chaldæi propria fuere; quoniam verisimile non est, Bactrianum inventorem fuisse earum Artium, quibus Chaldæus, ei æqualis, tantopere excelluit. *Joan. Elichmanus* adfirmat receptam esse apud Arabas & Persas sententiam, Zoroastrem non fuisse Regem Bactrianorum, sed Magum, aut Prophetam; qui persuaserit eorum Regi, inducere novam inter eos superstitionis formam, cujus reliquiæ etiamnum hodie supersunt.

Tertius, qui eo nomine a *Laertio* insignitur, fuit *Persa*, *Clementi* Alexandrino *Medus*, *Suidæ Medo-Persa*, institutor Magorum, & Chaldaicarum disciplinarum discendarum Persis auctor. Quidam hunc cum Chaldæo confundunt, & utrumque, ut *Kircherus*, (s) cum Chamo, Noachi filio, non sine ingenti anachronismo. Neque enim comperimus vocem *Persa* usitatam ante tempora *Ezechielis* Prophetæ, neque nobilis ea gens ante Cyrum fuit. Occasio hallucinationis videtur fuisse, quod Zoroaster Persa a *Plinio*, *Laertio*, atque aliis dicatur instituisse Magiam & Magos; quod aliter intelligi non debet, nisi quia eos in Perside primus instituit. Nam *Plutarchus* (t) agnoscit Zoroastrem, apud Chaldæos, Magos instituisse, ad quorum imitationem Persæ etiam suos habuerunt. Arabica quoque Historia (u) tradit Zaradussit non primum instituisse, sed reformasse religionem Persarum & Magorum, qui divisi erant in plurimas sectas.

s Obel. Pamph. Lib. I. c. 2. Sect. 1.

t De Isid. & Osiride.

u Ab Erpenio edita.

Quartus fuit *Pamphylius*, vulgo dictus *Er*, vel *Erus Armenius*. Hunc etiam Zoroastrem dictum testatur *Clemens* Alexandrinus (x), his verbis: *Idem* (Plato) *in X. Lib. de Repub. meminit Eri Armeni, qui est Zoroastres. Ipse quidem certe Zoroastres hæc scribit. Hæc scripsit Zoroastres Armenii filius, genere Pamphylius: in bello mortuus cum essem, apud inferos a Diis edoctus sum.* Hunc Zoroastrem adfirmat Plato ad vitam rediisse, post mortem decem dierum, (y) quibus inter cadavera jacuerat; quod ex *Platone* repetunt *Valerius Maximus* & *Macrobius* (z). Ad hunc procul dubio referenda sunt *Arnobii* postrema verba, quæ Interpretes adeo exercitos habuere; *Armenius Hostanis nepos, & familiaris Pamphylius Cyri*. Quidam conjiciunt, hic duos memorari Zoroastres, at ego malim hic unum notari, & verba forte corrupta ita restitui oportere & distingui existimé; *Armenius Hostanis nepos & familiaris: Pamphylius Erus;* ubi familiaris idem est ac γνώριμος *discipulus*.

x Strom. Lib. V. p. 598 Edit. Franc.

y Lib. I. c. 8.

z In somn. Scip.

Quintus est *Proconnesius*, *Plinio* memoratus: (a) *Diligentiores*, inquit, *paullo ante hunc ponunt Zoroastrem alium Proconnesium*; nempe ante Hostanem. Hic Zoroaster videtur idem esse, ac *Aristeas Proconnesius*, qui, secundum (b) *Suidam*, vixit temporibus Cyri ac Croesi. Idem testatur, hujus mentem, quotiescunque vellet, peregrinatam esse a corpore, atque in illud rediisse. Et *Herodotus* (c) quidem hujus portenti exemplum adfert, non absimile historiæ Eri Armenii, quæ apud Platonem legitur: *Aristeam*, inquit, *ajunt, cum nulli suæ civitatis esset inferior genere, ingressum in Proconneso fullonicam, mortuum fuisse;*

a Lib. XXX. c. 1.

b In Aristeas.

c Lib. IV. c. 14.

*fullo-*

*fullonemque, acclusa officina, abiisse denunciatum rem propinquis defuncti, dissipatoque jam per urbem rumore, Aristeam esse vita functum, supervenisse sermoni de hac re disputantium quendam Cyzicenum ex urbe Artacia profectum, qui diceret, se fuisse congressum cum Aristea apud Cyzicum &c. Aristeam autem nec vivum adparuisse, nec mortuum, septimoque deinde anno, cum in Proconneso comparuisset, eos versus fecisse, qui nunc Arimaspei a Græcis dicuntur, iisque conditis rursus evanuisse*. Eo poemate describebatur Vita Beata, seu Respublica, ex ejus sententia, perfectissima; quod colligimus ex Clemente Alexandrino (*d*): *Hyperborea enim & Arimaspea civitates, campi Elisii sunt Respublica justorum. Scimus autem Platonis quoque civitatem esse in cœlo, ut exemplar positam*. Hisce addi potest, *sextus Zoroaster*, sic enim ab (*e*) *Apulejo* vocatur, qui Babylone vixit, quo tempore Pythagoras captivus a Cambyse eo deductus est. Idem scriptor eum vocat, *omnis divinitatis arcanum antistitem*, eoque magistro præcipue usum esse Pythagoram dicit. Videtur idem esse ac *Zabratus*, a quo *Diogenes* (*f*) adfirmat, Pythagoram purgatum esse omnibus pristinæ vitæ sordibus, & edoctum, quarum rerum probos expertes esse oporteret, uti & Physicam. Idem quoque erit *Nazaratas* Assyrius, quem *Alexander*, in libro de Pythagoricis Symbolis, adfirmat magistrum fuisse Pythagoræ. Hunc eundem Suidas vocat *Zarem*, Cyrillus *Zaranem*, Plutarchus *Zaratam*.

d Strom. lib IV. in fine.

e In Floridis.

f Porphyr. Vit. Pythagoræ.

Mirum videri non debet, tot fuisse Zoroastres, tantamque confusionem apud Scriptores, qui de iis egerunt, nec eos satis distinxerunt, ortam; nam eximiorum Virorum, alicujusque utilis humanæ vitæ inventi (*g*) auctorum nomine solent, postea adpellari omnes, qui in eodem rerum genere eminent. Hoc ipsum peperit tot *Belos*, *Saturnos*, *Joves*, &c. unde natæ tot in eorum Historiis turbæ. Idem dicere est de Chaldæo Zoroastre, qui cum inventor fuerit Magicarum & Astronomicarum disciplinarum, causa fuit, cur aliis, qui easdem disciplinas in alias regiones intulerunt; quod fecit, auctore *Plutarcho*, Zoroaster Persa, imitatus Chaldæos; & similibus, qui iisdem artibus excelluere, quales fuerunt Bactrianus, Proconnesius, & Pamphylius, attributum fuerit nomen Zoroastris.

g Vide indicem in voce Zoroastres.

## CAP. III.

### *De Chaldæo Zoroastre Chaldaicæ Philosophiæ Auctore.*

PRimus horum Zoroastrum Chaldæus, vel Assyrius, ab omnibus Artium & Scientiarum inter Chaldæos inventor fuisse prædicatur; sed de tempore, quo vixit, summa est inter Eruditos dissensio.

Quidam adeo immaniter errant, ut confutatione sint indigni, qualis est *Eudoxus* (*a*) & qui scripsit opus Μαγικὸν inscriptum (*b*) quod *Aristoteli* vulgo tribui solet, qui adfirmant, eum 5000. annos vixisse ante *Platonem*. In eandem classem sunt compingendi *Hermippus*, *Hermodorus* Platonicus, *Plutarchus*, & eum sequutus *Gemistus Pletho*, qui eum 5000. annis ante bellum Trojanum floruisse ajunt.

a Laert. in Proœm.

b Sub ejus nomine a Plinio citatur Lib. XXX. c. 1.

Alii existimant Zoroastrem eundem

dem

dem esse cum *Chamo* Noachi filio; in qua sententia, ut omittam *Pseudo-Berosum Annii Viterbiensis*, fuere *Didymus* Alexandrinus, *Agathias* Scholasticus, & *Abenephi*, quorum postremus: *Cham*, inquit, *erat filius Noachi: hic primus docuit idololatriam, & primus invexit magicas artes in mundum; ejus nomen est Zuraster; hic secundus est Adris, & perpetuus ignis.* Huc nonnulli referunt Rabbinicas fabulas (c), a *Chamo magicis artibus castratum patrem: (d) Noachum ea ratione impeditum, ne quartum generaret filium, maledixisse quarto filii Chami (e): maledictionem illam,* (futurum servum servorum) *complecti peregrinum cultum*; nempe idololatriam: *(f) propterea posteros Chusi factos esse idololatras, quandoquidem Cham primus idola fecit, & invexit peregrinum cultum in mundum, & docuit familiam suam colere ignem.*

c R. Levi in Gen. & R. Simuel in fortalit. fidei.
d Raschi in Gen.
e Aben. Ezr. in Gen.
f R. Manasse in scuto fortium.

Plerique serius eum vixisse putant, & *Epiphanius* quidem, tempore Nimrodi; quod consentit cum initio observationum, quas a Callisthene, ad Aristotelem missas diximus; nam floruit Nimrod circiter annis 1903. antequam Babylon ab Alexandro caperetur, quo usque observationes illæ pertingebant.

*Suidas* vult eum æqualem fuisse Nino, Assyriæ Regi, *Eusebius* Semiramidi, uxori Nini. Hic autem a Chronologis, ante 3447. Periodi Julianæ annum, vixisse statuitur.

*Suidas* alibi prodidit, eum vixisse 500. annis, ante excidium Trojæ: *Xanthus* 600. ante expeditionem Xerxis in Græciam. Troja autem, secundum *Arundellianum marmor*, capta fuit 434. ante primam Olympiadem. Xerxis expeditio incidit in primum annum 75. Olympiadis, hoc est 4335. Periodi Julianæ. *Suidæ* ergo calculus incidit in 3030. Periodi ejusdem, *Xanthi* vero computatio in 3634. quæ mihi videtur Historiæ & veritati magis consentanea.

De natalibus, vita, ac morte Zoroastris pauca apud Veteres supersunt, eaque, an de Chaldæo, an vero de Persa intelligenda, incertum. *Plato* vocat eum (g) *Zoroastrem filium Oromazis*. Sed *Oromazes*, ut *Plutarchus* aliique ostenderunt, nomen fuit, quod Zoroastres Persa, ejusque discipuli Deo tribuebant. Hinc colligas, verba *Platonis* esse intelligenda de Mago qui propter inusitatam eruditionem figurate, aut fabulose diceBatur *Filius Dei*, aut boni Genii, quo honore adfecti sunt Pythagoras, Plato, aliique præstantissimi viri.

g In Alcibiad. 1.

*Plinius* (h) scripsit Zoroastrem, (quem intelligat, non addit,) *risisse eodem die, quo genitus esset, atque eidem cerebrum ita palpitasse, ut impositam repelleret manum, futura præsagio scientia*. Zoroastres Assyrius, auctore *Suida*, *precatus est, ut igne cœlesti consumtus obiret, & monuit Assyrios, suum cinerem conservarent, sic enim illis regnum perpetuo mansurum*; quod *Cedrenus* de Persa Zoroastre prodidit.

h Lib. VII. cap. 16.

Scripta Chaldæo attributa memorantur (i) vicies centena millia versuum, quos indicibus & commentariis illustraverat *Hermippus*. *Oracula*, quæ forte partem aliquam antecedentium versuum complectebantur, & in quæ *Syrianus*

i Plin. Lib. XXX. cap. 1.

duo-

duodecim libros interpretationum scripserat.

*De Agricultura, & Mechanicis*. Plinius inde laudat rationem serendi, & scriptor *Geoponicorum* plurima experimenta naturalia. Verum hæc erant spuria, aut ab alio Zoroastre scripta.

*Revelationes*, quæ etiam supposititiæ, fictæ, ut *Porphyrius* putabat, a quibusdam Gnosticis.

Addendus est, ab Arabibus laudatus, liber *de Magia*: item *de Somniis* eorumque interpretationibus, sæpe a *Geläldino* citatus, sed posteriorum temporum fœtus.

Quidam adscribunt Chaldæo libros Persæ Zoroastris, qua de re infra agemus.

## CAP. IV.

### *De Belo, altero apud Chaldaeos scientiarum inventore.*

QUidam adscribunt inventionem Astronomiæ *Belo*, quo nomine duo viri insignes fuere. Alter Tyrius fuit, alter Babylonius, qui Arabibus Regibus in regno Babylonico successit, circa annum mundi 2682. secundum calculum *Africani*; ob quas inventiones, Babylonii illi divinos honores detulere.

*Durat adhuc ibi*, ait Plinius, (a) *Jovis Beli Templum. Inventor hic fuit sideralis scientiæ*.

a Hist. Nat. Lib. VI. c. 26.

*Diodorus* (b) verba faciens de Ægyptiis. „ Plurimas etiam, inquit, ex Ægypto colonias in orbem terrarum sparsas esse dicunt. „ Babylonem *Belus* Neptuni & Libyæ, ut creditur, filius; coloniam „ deduxit; & delecta apud Euphratem sede, sacerdotes, pro more „ Ægyptiorum, impensis & oneribus publicis exemtos, instituit; „ quos Chaldæos Babylonii nominant, ὓς Βαβυλώνιοι καλοῦσι Χαλδαίους. Hi observant astra; imitati „ Sacerdotes, qui sunt apud Ægyptios, Physicosque & Astrologos, „ μιμούμενοι τοὺς παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς „ φυσικοὺς ἔτι δ' ἀστρολόγους. At Belum *Neptuni* & *Lybiæ* filium esse, id ex Græca Mythologia petitum est; eumque coloniam ex Ægypto in Babyloniam duxisse, fabulosum. Nam Ægyptiis cum *peregrinis*, perlongum tempus, nullum fuit commercium. Verum Belum memoratarum disciplinarum peritum fuisse ostendit hac historia (c) *Ælianus*: „ Xerses Darii filius, effosso „ vetusti *Beli* monumento, vitream „ urnam reperit, ubi jacebat in „ oleo cadaver. Nec tamen plena „ erat urna, vacuumque e summis „ labris fere palmæ spatium habebat. Adjacebat urnæ columna exigua, in qua scriptum erat, *eum*, „ qui sepulcrum aperuisset, *neque* „ repleset urnam, male *habiturum*. „ Quo lecto Xerxes expavit, & „ oleum celerrime jussit infundi; „ sed ne sic quidem impleta fuit. „ Jussit iterum infundi, & cum non „ impleretur, effuso oleo *frustra* „ amisso, destitit, clausoque monumento, mœstus abiit. Neque „ vero eum fefellerunt, quæ columna prædixerat. Cum enim coegisset exercitum septuaginta myriadum hominum contra Græcos, „ male mulctatus est; deinde redux „ turpissime periit, noctu in lecto „ a filio interfectus.

b Lib. I. quæst. 24. Ed. Vvechel.

c Hist. Var. Lib. XIII. c. 3.

Huic Belo Semiramis filia (d) Templum media Babylone exstruxit; quod summæ erat altitudinis, & in quo Chaldæos, siderum illic contemplationi vacantes, ortus

d Diod. Lib. II. p. 69.

&oc-

& occasus accurate notasse memoriæ proditum est.

## CAP. V.

### *Alii Chaldæi Philosophi.*

ZOroastri ortum debuerunt Chaldæi Magi & Philosophi, inter quos *Plinius* (*a*) recenset *Azonacem*, Magistrum Zoroastris, sine dubio recentioris alicujus, cum plurimi ita vocati fuerint, ut ostendimus. Idem scriptor meminit veterum Magorum, *Marmari. dii Babylonnii*, & *Zarmocenidæ Assyrii*, qui *soli cognominantur*, & *quorum nulla exstant monumenta*.

*a* Lib. XXX, cap 1.

His addendus ex Suida *Zoromasdres*; qui Mathematica & Physica scripsit; & *Teucer* Babylonius, priscus scriptor, qui de Decanis egerat.

Mathematici etiam, teste Strabone quosdam memorabant, ut *Cidenam*, *Naburianum*, *Sudinum*, *Seleucum Seleuciensem*, aliosque eximios viros.

L. XVI. p. 509 Ed. Cas. Gen.

## CAP. VI.

### *De Beroso, qui primus invexit Chaldaicas disciplinas in Græciam.*

POst hosce floruit *Berosus*, vel ut a Græcis vocatur Βήρωσσος, cujus nomen quidam interpretantur *filium Hoseæ*; etenim ex *Elia*, apud Chaldæos, בר idem esse, ac בן apud Syros liquet. Ita dicunt *Bar-ptolemæum*, *Bar-timæum*; & hic noster a *Gorionide* aliisque Rabbinis ברהושע *Bar-Hosea* vocatur. Arabes, ut ex *Abenephi* aliisque constat, *Barasa* appellant.

Jos. Scal. in Euseb.

*Casparus Barthius* ait, quosdam eum æqualem Mosi facere, quod merito, ut absurdum, reiicit. *Claudius Verderius*, in sua *Anniani Berosi* censura, affirmat, eum vixisse paulo ante Alexandri Macedonis tempora, qua auctoritate fretus, mihi non constat. *Tatianus*, in oratione adversus Græcos, Alexandro æqualem fuisse ait; verum idem testatur a Beroso historiam a se conscriptam, dicatam ei Antiocho, qui tertius ab Alexandro fuit. At dubia est hæc lectio, cum *Eusebius* eum Tatiani locum his verbis laudet *: *Berosus, vir Babylonius, idemque Beli, quod illorum numen erat, sacerdos, qui Alexandri vivebat temporibus, in ea, quam tribus libris Antiocho post Seleucum tertio* (τῷ μετὰ Σέλευκον τρίτῳ) *scripsit, Chaldæorum historia*, &c. In ipso textu *Tatiani* est ἀντὶ τῷ μετὰ Σέλευκον, μετ' αὐτὸν, quæ lectio magis consentanea historiæ videtur. Alexandro proxime successit *Seleucus Nicator*, huic *Antiochus Soter*, cui *Antiochus Deus*, regnum auspicatus uno & sexaginta annis post Alexandri mortem. Jam autem fieri potest, ut Berosus, eo tempore, quo Alexander Babylonem cepit, natus esset triginta annos, aut aliquanto pauciores, & nonagenarius, aut paulo junior, historiam suam Antiocho Deo dicaverit. Forte etiam *Antiochus*, *post Alexandrum tertius*, esse queat apud *Tatianum*, Antiochus *Soter*, si ipsum Alexandrum scilicet numeres, post quem Seleucus secundus erit, Antiochus Soter tertius, ad quem, a morte Alexandri, effluxere tantum quadraginta quatuor anni. Hac etiam computatione admissa, ferri poterit lectio *Eusebii*; primus enim erit Seleucus, secundus Antiochus Soter, tertius Antiochus Deus. Neque hoc pugnabit cum ea ratione, qua *Gesnerus*

Ex Voss. de Hist. Græc. L. I. c. 13.

Præp. L. X. c. 11. * Vide Indicem in voce Berosus

*Tatiani* verba vertit: κατ' Ἀλέξανδρον γεγενημένος, ut legitur in *Stephani* Eusebianæ editione, vel, ut est apud ipsum Tatianum, κατ' Ἀλέξανδρον γεγονὼς, *qui Alexandri ætate vixit*, quam versionem secutus est *Onuphrius Panuinius*. Sed verba hæc pensiculatius expendenti in mentem venit, rectius verti, qui *Alexandri ætate natus est*. Sic sane tollitur omnis scrupulus. Quippe natus sit Berosus biennio ante obitum Alexandri; fuerit hoc pacto tantum annorum sexaginta quatuor, cum cœpit regnare Antiochus Deus, cui librum suum obtulit. Utcunque est, Berosus historiam suam emisit temporibus *Ptolemæi Philadelphi*. Nam hic imperavit triginta octo annis, ac anno quidem ejus sexto regnare in Syria cœpit Antiochus Deus, quorum alterutri sua nuncupavit Berosus. Minime vero adsentiendum *Conrado Gesnero*, qui in notis ad *Tatianum*, per *Alexandrum* intelligi putat, non illum Philippi filium, cognomento *Magnum*; sed eum, qui in Syriæ regno *Demetrio Soteri* successit, successoremque habuit *Demetrium Nicanorem*. Per *Antiochum* vero capit *Antiochum Sidetem*, qui post Demetrium Nicanorem regnavit. Hæc enim si vera essent, Berosus toto seculo esset iunior *Manethone*. Atqui *Manethos* floruit sub Philadelpho, ut ostendit alibi *Vossius*, ex quo hæc hausimus. Philadelphus obiit anno tertio Olymp. CXXXIII. at Antiochus Sidetes Syriam invasit, anno primo Olympiadis CLX. Quomodo tum demum vixisse Berosus potest, qui paulo antiquior est ipso Manethone? quod disertim dicit *Georgius Syncellus*. Aliter etiam ætatem Berosi adstruimus. Nam *Plinius* (e) scripsit, Berosum prodere memoriam annorum CCCCLXXX, qui sine dubio sunt anni Nabonassaris. At caput *Æræ Nabonassareæ* surgit Olympiadis VIII. anno secundo; a quo tempore, si annos numeres CCCCLXXX, incidemus in extrema tempora Antiochi Soteris. Quare vel huic, vel filio hujus, Antiocho Deo, historiam suam dicaverit Berosus. Hæc profecto de ætate Berosi dubitare nos minime sinunt.

Lib. de Sibyll.

Meminere Berosi plurimi veterum, eosque inter (f) *Vitruvius*, qui testatur, eum *in insula & civitate Coo consedisse, ibique aperuisse disciplinam*. *Josephus* (g) memoriæ prodidit, eum scripta Astronomica & Philosophica Chaldæorum intulisse Græciæ, *Ob divinas prædictiones ei ab Atheniensibus publice in Gymnasio statuam, inaurata lingua, positam* autor est (h) *Plinius*. Ejus etiam mentionem *Tertullianus* (i), & *Chronici Alexandrini* scriptor (K) injecere.

Condidit *Babylonica*, seu *Chaldaica*, tribus libris; promiscue enim his nominibus utantur Veteres. Babylonica quidem Berosi advocat (l) *Athenæus*; at Tatianus ait, scripsisse *Chaldæorum historiam tribus libris*. Alexandrinus *Clemens* (m) citat Berosum *libro tertio Chaldaicorum*, & alibi simpliciter ejus *Chaldaicas Historias*. *Agathias* (n) quoque contexta ab eo ait antiquissima Assyriæ & Medicæ Gentis, hisce verbis: *ut alibi Berosus Babylonius, & Athenocles, & Symmachus retulerunt, qui* ἀρχαιότατα

e L. VI. c. 55.
f L. IX. c. 6. 7.
g Cont. Apion. Lib. I.
h L. VII. c. 37.
i Apol.
K p. 46.
l L. XIV.
Adv. ad Gent. p. 41
m Strom. p. 314.
n L. II. init.

Ασ-

'Ασσυρίων τε καὶ Μήδων scripserunt. Ex eo opere præclara fragmenta conservavit nobis *Josephus* Lib. I. contra *Apionem*, & Lib. V. *Antiquit. Jud.* Verù suppositius Berosus *Annii* vanus & nugax est, ac ejusdem farinæ, ac sunt ejus *Megasthenes* & *Archilochus*. Multos comminiscitur Reges, qui nusquam memorantur; ac vix quidquam eorum invenias, apud hunc, quæ ex vero Beroso profert *Josephus*. Imo interdum pugnantia habet; ut, quando ait, Babylonem a Semiramide conditam esse; cum *Josephus* dicat a Beroso scriptum fuisse, non esse eam a Semiramide ædificatam.

Filiam hujus Berosi memorat *Justinus Martyr* Babylonicam Sybillam, quæ *Cumis* vaticinata est; quod non potest intelligi de Cumana Sibylla, quæ vixit tempore *Tarquinii Prisci*; nam inter Tarquinium Priscum, & primum bellum Punicum, cujus tempore Berosus erat, sunt anni CCXLV. Capiendum ergo est de aliqua recentiore Cumana Sibylla. Sane varias Sibyllas Cumis vaticinatas ex libro *de Mirabilibus rebus auditu perceptis*; aliisque, dudum ostendit *Onuphrius Panvinius*, libro *de Sibyllis*. (in Parænesi.)

Cum ergo a Beroso primum Chaldaica doctrina in Græciam allata sit; is claudet Doctorum, sive Philosophorum Chaldæorum agmen.

## CAP. VII.

*Eruditos præsertim Chaldæos dictos fuisse.*

Chaldæi disciplinas non tradebant aut propagabant, more Græcorum; apud quos, qui sapientiam publice profitebantur, ea quoslibet Auditores promiscue imbuebant. Chaldæi intra certas familias se continebant, quæ id nominis peculiari jure obtinebant. Se totos studiis addicebant, & propria sede sibi concessa, immunitatem publicorum onerum, vectigaliumque vitam agebant. De hisce capiendum quod *Diodorus* ait de iis, quos Babylonii *Chaldeos* nuncupabant, quique a Belo instituti, publicorum omnium onerum expertes erant. (Bibl. L. II. p. 82.) Constitutam habitationem peculiarem in Babylonia Philosophis indigenis, qui Chaldæi appellantur *; fuisse Chaldæorum nationem, & Babyloniæ regionem ab iis habitatam, proximam Arabibus & mari, quod Persicum dicitur, auctor est (a) *Strabo*.

Hi fuere Chaldæi (b), qui, ut prodidit *Cicero*, *non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati sunt*. Iidem etiam intelligendi videntur, quos alibi dicit *in Syria cognitione astrorum, solertiaque ingeniorum antecelluisse*. *Curtius* † describit solemnem pompam eorum, qui Babylone Alexandro obviam processere, dicit post Magos venisse *Chaldeos, non vates modo, sed artifices Babyloniorum*. Quod quidam intelligunt de iis, qui Astronomica instrumenta faciebant, sed videtur *Curtius* duo indicare Chaldeorum genera; plebeios nempe, opifices, & eruditos.

De hisce quoque Chaldæis, quibus id nominis peculiariter tribuebatur; intelligendus *Laertius*, ubi dicit: *Persis Magos, Babyloniis & Assyriis Chaldæos* auctores sapientiæ fuisse. (In Proœm.) Eodem etiam respexisse credendus *Hesychius*, qui Χαλδαῖοι interpretatur γένος Μάγων. πάντα γινώσκοντες, *genus*

* Vide indicem in voce Chaldæi duplex.

a L. XV. p. 507.

b De Div. l. I. c. 1. ibid. c. 41.

† Lib. V. c. 1. vide vocem Artifices in Indice.

*Magorum omnium* disciplinarum *peritorum*.

## CAP. VIII.

### *Quomodo discipulos Chaldæi instituerint.*

CHaldæi suam eruditionem intra se continebant, traditionis πατροπαραδότῳ ope. „Hæc, inquit *Diodorus*, non docent, uti Græci, qui hæc studia tractant. A familia hæc Philosophia traditur, filiusque eam a patre accipit, solutus omnibus publicis muniis. Quia parentibus utuntur magistris, plenius omnia discunt, & iis, quæ docentur, majorem habent fidem. Præterea, dum a pueris statim disciplinis innutriuntur, magnum ad Astrologiam habitum adquirunt; cum propter ætatis docilitatem, tum propter longitudinem temporis, per quod in discendo perdurant. Apud Grecos vero plerique accedunt imparati, Philosophiam sero attingunt, atque aliquandiu opera ei data, necessitatibus vitæ subtrahuntur. Pauci, qui Philosophiam prorsus penetrant, quæstus causa disciplinæ adhærent, novasque de rebus magni momenti opiniones inquirunt, neque majores suos sequuntur. Igitur Barbari, iisdem semper inhærentes, firmiter singula percipiunt. At Greci, ex arte lucrum captantes, novas condunt sectas, & de maximis theorematibus disceptantes, faciunt, ut discipuli dubitent, animique eorum per totam vitam fluctuent, nec ulli rei prorsus assentiri queant. Nam si quis maxime insignes Philosophorum sectas diligenter expendat, plurimum inter se discrepare, & in gravissimis sententiis sibi invicem adversari comperiet. * „

L. b. II. p. 82.

* vide Indicem in voce Collegiorum.

## CAP. IX.

### *Secta Chaldæorum distincta pro variis eorum sedibus.*

QUemadmodum eruditionem apud Chaldæos professi a reliquo distinguebantur populo, peculiari *Chaldæorum* vocabulo, e regione petito: sic & inter se distincti erant in sectas, nomen ducentes e variis sedibus, quas in ea regione obtinebant. *Plinius* (a) & *Strabo* (b) meminerunt *Hipparenorum*, sic dictorum, ab *Hippareno*, urbe Mesopotamiæ: *Babyloniorum* a *Babylone*: *Orchenorum*, qui *Plinio tertia Chaldæorum doctrina* dicuntur, ab *Orchoe* Chaldææ oppido; *Borsippenorum* a *Borsippe*, alia Babyloniæ urbe, Apollini & Dianæ sacra.

a L. VI. c. 26. b L. XVI. p. 506. Ed. Genevens.

Quamvis *Diodorus* præferat Chaldæorum Philosophos Græcis, quod priores, missa novandi cupidine, in iisdem perseverarent doctrinis; inde tamen cave colligas, universim eos inter se consensisse, sed tantum unamquamque sectam constanter iisdem placitis adhæsisse, & rejectis omnibus novis opinionibus, intemeratam mansisse. Nam inter Sectas quidem plenus non fuit consensus, ut liquet ex *Strabone*, qui docet, *complures eorum iisdem de rebus, ut in Sectarum fieri solet diversitate, aliter atque aliter statuisse*; item: *fuisse inter eos, qui e natalibus hominum eventura iis vaticinari se profiterentur* *, *ac ceteris non probatos*. Hinc quoque *Lucretius*:

* vide Indicem in voce Genethliacorum.

*Ut Babylonica Chaldæum doctrina refutans,*
*Astrologorum artem contra convincere tendit.*

Lib. V.

CAP. X.

## CAP. X.

*Secta Chaldaorum secundum varias disciplinas distincta.*

ALtera aptior eruditorum Chaldæorum distributio e disciplinis, quas profitebantur, petita est. *Daniel* Propheta C. II, 2. ubi narrat a Nabuchodonosoro accersitos esse omnes Doctos, qui somnium ejus divinarent, præcipuos eorum quatuor appellationibus complectitur: *Hhartumin*, *Aschaphim*, *Meschephim* & *Caschdim*.

חרטמים *Hhartumim Abarbaneli* sunt *Magi rerum naturalium periti*, *Jachiada* vero *Magi*, *qui theoreticam scientiam colebant*, quæ interpretatio origini vocis consentanea est. Neque enim derivatur a חרוים טומים *hherovjim toumim*, *ossa combusta*, ut quidam volunt, quod Magi superstitiosos ritus ope ossium cadaverum perficerent, neque a חרט *Hheret* quod *stylum*, aut *cœlum* significat; quod ut apud Ægyptios, docti inter Chaldæos *Scribæ* dicerentur, Chaldaica enim vox eo sensu non sumitur. Sed ortũ ducit a Persica voce חרד *charad*, mutato *Daleth* in *Tet*, quæ significat *cognoscere*; unde *Elmacinus* pro hac Persico-Chaldaica utitur duabus Arabicis. *Albachamaon*, *Walarraphaon*, sapientes & periti. Igitur *Hhartumin* non erant, ut vulgo interpretantur, Magi, sed potius, qui cognoscendæ rerum naturæ operam dederant; quæ contemplatio Theologiam, & Physicam, seu cognitionem Dei, rerumque naturalium complectitur.

Vide indicem in Physic. I.

אשפים *Ascphim* a *Jachiade* fuisse creduntur *Magi*, *qui scientiam activam colebant*, prout ejus verba vertuntur a *Constantino l' Empereür*; qui tamen *Jachiadem* falli putat, & Aschaphim potius idem esse ac *Souphoun* in Arabica lingua, *sapientem ac pium*. Quod sane verisimilius est, nam *Souphoun* optime convenit iis, qui omnia theologice, mystice, atque allegorice docebant. Derivatur a voce Arabica *Tsouph*, *lana*, seu quod ejusmodi sapientum vestes semper lana, nunquam serico, constarent; vel quod ea, quæ ad amorem divinum pertinent, velarēt, conspicuarum rerum figuris. Inde derivatur vox *Hatseviph*, *mystica Teologia*; & forte etiam ab Hebraica radice *aschaph* deducenda vox Græca σοφὸς, quo nomine primum eruditi inter Græcos, qui postea Philosophi, vocabantur. *Aschaphim* Danielis vulgo explicantur *Astrologi*, & vocem quidem *Aben-Esra* deducit a נשף *neschepb*, *crepusculum*, *quod eo tempore cœlum observarent*. Sed Astrologi designantur voce *Chaschedim*, quæ postrema est. *Aschaphim* Chaldæorum videntur potius esse Magi Persarum, Sacerdotes, eorumque rituum, quos magicos appellabant, Magistri.

מכשפים *Mechaschephim* proprie dicuntur *Revelatores*; nempe absconditarum rerum. Veriverbium petendum a כשף *chaschapha*, quod etiamnum hodie apud Arabas revelare significat. *Moses Nachmanides*, *Abarbanel*, aliique hosce putant diabolicis artibus usos, posseque adeo haud inepte vox ea verti verbo *Sortiarii*, quo hodie ejusmodi homines designamus.

כשדים *Caschdim*, ut antea ostendimus, nomen fuit peculiariter

eruditis Chaldæorum attributum; & arctiori etiam sensu iis, qui profitebantur Astrologiam, cui potissimum addicti erant, & qua præ ceteris excellebant. Hos *Strabo* Χαλδαίυς ἀςρονομικὺς vocat.

Præter quatuor hæc genera, quæ præcipua fuisse videntur, erant & alia, quæ memorantur & prohibentur a Mose, Deut. XVIII, 10. *Quosem*, *megnonen*, *menahhesch*, *schober*, *schoel-ob*, *jidgnoni*, *doresch-el-hammethim*; quibus recitatis, *Moses Maimonides* subiicit, fuisse varia genera divinorum, a priscis Chaldæis originem ducentium. *Iachiades* putat esse genera τῶν Mechaschephim.

## SECT. II.

### *Chaldaica doctrina.*

vide indicem in voce Rabbinus

EX quatuor Eruditorum apud Chaldæos generibus, quorum Daniel Propheta meminit, & de quibus modo egimus, quibus partibus doctrina constaret Chaldaica, colligi potest. *Hhartumim* divinis & naturalibus, contemplationibus operam dabant: *Aschaphim* Religionum ritibus: *Mechaschephim* & *Chaschdim* divinationi, hi Astrologiæ ope, illi aliis artibus. Duos posteriores ordines *Diodorus* Astrologorum nomine complectitur: duos priores, nominibus Physicorum & Sacerdotum: ait enim eos *imitari Sacerdotes Ægyptios*, ᾗ φυσικὺς, ἔτι δὲ ἀςρολόγυς.

Propterea de Chaldaica acturi doctrina, primum eorum *Theologiam* & *Physicen*, quibus incumbebant Hhartumim: deinde *Astrologiam*, aliasque divinandi artes, quæ exercebantur a Chaldæis & Mechaschephim: tertio eorum *Theurgiam*: quarto *Deos*, quorum contemplatio & ritus ad Aschaphim pertinebant, lustrabimus.

Chaldaica doctrina ante omnia contemplatur Naturas omnes divinas & naturales; priorumque contemplatio Theologia est, posteriorum Physica.

Zoroastres divisit omnes Naturas in tres classes æternas: alteras, quæ initium habuerunt, sine caritura. tertias, perituras. Duas priores contemplatur Theologia. Pletho in Orac. mag. 90. Ed. Amstel. 1618

*Qui Græcorum Theologiam accurate expenderunt*, ait *Eusebius*, eos sine dubio intelligens, qui Zoroastrem sequebantur, *rem totam in quatuor genera partiti sunt, quippe ante omnia Deum primum secernentes, omnibus eum rebus præsidere, ante omnes esse, omniumque Deum, parentem ac regem sese agnoscere, profitentur; secundum quem alterum Deorum genus, tertium Dæmonum, quartum denique Heroum assignant*; vel secundum alios *Angelorum*, Dæmonum, & Animorum. Præp. Evang. Lib. IV. c. 5. Vide indicem in voce Græci

Tertia classis Naturarum, quæ peritura, est Physices argumentum; omniaque materialia, in septem mundos divisa, unum empyreum, tres æthereos, tres corporeos, complectitur.

## CAP. I.

### *De æterna natura, sive Deo.*

PRima classis Naturarum est æterna, secundum Zoroastrem, & supremum continet Numen. Hoc ex modo allatis *Eusebii* verbis liquet, confirmaturque oraculo, a *Porphyrio* laudato:

Μῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι,
Αὐτογένεθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς. Ap. Euseb. Præp. Lib. IX. c. 10.

Chal.

† Vide Indicem in voce Hebræi

*Chaldæis solis sapientia cessit, † Hebraisque,*
*Æternum casto veneratis numen honore.*

Hoc est unicum illud Principium, de quo scriptor *Explanationis brevis* dogmatum Chaldaicorum: μίαν ἀρχὴν τῶν πάντων δοξάζουσι &c. *unicum arbitrantur rerum omnium Principium, idque profitentur unum esse & bonum.*

Porphyr. in vita Pythag. † Vide Indicem in Oromastes

*Deus*, ut Pythagoras a Magis, qui eum *Oromazem* † appellant, didicerat, *corpore similis est luci, anima veritati*. Deum etiam *lucem* a Chaldæis dici, præter *Eusebii* testimonium, constat oraculis Zoroastris, ubi passim describitur vocibus, φάος *lux*, αὐγαὶ *radii*, φέγγος *splendor*.

Eodem sensu, Deum vocabant *ignem*; nam cum אור *Or* vel *Our* Chaldaice significet *lucem* & *ignem*, promiscue horum duorum vocabulorum significata sumebant. Inter plurimos alios, *Plato*, ubi dixit Deum cœpisse *componere corpus totum mundi, igne & terra*, significat se *igne* intelligere *solem*, quem *splendidissimum & lucidissimum rerum omnium* vocat, quasi lux & ignis idem sint. Hoc quoque manifestum ex *Zoroastris* oraculis, ubi Deus passim πῦρ *ignis*, & πατρικὸν πῦρ *paternus ignis*, & ὕπατον πῦρ *supremus ignis*.

In Timæo.

Hoc sine dubio fundamento inædificatus cultus ignis apud veteres Chaldæos, a quibus ad Persas transierat; qua de re posthac, ubi de horum Religione & Diis agemus.

## CAP. II.

### *Emanatio ignis seu luminis, a Deo.*

CUm Deus, ut ostendimus, sit νοερὸν φῶς aut πῦρ, *in sua intellectuali potentia non inclusit suum ignem* ἐν τῇ δυνάμει νοερᾷ οὐκ ἔκλεισεν ἴδιον πῦρ, sed eum largitus est omnibus creaturis; & quidem ipse atque ante omnia Primæ Menti, ut Oracula docent; tum etiam æternis atque incorporeis Naturis aliis, sub quibus continentur innumeri Dii, Angeli, boni Dæmones; & Mentes hominum. Proximum e Deo effluvium est ὑπερκόσμιον φῶς *supramundanum lumen*, infinitum, idemque incorporeum ac lucidum spatium, Intellectualium Naturarum beata sedes. Supramundanum autem lumen illustrat primum corporeum mundum; empyreum nempe, seu igneum cœlum; quod, cum proxime subiaceat incorporeæ luci, est omnium corporum altissimum, splendidissimum ac rarissimum. Empyreum cœlum diffunditur ad æthereum usque, quod est corpus inferius, ignemque minus sincerum continet. Sed igneum tamen esse, densissimæ ejus partes, Sol ac stellæ, satis ostendunt. Ab hoc æthere ignis transmittitur ad hunc sublunarem ac materialem mundum: nam licet materia, qua constat, non sit lux, sed tenebræ, (quales sunt corporei, seu mali Dæmones,) attamen id ζωογόνιον πῦρ *vivificus ignis*, ut loquuntur Oracula, eam agitat, & lumine omnes ejus partes collustrat, dum per omnia diffunditur, & ad centrum usque penetrat: ἄνωθεν διήκει ἐπὶ τὸ κατ' ἄντικρυ, διὰ τοῦ κέντρου τῆς γῆς,

Vide Indicem in Lumen

*desuper permeat in oppositam partem, per centrum telluris*. Verum hæc plenius describemus, ubi de singulis agemus.

## CAP. III.

*De rebus æviternis & incorporeis.*

SEcunda seu media classis rerum, ex sententia Zoroastris, est, quæ initium habuit, at carebit fine, qualia vulgo a Scholasticis *æviterna* dicuntur. Huc pertinent *Deorum genus*, quod sub Deo patre & rege collocatum testatur *Eusebius*, & Mentes hominum. *Pletho*, & alter ille, qui compendio doctrinam Chaldaicam tradidit, has Naturas hoc ordine collocant: * *intelligibiles & intellectuales; Intellectuales fontes; Hyperarchii, vel Principia; Azoni Dii; Angeli; Dæmones; Animi*. Ajebant Chaldæi hasce omnes naturas *lucem* esse, Dæmonas malos *tenebras*.

Lib. IV. cap. 5. Præp. * Vide Νοητὰς & Νοερὰς in Indice

Huic medio generi Zoroastres præficiebat Mithram, qui in Oraculis, * interprete *Psello*, vocatur *Mens*. Hic circa secundarium genus versatur.

Plutarchus in Lib. de Iside & Osiride * Vide Indicem in Mithra.

## CAP. IV.

*De primo ordine æviternarum rerum.*

PRimo loco sunt tres ordines, * unus *intelligibilium* rerum, alter *intelligibilium & intellectualium*, tertius *intellectualium*. Primus horum trium, (conjectore *Patricio*, nam *Pletho* hæc memorat quidem, sed non explicat,) videtur esse, quem intellectu duntaxat assequimur, quiq; est summus. Medius est earum Naturarum, quæ intelliguntur & intelligunt. Τὰ μὲν ἐστι νοερὰ καὶ νοητὰ, ὅσα νοοῦντα νοεῖται, ait Zoroastres, *hæc sunt intellectualia & intelligibilia, quæcunque intelligentia intelliguntur*. Tertius ordo est earum, quæ tantum intelligunt; quippe quæ sunt, seu essentia sua, seu participatione, intellectus. Hac distinctione capimus supremum ordinem esse supra intellectum, quippe qui intelligitur a medio Mentium genere. Medius ordo, superioris naturæ particeps, est Mentium, quæ superiores, & seipsas intelligunt. Postremus videtur esse Mentium, quæ non modo se ipsas, sed superiores etiam & inferiores intelligunt.

* Vide Indicem in Νοητ & Νοερὰς.

De primo horumce ordinum Anonymus scriptor Compendii de doctrina Chaldaica, sic habet: *Deinde* (nempe post unum & bonum,) *colunt paternum quoddam fundum, ex tribus Triadibus compositum. Quælibet autem Trias habet patrem, potentiam & mentem*. *Psellus* paulo plenius: *Secundum Unum, affirmant paternam profunditatem compleri tribus Triadibus, quarum unaquaque primum habet *, Patrem, deinde mediam (a) Potentiam, & tertiam (b) Mentem intereas, quæ intra se claudit Triadem; hæc vocantur etiam ab iis intelligibilia*.

* Vide Indicem in voce Pater. a Vide Indicem in Potentia. b Vide Indicem in Mens

Hæc triplex Trias eadem esse videtur, cujus meminit Zoroastres, qui *patrem* vocat eundem, qui ita a *Psello* appellatur: πάντα γὰρ ἐξετέλεσε πατὴρ, *omnia perfecit Pater*. Vocat & πατρικὴν μονάδα, *unitatem paternam*.

Secunda Natura, quæ a *Psello* vocatur *Potentia*, dicitur a *Zoroastre* δύναμις νοερὰ *intellectualis potentia*, & ἀλκὴ πατρὸς *vis patris*: item, *Dyas generata a Monade, & quæ apud eam sedet, & prima mens paterna*.

Ter-

Tertium Triadis Principium, quod a *Psello* dicitur *Mens, secunda mens* Zoroastri est: πάντα γὰρ ἐξετέλεσσε πατὴρ καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ, ὃν πρῶτον κλῄζεται πᾶν γένος ἀνδρῶν, *omnia enim perfecit Pater, & Menti tradidit secundæ, quam primam vocat omne hominum genus.* Quemadmodum *Psellus* dicit, ab hac Mente intra se Triadem ac paternam profunditatem claudi: *Zoroastres* ait, eam εἶναι πέρας τοῦ πατρικοῦ βυθοῦ καὶ πηγὴν τῶν νοερῶν, *finem esse paternæ profunditatis, & fontem intellectualium.* Item: † οὐ προῆλθεν, ἀλλ' ἔμεινεν ἐν τῷ πατρικῷ βυθῷ, *non processit, sed mansit in profunditate paterna.*

† Vide Indicem in voce Mens.

## CAP. V.

*Secundus ordo æviternarum rerum.*

POst hosce, ait Psellus, *est alius ordo intelligibilium ac intellectualium: Hic dividitur tripliciter, in Iyngas, Synoches & Teletarchas.* Cui assentitur scriptor Compendii: *Tum sunt intelligibiles Iynges; secundum quas sunt Synoches, Empyreus, Æthereus, Materialis: post Synoches sunt Teletarchæ.*

De primis ita loquuntur Oracula: νοούμεναι ἴυγγες πατρόθεν νοέουσι καὶ αὐταί, βουλαῖς ἀφθέγκτοισι κινούμεναι ὥστε νοῆσαι. *intellecta Iynges a patre intelligunt & ipsa, consiliis ineffabilibus motæ, ut intelligant.* Psellus vult esse *certas potentias, secundum paternam profunditatem, constantes tribus Triadibus;* quæ *secundum oraculum intelliguntur a paterna mente, quæ singularum causam in se continet.* Pletho: *sunt intellectuales species a Patre perceptæ, quæ & ipsæ intelligunt, excitantes notiones ineffabilibus consiliis.* Eædem videntur esse ideæ descriptæ in Oraculo Zoroastris, a v. 100. ad 119. Νοῦς πατρὸς ἐρροίζησε, & quæ sequuntur. His etiam verbis *Proclus*, postquam ea protulit, quasi oraculum Deorum, ait confirmari sententiam *Platonis* de ideis.

P. 108. Ed. Amstel. 1688.

P. 80. Amstel. Ed.

Secundi sunt Synoches numero tres *Empyreus*, *Æthereus*, & *Materialis*, pro numero mundorum, quibus præsunt. Videntur esse Mentes, quæ ab *Hecate* ducunt vivificum ignem, quem immittunt Empyreo, Æthereo ac Materiali mundis, cum quibus vitalem motum communicant. Vocantur in Oraculis Ἀνοχεῖς.

ὡς ἔχει κόσμος νοεροὺς ἀνοχῆας ἀκαμπεῖς, *habet mundus intellectuales Anoches inflexos.* Hæc *Psellus* vult esse excellentissima intelligibilium generum, & ex iis, quæ ab Immortalibus in hoc cœlum demittuntur, quibus præesse intelligitur Deus a Patre secundus.

Postremi sunt *Teletarchæ*, qui in Oraculo Synochibus junguntur: οἱ τελετάρχαι συλλήπται τοῖς συνοχεῦσι, *Teletarchæ continentur sub Synochibus.*

Secundæ Triadis, quam hoc Capite exposuimus, sæpius meminerunt. *Damascius & Proclus*, duplici nomine eam insignientes, *Intellectualium & intelligibilium*, νοερῶν καὶ νοητῶν.

## CAP. VI.

*Æviternarum rerum tertius ordo.*

POstremus ordo est rerum intellectualium. Psellus: *post medium ordinem est intellectualis, habens unam Triadem paternam, continentem* (τὸν ἅπαξ ἐπέκεινα) *semel ulteriorem, Hecaten, &* (τὸν δὶς ἐπέκεινα) *bis*

*bis ulteriore; alteram vero Triadem constantem tribus Amilictis; ad quos accedit Hypezocos. Hi sunt septem fontes.* Compendium Chaldaicæ doctrinæ: *His succedunt fontant patres* (πηγαῖοι πατέρες,) *qui dicuntur etiam Cosmagogi, quorum primus dicitur semel ulterior, post quem Hecate; deinde bis ulterior, post quem sunt tres Amilicti* (ἀμείλικτοι implacabiles,) *& ultimus Hypezocos*, ὑπέζωκος succinctor.

*Psellus*, in Scholiis ad Oracula, versum 126. jam laudatum antecedente Cap. de hisce intelligit; p. 96. *Chaldæi*, inquit, *ponunt potentias in mundo, quas vocant Cosmagogos, quippe quæ mundum providis motionibus agunt. Has igitur potentias vocat Oraculum* ἀνοχῆας *sustentatores, quod mundum universum sustineant. Voce* ἀκαμπεῖς *designatur stabilis eorum potentia; & voce* ἀνοχεῖς *custodiendi cura. Has autem potentias definiunt solam & indeclinabilem mundorum caussam. Pletho* has interpretatur, ut Iyngas.

Amilictos & Hecaten, & Hypezocon memorant Oracula vers. 120. & seqq. *Amilicti*, auctore *Psello*, ita dicuntur, quod sint naturæ stabilis, neque versus hæc inferiora conversæ, impediuntque, ne Animi affectuum illecebris demulceantur.

## CAP. VII.

### *Fontes & principia.*

PRæter hunc postremum Intellectualium ordinem, quos *Psellus* vocat *septem fontes*, † Compendium, *fontanos patres*; ab hoc memorantur plurimi alii fontes: *Venerantur etiam fontanam Triadem fidei, veritatis & amoris. Aiunt etiam esse* (ἀρχικὸν) *principalem solem, a materiali fonte etiam Archangelicum, & fontem sensationis, & fontanum, judicium & fulmineum fontem, & fontem speculorum, & fontem characterum insidentem ignotis synthematibus, & fontanas altitudines Apollinis, Osiridis & Hermæ. Aiunt quoque esse materiales fontes centrorum & elementorum, somniorum Zonam, & fontanam animam.*

† Vide Indicem in voce Fontes.

*Post Fontes*, ait *Psellus*, *sunt Hyperarchii*. Anonymus plenius: *post fontes dicunt esse principia, nam fontes sunt magis principales* (ἀρχικώτεροι) *quam principia*. Hæc nomina *fontium* & *principiorum* frequentia apud *Dionysium Areopagitam* occurrunt, imo in tertia Triade *principia* collocat, post quæ Archangelos recenset.

*Principiorum autem animalia gignentium* (verba sunt Anonymi sequentia) *summum vocatur Hecate; medium Anima principalis; fundus Virtus principalis.*

Hæc videtur esse Hecate, quam *Psellus* ait creditam a Chaldæis fontem Angelorum, Dæmonum, Animarum & Naturarum. Hanc eandem designat Oraculum:

Λαιῇς ἐν λαγόσιν Ἑκάτης ἀρετῆς πέλει πηγή.

*in sinistris Hecates lateribus fons est virtutis &c. Chaldæi*, ait Psellus, p. 8. *Hecaten existimant Deam, quæ medium ducit ordinem, & quæ veluti centrum tenet omnium Potentiarum. In dextris ejus partibus collocant fontem animarum; in sinistris fontem bonorum. Et ajunt, fontem quidem animarum paratum esse ad procreationes: fons vero virtutum intra fines manet suæ essentiæ, estque*

quasi

*quasi virgo intacta. Eam quam habet firmitatem & immobilitatem ab Amilictis Potentiis desumsit, estque virginali cingulo ornatus.* Quæ hic a *Psello* vocantur *fontes animarum, & fontes virtutis*, ab Anonymo ἀρχικὴ ψυχὴ καὶ ἀρχικὴ ἀρετὴ dicuntur.

## CAP. VIII.

### *Dii Azoni & Zonai.*

Post Hyperarchios, ex *Pselli* sententia, *sunt Azoni. Apud illos*, ait Anonymus, *sunt & Hecata* ἄζωνοι (sine zona) *ut Chaldaica* τριοδῖτις, κωμαὶς & ἐκκλυστική. *Dii sine zona eis dicuntur* † *Sarapis, & Dionysius, & Osiridis catena, ut & Apollinis. Azoni autem vocantur, qui libere exserunt potestatem suam in zonis, suntque collocati supra conspicuos Deos.* Hi Dii conspicui sunt Cœli & Planetæ, fortasse ejusdem generis, ac Mentes, a quibus sphæras circumagi putant Peripatetici. Uti hic dicit Anonymus ἐνεξουσιάζειν ejusmodi Naturas: ita *Dionysius* secundam tertiæ Hierarchiæ vocat τὴν ἁγίων ἐξουσίαν.

† Vide indicem in hisce vocibus.

Ζωναῖοι (quibus attributa est zona) *sequuntur*, ut ait *Psellus*. *Hi sunt*, Anonymo auctore, *qui zonas in cœlo non libere*, (lego ἀλύτως) *circumvolvunt, & quæ hic sunt administrant. Est enim apud eos genus Deorum Zonaeum, cui attributa sunt sensibilis mundi partes, & quod cingit divisiones forte acceptas, circa materialem locum.*

Idem officium assignat secundæ & tertiæ Hierarchiis *Dionysius*

Iterum Numinum zonis annexorum, aut iisdem solutorum meminere *Damascius*, & *Proclus* in *Proœm. Parmenid.*

## CAP. IX.

### *De Angelis & immaterialibus Dæmonibus.*

Infra *Zonaeos sunt Angeli*, secundum *Psellum*. *Hostanes* ex Persarum magis, qui Chaldæis placita sua debebant, dicitur a *Minutio Felice* docuisse, *Angelos venerationi veri Dei assistere*. *Zoroastres* meminit *reducentorum Angelorum, qui animos reducant ad ipsos, ex variis rebus*. †

In Octavio.

† Vide in voce Ἀναγωγεύς

Proximi sunt Dæmones, docente *Psello*, quorum alios esse credebant Chaldæi malos, alios bonos. Bonos dicebant esse lucem, malos tenebras. Bonos esse Dæmonas ratione colligere possumus. Oraculum:

Ἡ φύσις πείθει εἶναι τοὺς δαίμονας ἁγνοὺς
Καὶ τὰ κακῆς ὕλης βλαστήματα χρηστὰ καὶ ἐσθλά.

*Natura suadet esse Dæmonas puros, & mala materia germina utilia & bona.* Ad quem locum ita Pletho: *Natura sive naturalis ratio persuadet, esse Dæmonas puros, & omnia prorsus ex Deo, qui ipsum bonum est, manantia, utilia esse, &c. si autem materia mala germina bona sunt, multo magis dæmones, qui tanto sunt illa excellentiores, quod sint natura rationalis, & natura, corruptioni obnoxia, impermisti.*

pag. 86.

## CAP. X.

### *De Animis.*

Psellus, in compendiaria descriptione Chaldaicæ doctrinæ æviternarum, *Animos*, extremas naturarum esse ait.

Magi, atque ex eorum doctrina Pythagorici & Platonici, constituunt triplex formarum genus; unum, quod penitus a materia secernatur,

Pletho in Orac. p. 85.

natur, cujusmodi sunt mentes supracœlestes; alterum, quod a materia abjungi non possit, quod essentiam per se subsistentem non habeat, sed a materia pendentem, qua, naturæ corruptibilitate, soluta, dissolvatur & pereat. Atque hoc genus totum rationis esse expers tradunt. Inter illa medium locant animum ratione præditum, a mentibus quidem supracœlestibus ea in re diversum, quod perpetuo materiæ adsit; ab irrationali vero genere, quod materiæ non conjunctus sit, sed contra materiam sibi adjunctam habeat; & sit essentiæ peculiaris, & vi sua subsistentis, itemque indivisibilis, ut mentes illæ supracœlestes; quibus etiam actiones quadantenus affines edat, iisdem, quibus hæ, studiis occupatus; omnium rerum scilicet, quæ in natura sunt, ne excepto quidem summo Deo, cognitione & contemplatione, ac propterea corruptioni non obnoxius.

Psell. p. 105. Animus, cum sit ignis immaterialis & incorporeus, & ab omnibus compositis, & materiali corpore distinctus, immortalis est. Nihil materiæ, aut caliginis particeps illi immistum est; multo minus compositus est, ut in ea, ex quibus constitutus fuit, resolvi queat.

summar. expos. p. 110. ed. Amstel. 1688. Animus habet essentiam *αὐτόγονον* *κ᾽ αὐτόζωον* *per se genitam & animatam*. Aliunde enim non movetur, nam si, secundum Oraculum, ignis divini pars est, & ignis lucidus atque paternæ mentis conceptus, profecto forma est materiæ expers & per se subsistens. Sic enim est omnis divina natura, cujus pars est animus.

ibid. Animorum humanorum duplicem ponunt causam fontanam, Paternam scilicet mentem, & animam fontanam. Prodit autem, ex illorum sententia, particularis anima a fontana, pro Patris voluntate.

Ex Psell. in Oracul. p. 92. & Pleth. p. 81. Jam autem cum sint variæ sedes, quarum una tota lucida est, altera tota tenebricosa, aliæ tenebris & luce mistæ; locus subjectus lunæ undique tenebricosus est, Lunaris alternatim lucidus & obscurus, qui supra lunam est undequaque lucidus, attribuiturq; animis.

Summ. ib. Hinc volunt hujus generis animos variis de causis demitti in terram, seu propter *πτερορρύησιν*, *quod eis defluxerint pennæ*; quibus verbis significant abscessionem animi a primigenia perfectione, aut ut pareant voluntati Patris.

Pleth. à Or. p. Animus autem cum corpore æthereo, quasi cum vehiculo, semper versatur; atque hoc, continuo attactu, participem immortalitatis facit. Est inanimum quidem *sua natura*, sed animatur ab anima irrationali, (quam sapientes vocant *εἴδωλον*, *simulacrum* animæ rationalis,) imaginationeque & sensu ornatum totum videt, audit, omni denique sensu viget, & *ceteris hujusmodi* animæ irrationalibus facultatibus utitur.

Ita potissima hujus corporis vi, imaginandi facultate, animum rationalem cum toto tali corpore jugiter esse contendunt; tali vero corpore cum mortali quandoque humanum animum copulari, toto illo toti fœtus in utero contenti spiritui vivifico, ob cognationem quandam, implicito, cum ea vis vivifica sit spiritus.

Id. p. Simulacrum animi hoc est, ea pars, quæ, cum sit rationis expers,

cum

eum parte rationali est conjuncta, & ab ejus vehiculo pendet, particeps est sedis undequaque lucidæ, neque enim unquam animus deponit suum *vehiculum*, ὄχημα.

Id. p. 81. Animus a sede prorsus lucida in hoc corpus delapsus, si bene operam suam corpori accommodaverit, in eundem rursus redit; sin male, in sedes has deteriores hinc se recipit, pro ratione eorum, quæ in vita fecerit.

Summ. p. 112. Ita Chaldæi restituunt animos post mortem, prout se purificarunt, in omnibus mundi partibus; quosdam etiam ultra mundum evehunt, ὑπὲρ τὸν κόσμον ἀναβιβάζουσι.

Vide Indicem in voce Resurrectio.

## CAP. XI.

### *Supramundanum Lumen.*

OMnes hæ æviternæ & incorporeæ naturæ sedem in supramundano lumine sortitę sunt; quod lumen incorporeum est, supra altissimum corporeum mundum positum, atque inde superiora versus in infinitum porrectum. *Proclus a Simplicio*, in hoc Zoroastris oraculum, citatus: Ἄρδην ἐμψυχῶσα φάος, πῦρ, αἰθέρα, κόσμους, *affatim animans lucem, ignem, æthera, mundos*. *Proclus*, inquam, "ait, hoc lumen esse supra septem mundos, ut Monas est ante vel supra Triadem empyrei, ætherei, & materialis mundorum. Addit etiam primigenium hoc lumen esse imaginem Paternæ profunditatis, ac propterea esse supramundanum. Præterea hoc lumen, cum sit supramundanus sol, emittere fontes lucis; & mysticos sermones docere, esse inter res supramundanas, esse enim solarem mundum & † universale lumen, secundum oracula Chaldaica.

† Vide Indicem in animales.

Idem etiam ait, centrum totius mundi, quasi unius considerati, esse in hoc lumine: nam si Oracula materialis mundi centrum supra illum ponunt in Æthere, eadem ratione ascendendo, affirmandum centrum altissimi mundorum in hoc lumine situm."

## CAP. XII.

### *De rebus corruptioni obnoxiis & corporeis.*

TErtium & ultimum genus rerum, ex doctrina Zoroastris, est id, quod, ut incepit, ita etiam finem nanciscetur, cui præest *Primanes*.

Sub hoc tertio genere continentur corporei mundi; empyreus, qui proxime supramundano subjacet lumini; æthereus, qui eum sequitur; materialis denique omnium infimus. Ita enim disponuntur in Oraculi modo allati verbis. Quod apparet etiam ex Oraculorum vers. 182. & seqq. Ἑπτὰ γὰρ &c. *Psellus* quomodo, secundum Chaldæos, septem sint mundi ostensurus, ait, ab iis numerari unum empyreum, eumque primum; dein tres æthereos; & tandem tres materiales, nempe orbes fixarum & erraticarum stellarum, ac sublunarem regionem. Sed hæc enumeratio satis plena non est, etenim hic mentio fit duorum tantum æthereorum mundorum, orbis stellarum fixarum & planetarum, & unius materialis sublunaris, ut observavit vir eruditus *Franc. Patricius*, qui proinde septem mundos ita recenset, 1. Empyreus. 2. Ætherei, nempe orbes fixarum, planetarum, excepta luna, & lunæ: 3. elementares, aëreus, aqueus & terrestris. Sed forte magis consentiret cum Oraculo,

quod

quod lunam inter planetas complectitur, & aquam terræ subiicit, & cum *Psello*, qui tres postremos mundos materiales vocat, quicunque eos ita disponeret:

| | | |
|---|---|---|
| 7. Mundi Corporei | 1. Empyreus | Supremus Æther |
| | 2. Ætherei | Sphæra stellar. fixar. |
| | | Orbis Planetarum. |
| | 3. Materiales | Aer. |
| | | Terra. |
| | | Aqua. |

Neque mirum videri debet, tres postremos materiales vocari, nam Chaldæi materiam tenebricosam esse, aut potius tenebras ipsas existimabant. Empyreus vero & ætherei mundi, qui, ut videbimus, luce vel igne constabant, non poterant eo sensu materiales dici, licet corporei.

Empyreum seu primum, ut tradit *Psellus*, tribuebant menti, æthereum animæ, materialem naturæ.

## CAP. XIII.

*Empyreus mundus.*

Summar. PRimus corporeorum mundorum est *Empyreus*; qua voce Chaldæi non intelligebant, ut Christiani Theologi, Dei & beatorum Spirituum sedem, quæ potius eadem est cum suprema Chaldæorum luce; sed extimam corporei mundi Sphæram. Figura ejus rotunda est, ut habet Oraculum: τὸν ἀρανὸν κυρτῷ σχήματι περικλείσας *cœlum rotunda figura circumcludens*. Est quoque *solidus Orbis*, seu *firmamentum*, nam eadem oracula vocant eum στερέωμα. Constat igne, unde nomen ducit, qui ignis, cum proxime subjaceat supramundanæ & incorporeæ luci, omnium corporum tenuissimum ac rarissimum est. Præ tenuitate facile permeat subjectum ætherem, & ubi eum pertransiit, reliquos materiales mundos. „Hoc potest distinctius probari, ait *Proclus*, traditione divina, (*intelligit nempe Zoroastrea oracula*) nam empyreus permeat ætherem, æther vero materialem mundum. Et licet omnes intellectuales Tetrades & Hebdomades habeant fontanum ordinem, ac proinde empyreum præsidem; attamen continentur in mundis, quandoquidem omnes mundos permeat empyreus.

Nihilominus empyreus ipse immotus est, ut docet *Simplicius*, Chaldaicam doctrinam hac similitudine distinctius interpretatus; „Animo concipiamus duas Sphæras, quarum una plurimis corporibus constet, sintque ambæ paris crassitiei, unaque in centro alterius collocetur, tum videbimus mundum in loco collocatum, & in immota luce motum; secundum totam extensionem immotum, ut sit similis loco; sed motum partibus quibusdam, ut sit loco minor.

## CAP. XIV.

*Ætherei mundi.*

POst empyreum mundum, Oraculum *Æthereos* collocat, πῦρ αἰθέρα, κόσμους. Confirmatur hoc a *Psello*, & Auctore Summarii, qui dicit secundum empyreum esse tres æthereos mundos. Verum ex tribus duos tantum memorant, eosdemque inter materiales perperam ponunt: *Sphæram* nempe *fixarum*, & *sphæram erraticarum*. Tertius, licet non expressus, esse queat æther inter empyreum & sphæram fixarum porrectus.

Æther

Æther est ignis, ut ex ipso nomine apparet, minus quam empyreus subtilis, cum empyreus ætherea permeet. Tantæ tamen tenuitatis est, ut ipsos permeet materiales mundos.

Venit nempe a verbo αἴθω ardeo

Secundus æthereus mundus est stellarum fixarum sphæra, quæ stellæ sunt densissimæ & compactissimæ partes ætherei ignis; qui est sensus, ut ingeniose interpretatur *Patricius*, hujus Oraculi:

Ἔπηξε δὲ καὶ πολὺν ὅμιλον ἀςέρων ἀπλανῶν
Τὸ πῦρ πρὸς τὸ πῦρ ἀναγκάσας.

*Fixitque multum cœtum astrorum inerrantium, ignem ad ignem cogens.*

Tertius æthereus mundus est orbis planetarum, qui continet solem, lunam, & quinque planetas; quæ ab Oraculis & *erratica animalia & ignes* vocantur. Ζώων πλανωμένων ὑπέστησεν ἑπτάδα, *animalia errantia constituit septem*, & rursus: Ἐξ αὐτοὺς ὑπέστησεν, ἕβδομον ἠελίου μεσεμβολήσας πῦρ, *sex eos creavit, septimum solis ignem medium jaculatus.*

## CAP. XV.

### *Materiales mundi.*

Postremi & infimi sunt materiales mundi, quos *Psellus*, & Summarii Scriptor tres esse aiunt; significantes sine dubio aerem, terram & aquam, nam eo ordine ab Oraculo collocantur, Γῆν δ' ἐν μέσῳ τιθεὶς, ὕδωρ δ' ἐν γαίας κόλποις, Ἠέρα τ' ἄνωθεν τούτων: *Terram in medio posuit, aquam vero in sinu terræ, & aerem supra hæc.* Hic est postremus ordo mundorum, de quo hæc Summarium dogmatum Chaldaicorum: *ultimus terrestris dicitur & lucis osor, qui locus est sub Luna, habens in se materiam, & qui vocatur* βυθός, *fundum*. Ex hisce verbis liquet, qua de ratione Chaldæi sublunares mundos solos materiales vocitent, contra vero empyreum & æthereos immateriales esse prædicent, quamvis corporeos: nempe, materiam * putant esse μισοφανῆ, tenebras, & fundum naturæ, adeoque ab empyreo & æthere plane diversam; quorum cum ipsa substantia lux sit, agitur præterea ζωογόνῳ πυρὶ, quod, ut antea ostendimus, ad centrum usque omnia permeat.

* Vide Indicem in Materia.

Ad terram quod attinet, *Diodorus Siculus* testatur, Chaldæos fovisse peculiares opiniones, & dixisse eam esse σκαφοειδῆ καὶ κοίλην *instar scaphæ & concavam*. Addit etiam multa argumenta, πιθανὰ cum de hac, tum de reliqua universitate rerum ab iisdem allata.

Lib. II. p. 83.

*Psellus* præterea addit, sublunarem regionem aliquando ab illis vocari Ἅδην.

## CAP. XVI.

### *De materialibus Dæmonibus.*

Dæmonum, ut diximus, Chaldæi duo statuebant genera, bonos & malos, bonos *lucem*; malos *tenebras* vocabant.

Priores sunt iidem, quos *Hostanes* dicebat *esse ministros & nuncios veri Dei, ejusque venerationi assistere*: posteriores vero quos *terrenos, vagos, humanitatis inimicos* prodidit. De prioribus jam egimus; posteriores *Psellus*, in Dialogo *de operatione Dæmonum*, multis descripsit, ex ore † *Marci* cujusdam in *Mesopotamia* degentis, qui, cum Chaldæorum ritibus addi-

Ap. Minuc. Fel.

† Vide Indicem Marcus

addictus fuisset, & eorum doctrina imbutus, Christianismum amplexus erat. Quod narrat, cum ex re ipsa, tum ex hominis patria, satis liquet Chaldaicam esse traditionem.

„ Hi Dæmones sunt variorum generum, cum ad eorum formas, tum ad corpora quod attinet; &

Ex Psello p. 63. Ed. nuperæ Kiloniensis in 12. tanto numero, uti & aer supra nos positus & circumambiens iis refertus sit. Iisdem terræ ac maria, & abditissimi sinus, occultissimaque speluncæ scatent. „

„ Sex sunt eorum præcipua genera. Primum vocabatur *Leliurium*,

† Vid. Indicem in hac voce. † hoc est, διάπυρον igneum. Hoc autem per aerem, qui supra nos est, volitat; nam ex spatio, quod circa lunam est, quasi sacro, ut profana, omnia Dæmonia expulsa sunt. Secundum est, quod per nobis contiguum aerem vagatur, idque a multis proprie aereum vocatur; Tertium, terrestre: Quartum, aqueum & marinum: Quintum, subterraneum: Sextum, lucifugum

* Lego δυσάντητον, vide Indicem in hac voce. & * terribile. „

Ceterum omnia Dæmonum genera Dei odio flagrant, atque hominibus adversantur; sunt tamen alia aliis pejora. Nam aqueum, & subterraneum, atque lucifugum malo gaudentia, & perniciosa præ aliis sunt. Siquidem hæc non illusionibus & phantasmatibus animos lædunt, sed instar efferatissimarum belluarum irruentia, in hominum perniciem properant. Aqueum quidem navigantes suffocat: Subterraneum autem & lucifugum, viscerum, si sinatur, penetralibus sese insinuat, & in quoscunque homines inciderit, eos occupat, suffocat, comitialique morbo, & phrenesi exagitat. Dæmones vero aerei & terrestres arte mentes hominum subeunt & fallunt, atque ad absonos quosvis affectus & illegitimos impellunt. „

„ Hæc autem operantur, non quod nobis imperent, sed quod suggerant. Phantastici enim nostrum spiritum subeuntes, quippe spiritus & ipsi, nescio quos affectuum voluptatumque sermones insusurrant; non quod voces aerem ferientes & sonoras emittant; sed susurros quosdam, quibus verba sua submittunt. Neque fieri non posse, ut sine voce loquantur, videbitur, si reputemus ei, qui loquitur, si sit eminus, elatiore vociferatione opus esse; qui cominus, eum in audientis aures vocem insusurrare. Quod si animæ quoque spiritum subire posset, nullo ei susurro futurum opus, sed sermonem quemlibet, tacita quadam via, *sine ullo* strepitu, ad excipientem *perventurum*; quod animis etiam egressis e corporibus, qui inter se citra strepitum colloquuntur, inesse ajunt. Eodem prorsus modo ipsi quoque Dæmones nobiscum clam confabulantur, ita, ut ne sentiamus quidem, undenam bellum nobis ingruat. Nec est, secundum Chaldæos, quod super hac re quidquam dubitemus, si, quod in aere accidit animadvertamus. Quemadmodum enim, sole lucente, aer varios colores & formas sumit, atque in corpora eorum capacia transmittit, ut in speculis videre est: sic etiam dæmonia colores, & quascunque voluerint formas sumentia, eas in animalem spiritum nostrum traiiciunt. Eo pacto, multa nobis negotia facessunt, dum consilia nobis sug-

suggerunt, voluptatum memoriam refricant, & affectuum idola, tam vigilantibus, quam dormientibus, excitant. Imo etiam membra ventri subjecta titillationibus demulcent, atque in vesanos & illegitimos amores succendunt, potissimum si calores humidos, nobis a natura insitos, cooperatores habeãt.„

„ Reliqua Dæmoniorum genera nullam artem norunt, neque fallere sciunt; sunt tamen molesta, si excipiantur, & instar *Charonei* * spiritus lædunt. Quemadmodum enim ille fertur corrumpere quidquid admotum fuerit, sive sit quadrupes, sive homo, sive volucris: eodem prorsus modo terribilia hæc Dæmonia gravibus damnis eos afficiunt, in quoscunque tandem inciderint; quippe quæ corporibus & animis noceant, habitusque naturales evertant, nonnunquam etiam igne, aqua, & præcipitio, non solùm homines, verum animalia nonnulla perimant.„

* Vide Indicem in hac voce.

„ In animalia autem impetum faciunt, non quia ea ullo odio prosequuntur, aut eis nocere volunt, sed quia mirum in modum animali calore capiuntur. Nam cum in profundissimis locis versentur, quæ admodum frigida & sicca sunt, fit, ut multum sibi frigoris inde contrahant; quo quidem contracti atque afflicti, humidum & animalem calorem appetunt; quo ut potiantur, in bruta insiliunt, & in balnea, concavaque loca penetrant. Ignis enim * & solis calorem, quia urit & exsiccat, aversantur; animalium vero, quippe moderatum & humidum, libenter amplexantur, maxime hominum, in quos insusi, dici non potest, quantum tumultum excitent. Poris nimirum, quibus spiritus animalis inhæret, oppletis, spirituque, ob corporum, quibus præditi sunt, crassitiem, velut in angustias redacto & compresso; hinc fit, ut corpora concutiantur, eorumque præcipue facultates male afficiantur, motusque obtusiores fiant & hebetiores.„

Vide Indicem in voce Bruta.

* Vide Indicem in voce Calor.

„ Quod si Dæmon irruens ex subterraneorum genere sit, hominem insessum concutit & distorquet, atque per eum loquitur, spiritu patientis utens, non secus, atque proprio quodam instrumento. Si quis autem eorum, qui lucifugi dicuntur, clam irrepserit, remissionem membrorum inducit, vocem reprimit, & eum, quem invasit, mortuo similem reddit. Hoc enim genus, quippe dæmonum extremum, magis terrenum est, summeque frigidum & siccum, & quemcunque invaserit, omnem ejus animalem facultatem hebetat & obtundit. Quia vero rationis expers est, & omni intellectuali contemplatione destitutum, imaginatione que rationis experte agitur, ut animalium efferatissima, increpationé minime timet, eaque de causa merito mutum & surdum appellatur. Nec fieri potest, ut eorum, qui ab eo correpti sunt, ullus alio modo liberetur, quam divina potétia, quæ oratione & jejunio adest.„

„ Medicos niti nobis persuadere, ejusmodi affectiones non a Dæmonibus profluere, sed potius ab humoribus, articulis, & spiritibus male affectis; adeoque posse curari pharmacis & diætis, non autem incantationibus & expiationibus, Medicos, inquam, niti hoc nobis persuadere mirum non est,

quoniam præter ea, quæ sensu percipiuntur, nihil norunt, sed in sola corpora inclinati sunt. Morbi quidem plurimi a male affectis humoribus merito oriri censentur; Enthusiasmos vero, insanias, & catochas, quibus qui correptus est nihil quidquam agere potest, neque sermone, neque phantasia, neque sensu; sed ab alio quodam agitatur, eaque loquitur, quæ ignorat, futurumque quippiam interdum prædicit, qua ratione motus materiæ vitiatos dicamus? „

Ibid. p. 111 & seqq. „ Ceterum nullum Dæmoniorum genus masculum aut fœmineum sua natura est, nam ejusmodi affectus compositorum sunt corporum. Atqui Dæmonia simplicia sunt corpora, quæ cum ductilia sint, & facile inflectantur, eo fit, ut omni figuræ suscipiendæ apta sint. Quemadmodum enim nubes videre est, nunc hominum, nunc ursorum, nunc etiam draconum, vel quorumlibet aliorum figuram referentes: ita & dæmoniaca corpora. Jam vero nebulæ, ab externis ventis impulsæ, varias figuras exprimunt. At Dæmones, pro animi sui arbitrio, in quæcunque voluerint corpora, transeunt, ut copiose ex *Marci* sermone ostendit *Psellus*. „

p. 119. „ Sed omnes Dæmones ejusdem potestatis & voluntatis non sunt participes; neque parum discriminis hac in re est inter eos. Sunt enim, qui ratione careant, ut inter animalia composita, mortique obnoxia. In his homo, qui facultate intelligente præditus est; ideo generaliorem imaginandi vim habet, quæ ad omnia ferme sensilia extenditur. Equis autem & bobus & ceteris id genus arctior est imaginandi vis, quippe quæ ad eorum tantum nonnulla extendatur, quæ imaginatione comprehenduntur; & cognoscit duntaxat pecudes, quæ secum pascuntur, *præsepe*, & possessores. „

„ Culices denique, muscæ & vermes eandem habent arctam, nec bene cohærentem. Horum enim singula nec foramen norunt, ex quo egressa sunt, nec locum ad quem tendunt, quove divertendum sit; sed unica illis est alimenti imaginatio. Eodem prorsus modo sunt Dæmonum varia genera. Alii ἐμπύριοι seu *ignei*, alii aerei; varia imaginatione sunt præditi, quamcunque tandem in rerum speciem vim imaginativam extendant. Subterranei vero & lucifugi diverse se habent, quapropter haut pluribus formis utuntur; quippe qui non habent plura phantasmatum genera, neque *corpore agili* & versatili præditi sunt. Aquei vero & terrestres, inter memoratos medii, non possunt quidem plures induere formas; sed in iis, quibus gaudent, perseverant, Quotquot enim humidis in locis vivunt, mollioreque victu utuntur, in aves illi & fœminas se transformant. Inde fit, ut eos Græci *Naiadas, Nereidas* & *Dryadas* genere fœminino appellent. Quotquot autem in locis aridis, seu tesquis inhospitis versantur, eis subarida quoque sunt corpora cujusmodi Ὀνοσκελεῖς (*cruribus asininis*) ajunt esse. Hi in viros se transformant, & nonnunquam etiam canibus & leonibus assimilantur, & ceteris id genus animantibus, quibus sunt mores masculi. „

„ Dæ-

„ Dæmones porro * possunt percuti & ictu inflicto dolere, quamvis compositi non sint, neque enim compositorum proprius est sensus. In hominibus non os, neque nervus id est, quod sentit; sed spiritus iis insitus. Proinde quantumvis prematur nervus aut refrigeretur, aut aliud hujusmodi patiatur, dolor ex spiritus in spiritum immissione oboritur. Nec enim fieri potest, ut compositum corpus per se doleat, sed quia Spiritus particeps est; quandoquidem in frustra dissectum, seu mortuum, sensu prorsus caret. Ita & Dæmon, cum totus sit spiritus, natura sua sensus in omnibus membris particeps, per se videt & audit, & affectionibus ex tactu orientibus obnoxius dissectus dolet, solidorum corporum instar. Hac tantum ab his ratione differt, quod cum cetera, quæ dissecantur vix, vel nullo potius modo, denuo coalescant: dæmonium contra dissectum statim coit, & redintegratur: quemadmodum particulę aeris vel aquæ, solidi cujuspiam corporis interjectu divisæ, rursus coalescunt. Tametsi autem verbo citius spiritus coalescit, tamen eo momento dolet, quo disectio fit.„

Atque hæc, de *Theologia* & *Physica* Chaldæorum, hactenus.

## CAP. XVII.

### *De Astrologia reliquisque divinandi artibus, & primo quidem de stellis fixis & erraticis, earumque præsignificatione.*

SEcunda pars Chaldaicæ doctrinæ sita erat in divinandi artibus, quarum præcipua fuit Astrologia. Hæc, quæ ab iis primum inventa traditur, pręcipua eorum in se traxit studia; cujus rei rationem *Ptolemæus* ex ipsa arte petit, quod nimirum essent *sub Virgine & Mercurio*. Verum plausibilior a *Cicerone* affertur, *propter planitiem, magnitudinemque regionum, quas incolebant, cœlum ex omni parte patens atque apertum*, in quo trajectiones, motusque stellarum facile observari poterant. de Divin. L. I. c. I.

Constat autem duabus partibus, quarum una est *meteorologica*, quæ versatur circa motum stellarum: altera *apotelesmatica*, quæ ad divinationem pertinet. Prima nota erat veteribus Græcis, communi *astrologia* & *astronomia* nomine; donec secunda Græciæ illata, distinctionis causa, priorem proprie *astronomiam*, posteriorem *astrologiam* dixere. *Josephus Scaliger*, vir summus, ut græcam eruditionem extollat, constanter affirmat, *Chaldæos ἐλογχερῶ tantum, non etiam ἀκριβῶ τῆς astronomia notitiam habuisse, & Græcos nihil pæne a Chaldæis didicisse*; cum *Aristoteles* ingenue fateatur, ab Ægyptiis & Babyloniis plurimas observationes, circa singulas stellas, Græcos habuisse. Attamen multum aberant Chaldæi sine dubio ab ea perfectione artis, ad quam Græci astronomiam ab oriẽte acceptam postea perduxere; nam *Diodorus Siculus, de solis defectionibus, infirmissimas ab iis allatas fuisse rationes, easdemque non ausos prædicare*, memoriæ prodidit. In Præf. ad Manil. Lib. II. p. 83.

Verum τῆς ἀποτελεσματικῆς * non modo se inventores, sed summos etiam magistros jactabant; usque adeo, ut, quicunque eam artem profitebantur, cujusvis essent regionis, vocarentur, ut supra ostendimus, *Chaldæi*.

* Vide indic. in Astrol.

Sextus Empiric. adv. Mathem. L. V. init. *In primis* autem *ab eis ponitur* τὸ συμπαθεῖν τὰ ἐπίγεια τοῖς οὐρανίοις *sympathiam esse inter terrestria & cælestia, ut ex illorum influxibus hæc semper renoventur.*

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.
*Terrenorum hominum mens & sententia talis*
*Uno quoque die, qualem vult Jupiter esse.*

Astronomi actiones nostras & vitam pendere ex stellis, cum erraticis, tum fixis, humanumque genus multiplici earum cursu regi putabant: *Chaldæi dicunt*, ait idem scriptor, *septem stellas* (planetas) *habere rationem causarum agentium in unumquodque eorum, quæ in vita accidunt; adjuvare autem partes zodiaci*. Existimabant eas esse causas boni & mali, prout hora natali dispositæ erant, atque ex contemplatione earum naturæ futura hominibus posse prædici.

„ Deos principes, auctore *Diodoro*, loco laudato, numerabant duodecim; singulis mensem, & de duodecim zodiaci signis unum attribuunt. „

„ Post zodiacum viginti quatuor constituunt stellas*, quarum duodecim borealem, duodecim australem partem sibi vindicent. Inter has, quæ apparent, viventibus ab iis deputantur: quæ latent, vita functis congregatæ esse putantur; atque has δικαστὰς τῶν ὅλων appellant, *rerum omnium judices*.

* Vid. indicem in voce Stellæ.

„ Maximam vero considerationem ajunt, & singularem motus efficaciam in quinque stellis, quas alii planetas, ipsi ἑρμηνεῖς, *interpretes*, nominant; quod, cum ceteræ non errantes stellæ certum habeant progressum, hi soli, peculiari suo itinere futura ostendant; Deorumque benevolentiam, interpretum instar, hominibus nuncient. Quædam enim ortu, quædam occasu suo; nonnulla per colores, si quis animadvertere velit, portendi ab his ajunt. Alias quanta ventorum procella, alias quanta imbrium tempestas, aut quanta caloris vehementia sit ingruitura, prænunciant. Cometarum quoque exortus; solisque & lunæ defectiones, cum terræ motibus, & cunctas denique variationes aeris nos ambientis, tam bonas, quam noxias, non solum gentibus, verum & regibus & privatis quibuslibet ab iis significari putant. His stellas triginta subiiciunt, quas vocant *Deos Consiliarios* βουλαίους θεοὺς quorum dimidia pars infra terram *adspiciat*, altera pars supra terram res mortalium contempletur. Decemque intervallo dierum a superioribus ad inferiores, unum veluti stellarum nuncium ablegari, & ab inferioribus ad superiores vicissim unum. Atque hunc eis motum, æterni circuitus leges, sic esse definitum.

## CAP. XVIII.

### *De Planetis.*

PRæter ea, quæ ex *Diodoro* protulimus, capite antecedente, de opinione Chaldeorum circa planetas, *Sextus Empiricus* testatur eos credidisse τῶν ἑπτὰ ἡγεῖσθαι τόν τε ἥλιον καὶ τὴν σελήνην, *septem planetarum præcipuos esse solem & lunam, minorem autem his vim habere* (Adv. Math. p. 116. & seq.)

πρὸς

πρὸς τῶν ἀποτελεσμάτων ἐκβάσεις *ad apotelesmatum* (actionum) *eventus quinque reliquas.*

*Ex quinque aliis * cum sole consentire, eidemque opem ferre † Saturnum, Jovem, & Mercurium, quos vocant ἡμερινοὺς, diurnos; propterea quod sol, cui ferunt auxilium, iis dominetur, quæ gignuntur inter diu.*

* Vide Indicem in voce Ægyptii
† Vide in voce Saturnus.

*Ex stellis autem alias esse beneficas, alias maleficas, alias communes: beneficas quidem stellas* Jovis *&* Veneris; *maleficas autem* Martis *&* Saturni; *communem* Mercurii; *quoniam cum beneficis sit benefica, cum maleficis malefica.*

## CAP. XIX.

### *Divisiones Zodiaci.*

Ex Sexto Emp. L. V. p. 113. Ed. Gen.

„ Cum apud Chaldæos non esset certa observandorum astrorum ratio, quod non contemplarentur signa, ex ipsorum circumscriptione, sed septem dispersarum stellarum observatione, venit eis in mentem, in duodecim partes totum dividere circulum. Rationem, qua id factum est, ita narrant: dicunt nempe veteres, cum observassent unamquamque lucidam stellam earum, quæ sunt in circulo zodiaco, & deinde persoratam amphoram aqua implessent, sivisse aquam fluere in alterum vas subjectum, donec eadem stella oriretur, conjectantes ab eodem signo, ad idem signum, fuisse circuli circumvolutionem. Rursus sumserunt duodecimam partem ejus, quod fluxerat, & considerarunt quanto tempore effluxisset. Dicebant enim tanto tempore duodecimam partem circuli absolvi, & eandem esse rationem partis absolutæ ad totum circulum, quæ est partis aquæ, quæ fluxit, ad totam aquam. Ex hac relatione duodecimæ partis signabant ultimum finem ab aliqua insigni stella, quæ eo tempore spectabatur, aut aliqua ex simul orientibus borealibus aut australibus. Hoc ipsum autem faciebant in aliis *dodecatemoriis*, seu partibus duodenis. „

Unicuique dodecatemorio attributam peculiarem a Chaldæis figuram, ut primo figuram arietis, cum hac nota ♈, licet negetur a *Pico Mirandulano*, videtur manifestum satis ex iis, quæ de Chaldæis habent *Ptolemæus*, *Sextus Empiricus*, & alii, quorum verba suis locis afferemus.

Cont. Astrol.

Τῶν θεῶν δὲ κυρίους εἶναί φασι δώδεκα τὸν ἀριθμόν, *Deorum præcipuos ajunt esse duodecim numero, singulis mensem, & de duodecim zodiaci signis unum attribuunt.* Zodiacum ipsum vocabant circulum *Mazzaloth* † מזלות quod *Septuaginta* Μαζερώθ verterunt 2. Reg. XXIII. 5. quam vocem Suidas interpretatur τὰ συστήματα τῶν ἀστέρων, ἃ ἐν τῇ συνηθείᾳ ζώδια καλοῦνται, *constellationes astrorum, quæ vulgo dicuntur Zodia*, nam *Mazzal* significat stellam. Attributio illa singulorum Deorum singulis signis, consentit cum eo, quod dicitur de cultoribus Bahalis (quos Rabbi *Maimonides* eosdem, ac Chaldæos, fuisse putat,) qui *suffitum offerebant Bahali, soli, lunæ*, τοῖς *Mazzaloth, & omni exercitui cœli*. Quidam etiam putant, hanc ipsam doctrinam ab Ægyptiis *Homero* traditam, quam a Chaldæis ipsi acceperant, atque ad eam allusum a Poeta Iliados I. ubi meminit convivii Æthiopum, quo per duodecim dies erant excepturi Jovem & reliquos

Diod. L. II. p. 83.
† Vide indicem in hac voce.

Deos. Atque hi digniores fide sunt aliis ex veteribus, qui, teste *Eustathio*, * volebant *Homerum* originem, ita loquendo, dedisse opinioni Mathematicorum. Nec tamen, quod addit in fabulæ interpretationem, sedium Deorum & stellarum fabricationem Vulcano tribui, propter cœlestium orbium æthereum calorem, a Chaldaica doctrina abludit.

* Vide Indicem in voce Homerus.

„ Chaldæi porro signorum alia quidem appellant *masculina*, alia autem *fœminina*; & alia quidem *bicorporea*, alia vero non; alia *firma*, alia vero *tropica*. Atque *masculina* quidem vocabant, & *fœminina*, quæ naturam habent, quæ juvat masculorum & fœminarum generationem. Aries enim est signum masculinum, taurus autem fœmininum: gemini masculinum; & sic reliqua, ex simili analogia, alia quidem masculina, alia vero fœminina. Nonnulli autem, unumquodque signum dividentes in duodecim partes, eadem fere utuntur ratione; ut in ariete, primam quidem duodecimam ejus partem appellant arietem & masculum: secundam autem taurum & fœminam; tertiam geminos & masculum, & sic porro in ceteris.„

Sext. Emp. p. 111.

„ *Bicorporea* dicunt esse signa geminos, &, qui eis e diametro adversatur, sagittarium, virginemque & pisces, non bicorporea reliqua „

„ *Tropica* ea sunt, in quibus cum sol fuerit, retrogreditur, & facit ambientis circuli conversiones, (τροπάς) cujusmodi sunt signa aries, &, quæ ei ex diametro adversatur, libra; capricornus & cancer. Nam in ariete fit conversio verna, in capricorno autem hiemalis, in cancro vero æstiva, & in libra autumnalis.„

„ *Firma* autem existimant taurum, &, qui ei adversatur e diametro, scorpium; leonem & aquarium.„

„ Fuerunt etiam quidam *Chaldæi*, qui unamquamque partem humani corporis attribuerunt unicuique signo; ut cui cum illo intercederet sympathia. Arietem caput nominant, taurum collum, geminos humeros, cancrum pectus, leonem latera, virginem coxendices, libram ilia, scorpium pudendum & matricem, sagittarium femora, capricornum genua, aquarium tibias, pisces pedes. Atque hoc, ait *Empiricus*, non absurde, quoniam, si quæ fuerit stella in aliquo horum signorum in ortu maleficorum, efficit mutilationem ejus partis, quæ est ejusdem nominis.„ p. 112.

„ Præterea unumquodque signum dividunt in *partes triginta*, unamquamque autem partem in sexaginta; ita enim vocant, (ait idem *Sextus*) quæ sunt minima & individua; unde colligi potest, Chaldæos ulteriorem divisionem non adhibuisse in secunda, tertia &c. *Sunt particulæ*, ait Censorinus, Chaldæorum rationem explicans, *in unoquoque signo tricenæ*, *totius vero zodiaci numero* CCCLX. *Has* μοίρας *Græci cognominarunt*, *eo videlicet*, *quod Deas fatales nuncupant*. μοίρας. *Et ea particulæ nobis velutí fata sunt*, *nam qua potissimum oriente nascamur plurimum refert*. *Sol ergo*, *cum in proximum signum transscendit*, *locum illum conceptionis aut imbecillo videt adspectu*, *aut etiam nec conspicit*, *&c.* p. 113. c. III.

Tres sunt aliæ dividēdi zodiaci ratio-

tiones, quæ attribuuntur Chaldæis, per *trigona*, *terminos* & *decanos*.

*Trigona*, sunt quatuor: primum est arietis, leonis & sagittarii; secundum tauri, virginis & capricorni; tertium geminorum, libræ & aquarii; quartum cancri, scorpii & piscium. A Chaldæis autem divisum fuisse zodiacum in hæc trigona, ex ratione colligendi terminos planetarum, a *Ptolemaeo* descripta, satis liquet.

Ptol. Ars vide Scalig. in Manil. p. 328.

„ Unumquodque signum habet quinque terminos. Chaldaica ratio eruendæ quantitatis terminorum in unoquoque signo, una est & perfacilis. Nam eorum quantitates differunt pari diminutione. Unusquisque terminus minor est antecedente uno gradu, etenim cujusque signi primum terminum constituunt octo graduum, secundum septenorum, tertium senorum, quartum quinorum, quintum quaternorum, qui simul triginta gradus efficiunt. „

Denique signa dividebantur in *facies*, hebraice פנים *phanim*; Arabice ואגה *vvageah*, Græce πρόσωπα, & a recentioribus δεκανοὶ dictæ, quæ postrema appellatio derivata est, ut observavit *Jos. Scalig.* a militia romana. In unoquoque signo tres sunt, quorum quisque decem gradus continet. Hæc nota fuisse priscis Chaldæis adeo liquet, ut vetustissimus Scriptor *Teucer Babylonius* de iis egerit.

In Manil. p. 329.

## CAP. XX.

### *De Planetis respectu Zodiaci consideratis.*

CHaldæi planetis non esse semper eandem vim, sed in quibusdam zodiaci signis efficaciores, in aliis minus, existimabant. „ Eadem stellæ majorem vim habent, aut quod sint in propriis domibus, (ἐν ἰδίοις οἴκοις) aut in exaltationibus, (*in trigonis*) aut in terminis, seu decanis. Quæ a posterioris ævi astrologis *essentiales* eorum *dignitates* dicuntur. „

Sext. Emp. L. V. p. 115.

Adspectus planetarum efficacissimus is est, quem in domibus propriis obtinent. „ Ut autem putant, solis domus est leo, lunæ cancer, Saturni capricornus & aquarius, Jovis sagittarius & pisces, Martis aries & scorpius, Veneris taurus & libra, Mercurii gemini & virgo. „

„ Stellarum autem vocant *exaltationes*, & similiter *depressiones* ea, quibus delectantur, & in quibus vim habent exiguam. Nam delectantur quidem exaltationibus, exiguam autem vim habent in depressionibus. Ut solis quidem exaltatio est aries, & accurate loquendo, decimus nonus hujus gradus. Depressio autem, signum, quod ei adversatur e diametro. Lunæ exaltatio est taurus, Saturni libra, Jovis cancer, Martis capricornus, Veneris pisces, & horum depressiones, quæ e diametro opposita sunt exaltationibus. „

*Trigona* planetarum hoc ordine a Chaldæis disponuntur: terminus primi trigoni (*zodiaci*) est Jupiter; secundi Venus. „ Eundem ordinem servant in aliis duobus trigonis; nisi quod tertium duos dominos habere dicatur, Saturnum & Mercurium. Prior pars diei tribuitur Saturno, nox Mercurio. „ Mars postremi trigoni dominus est. „ Quantum porro hæc methodus differat a vulgari, quæ solem & lunam complectitur, facile is animadvertet, qui utramque compo-

Ex Ptolem.

net; & posterior quidem apud *Firmicum* inveniri poterit.

Vocant terminos planetarum, in unoquoque signo, eos, intra quos planeta quispiam, a certo gradu ad certum gradum maxime pollet, atque efficax est.

„ Chaldaica methodus colligitur ex dominis trigonorum, quæ planior est & efficacior Ægyptiaca, ex domuum dominis ducta. Neque tamen Chaldæi semper sequuntur, in suis quantitatibus, eos planetas, qui trigonis præsunt. In primo trigono, divisio terminorum uniuscujusque signi una eademque est. Primus terminus domino trigoni, Jovi, secundus dominæ secundi trigoni, Veneri, tertius & quartus dominis duobus trigoni geminorum, hoc est, Saturno & Mercurio, quintus domino postremi trigoni, Marti tribuitur. In secundo trigono similiter unumquodque signum dividunt, & Veneri terminum tribuunt, quod huic trigono præsit; secundum & tertium dominis duobus trigoni geminorum, Saturno & Mercurio; quartum Marti; postremum Jovi. Saturno in die dantur 66. gradus, in nocte 78. *Jovi* 72. Marti 60. Veneri 75. *Mercurio* in die 66. in nocte 78. „

Decani vel facies planetarum referuntur ad zodiacum, primus decanus est planeta cujus est signum, secundus alter planeta, & ita porro. Hæc fuisse veterum Chaldæorum inventa liquet, non modo ex eo, quod de hisce scripserit *Teucer Babylonius*, sed etiam, quod ab Ægyptiis, qui, auctore *Josepho*, ex Chaldæis hanc eruditionem derivaverant, observata fuerint. *Nicipso* Rex Ægypti, idemque justissimus princeps, si *Firmico* credimus, ex decanis omnes morbos collegerat, ostenderatque, quinam ab unoquoque crearentur decano; quoniam natura ab alia natura, Deus unus ab alio superaretur Deo. Idem scriptor docet etiam a *Petosiride* hanc astrologiæ partem leviter perstrictam fuisse, non quod eam ignoraret, sed quod nollet suam eruditionem ad posteros traduci.

*Termini Planetarum, secundum Chaldæos.*

| | | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Aries | Jupiter | 8 | Venus | 7 | Saturnus | 6 | Mercurius | 5 | Mars | 4 |
| Taurus | Venus | 8 | Saturnus | 7 | Mercurius | 6 | Mars | 5 | Jupiter | 4 |
| Gemini | Saturnus | 8 | Mercurius | 7 | Mars | 6 | Jupiter | 5 | Venus | 4 |
| Cancer | Mars | 8 | Jupiter | 7 | Venus | 6 | Saturnus | 5 | Mercurius | 4 |
| Leo | Jupiter | 8 | Venus | 7 | Saturnus | 6 | Mercurius | 5 | Mars | 4 |
| Virgo | Venus | 8 | Saturnus | 7 | Mercurius | 6 | Mars | 5 | Jupiter | 4 |
| Libra | Saturnus | 8 | Mercurius | 7 | Mars | 6 | Jupiter | 5 | Venus | 4 |
| Scorpio | Mars | 8 | Jupiter | 7 | Venus | 6 | Saturnus | 5 | Mercurius | 4 |
| Sagittarius | Jupiter | 8 | Venus | 7 | Saturnus | 6 | Mercurius | 5 | Mars | 4 |
| Capricornus | Venus | 8 | Saturnus | 7 | Mercurius | 6 | Mars | 5 | Jupiter | 4 |
| Aquarius | Saturnus | 8 | Mercurius | 7 | Mars | 6 | Jupiter | 5 | Venus | 4 |
| Pisces | Mars | 8 | Jupiter | 7 | Venus | 6 | Saturnus | 5 | Mercurius | 4 |

Numeri designant gradus uniuscujusque signi, inter quos planetæ interpositi maximam habent efficaciam.

## CAP. XXI.

*Adspectus signorum & planetarum.*

c. VIII. Signum *quodlibet*, ait Censorinus, *cum ceteris singulis habet mutuum conspectum, non tamen uniformem cum omnibus, nam validiores alii, infirmiores alii habentur. Igitur quo tempore partus concipitur, Sol in aliquo signo sit necesse; & in aliqua ejus particula, quem locum conceptionis proprie appellant.* Similiter planetæ inter se invicem varios adspectus habent. *Sextus Empiricus*: adverf. Math. p. 115. „Se invicem dicuntur adspicere, & inter se convenire, quippe qui apparent κατὰ τρίγωνον ἢ τετράγωνον. Et κατὰ τρίγωνον quidem disponuntur, & se invicem adspiciunt stellæ; quæ trium signorum spatium inter se habent. κατὰ τετράγωνον vero, quæ duorum: οἱ ἐπὶ τριῶν ἢ δυοῖν ζωδίων ἔχοντες τὸ μεταξὺ διάστημα.

Censorinus ibid. *Sol ergo, cum in proximum signum transcendit, locum conceptionis aut imbecillo videt conspectu, aut etiam nec conspicit; nam plures proximantia sibimet zodia invicem se videre omnino negaverunt. At cum in tertio est signo, hoc est, uno medio interposito, tunc primum illum locum, unde profectus est, videre dicitur; sed valde obliquo & invalido lumine, qui conspectus vocatur* καθ' ἑξάγωνον *qui sextam partem circuli subtendit. Nam si, ut primo zodio ad tertium; sic a tertio ad quintum, inde porro ad septimum, ac deinde alterna linea emittantur, hexagoni aequilateralis forma in eodem circulo scriberetur. Hunc quidam conspectum non usquequaque receperunt, quod minimum ad maturitatem partui videatur conferre. Cum vero in quartum signum pervenit, & media duo sunt, videt* κατὰ τετράγωνον; *quoniam illa linea, qua visus pertendit, quartam partem orbis abscidit. Cum autem in quinto est, tribus interiacentibus mediis,* κατὰ τρίγωνον *adspicit. Nam tertiam signiferi partem visus ille metitur, qua duæ visiones* τετράγωνοι τρίγωνοι, *per quam efficaces, incrementum partus multum adminiculant. Ceterum a loco sexto conspectus omni caret efficientia, ejus enim linea nullius polygoni afficit latus. Ita septimo zodio, quod est contrarium, plenissimus, potentissimusque conspectus, quosdam jam maturos infantes educit, qui septemmestres appellantur, quia septimo mense nascuntur. At si intra hoc spatium maturescere uterus non potuerit, octavo mense non edituri (ab octavo enim signo, ut a sexto, inefficax visus) sed vel nono mense, vel decimo. Sol enim a nono zodio particulam conceptionis rursus conspicit* κατὰ τρίγωνον, *& a decimo* κατὰ τετράγωνον; *qui conspectus, ut supra iam dictum est, perquam efficaces sunt. Ceterum undecimo non putant nasci, quia languido iam radio infirmum lumen* καθ' ἑξάγωνον *mittitur. Multo minus duodecimo, unde conspectus pro nullo habetur. Itaque, secundum rationem hanc,* ἑπτάμηνοι *nascuntur* κατὰ διάμετρον, ἐννεάμηνοι *autem* κατὰ τρίγωνον. δεκάμηνα *vero* κατὰ τετράγωνον. Videndum schema, quod est in notis Lindenbrogii.

## CAP. XXII.

*Schemata.*

„Cum divisione allata zodiaci consentit ratio, qua dicunt a Chaldæis uniuscuiusque nativitatis horoscopum observari. Noctu enim, ut aiunt, sedebat Chaldæus in Sext. Empir. p. 114.

pro-

promontorio quopiam astra observans; alter vero parturienti, donec peperisset, assidebat, & quamprimum pareret, ei, qui in promontorio erat, disco significabat. Hic cum audisset, observabat signum quod oriebatur, tanquam horoscopum. Interdiu autem attendebat horoscopos & motus solis.

Sext. Empir. p. 114. „ Ex duodecim partibus, seu domibus, in quas dividebatur zodiacus, signa quæ in unaquaque nativitate dominantur, ad apotelesmatum eventum, & ex quibus maxime prædictiones colligunt, dicunt esse numero quatuor; quæ quidem communi nomine appellant centra, propriis vero unum *horoscopum*, aliud μεσουράνημα, medium cœlum, aliud δύνον *occidens*; aliud subterraneum & ἀντιμεσουράνημα, quod & *medium cœlum* est. Atque *horoscopus* quidem est id, quod contigit oriri, eo tempore, quo absolvebatur nativitas: *medium cœlum* quartum ab illo signum ei coniunctum: *occidens* quod est e diametro horoscopo oppositum: sub terra denique est *oppositum medio cœlo*. Ita, (clarior enim res exemplo fiet,) si cancer est horoscopus, in medio quidem cœlo est aries, occidit vero capricornus, sub terra autem est libra. Verum enim vero signum, quod unumquodque horum centrorum antecedit, vocant ἀπόκλιμα, *declinationem*: quod sequitur, ἐπαναφορὰν, *relationem*. Iam vero id quidem, quod sequitur signum, quod est in horoscopo, si sit in aperto, appellant *mali dæmonis*; quod est post hoc, & sequitur medium cœlum, *boni Dæmonis*: quod antecedit id, quod est in medio cœlo κάτω μερίδα *inferiorem partem*, καὶ μονομοιρίαν, καὶ θεὸν *& unicam sortem & Deum*; quod venit in occasum, *otiosum signum* & *initium mortis*; quod est post occasum, neque apparet, *pœnam* & *malam fortunam*, quæ est e diametro opposita malo Dæmoni; quod venit sub terram, *bonam fortunam*, quæ e diametro opposita est bono Dæmoni; quod recedit a medio cœlo versus orientem, *Deam*, Deo e diametro oppositam; quod autem horoscopum sequitur, *otiosum*.„

*Vide Schema apud Scaligerum in Manilium p. 276.

„ Vt compendiosius dicamus, signi, quod est in horoscopo, declinatio vocatur malus Dæmon, epanaphora otiosum. Eodem modo ejus, quod est in medio cœlo, declinatio quidem Deus, epanaphora bonus Dæmon: similiter ejus quod ex adverso medii cœli, declinatio vocatur Dea; epanaphora bona fortuna; pariter occidentis declinatio quidem mala fortuna, epanaphora autem otiosum. *Existimant autem hæc non esse leviter expendenda.* „

„ Chaldæi hinc deducunt suas prædictiones apotelesmatum. Apotelesmatum autem aliquod est discrimen; nam alia sunt simpliciora alia accuratiora. Simpliciora sunt secundum signum, aut simplicem vim stellæ, ut quod hæc stella, ubi est in hoc signo, tales facit. Accuratiora sunt, quæ fiunt secundum concursum, aut, ut ipsi loquuntur, κατὰ σύγκρασιν πλειόνων, *juxta misturam plurium* stellarum; ut si alia quidem sit in horoscopo, alia in medio cælo, alia sit in eo, quod est ex adverso medii cœli, aliæ autem sic se habeant, hæc evenient; συμβήσεται τάδε.

Atque hæ solæ sunt astrologiæ veteris reliquiæ, quæ certo priscis Chaldæis a nobis tribui queant. „

CAP.

## CAP. XXIII.

### *Aliæ divinandi artes.*

PRæter astrologiam alias invenere & usurpavere Chaldæi divinandi artes, inter quas *Diodorus* memorat, τὴν διὰ τῶν οἰωνῶν μαντικὴν, ἐνυπνίων τε καὶ τεράτων ἐξηγήσεις, καὶ τὰ περὶ τὴν ἱεροσκοπίαν, *divinationem per aves, somniorum, prodigiorumque interpretationes, & quæ pertinent ad aruspicinam. Maimonides* quoque auctor est apud Chaldæos, ab antiquissimis usque temporibus varia fuisse hariolorum genera, & præsertim ea, quæ recensentur Deut. XVIII, 10. 11.

L. I. p. 81.

Mor. Neb. L. III. c. 29.

Divinationem per auspicia primum eis tribuit *Diodorus*, nec sane credibile est, homines, qui adeo diligente in omnes divinandi artes inquisiverant, fuisse imperitos hujus, quam tanti fecerunt posteriora secula. Sed qui hunc sensum tribuunt voci מנחשים *mnachesch im*, videntur eo adducti, quod ea vox latine *augurari* translata sit.

Sequentem, quæ in somniorum interpretatione sita est, ab Abrahamo inventam fuisse, *Philo Iudæus* memoriæ prodidit. Certe veteres Chaldæos hanc artem esse professos apparet ex responso eorum Dan. II. ubi sic Nabuchodonosorem alloquuntur: * *Rex somnium dicat servis suis, & interpretationem illius indicabimus.* Extant etiamnum plurimi versus *Onirocritici*, quibus præfixum est *Astrampsychi* nomen, & quos collegit ex *Suida*, ac digessit, *Iosephus Scaliger*. Astrampsychus autem a Laertio inter magos numeratur, nec desunt, qui Astrampsychi nomen interpretamentum vocis *Zoroastres*, quam quidam *astrum vivens* explicant, esse existiment.

a Suidas in voce Abraham.

* vide in voce Onirocritice.

| Ursinus in Zor.

Tertiam divinandi artem, interpretationem scilicet portentorum, Græci interpretes existimarant significari voce hebraica ידענים *iiddeonim*, quam ideo verterunt ἐπαοιδοὺς καὶ τερατοσκόπους.

Ultimam *Diodorus* vocat extispicium, atque hac usos esse Chaldæos, apparet ex Ezechiele XXI, 21. ubi dicit Propheta Regem Babylonis, inter alias divinationes, *inspexisse iecur*. Qui hoc divinationis genus excolebant, videntur a Daniele vocari גזרין *gazrin*, a גזר *gazar secuit*; cædebant enim hostias, atque extis inspectis futura prædicebant.

*Ob* אוב vertitur *Pytho*, seu potius *Pythonicus spiritus*. Hæc autem vox proprie *lagenam* significat, & sumitur pro eo spiritu, qui *ex utero Pythonissæ* loquebatur. Hebraice ea mulier vocatur אשת בעלת אוב *Eschetb Babalath Ob*, a septuaginta vero interpretibus γυνὴ ἐγγαστρίμυθος. Quando ait, Saul 1. Sam. XXVII, 8. *quæso, divina mihi in Ob*, verterunt μαντεύσαι δή μοι ἐν τῷ ἐγγαστριμύθῳ. R. *Moses Maimonides* * ab ea, quæ huic arti initiabatur gestatam fuisse manu myrteam virgam; Rabbi vero *Abraham filius Davidis*, hosce ritus ad sepulchrum solitos fuisse celebrari, ait.

* Pag. 3. c. 37. Mor. Neb.

*Doresch el hametim* דרשאל המתים *inquirens apud mortuos*, proprie est *Necromantis*. Atque hoc divinationis genus a Chaldeis originem duxisse quidam affirmant. Qui porro has divinandi artes, aliasque similes exercebant, generali nomine *Mechaschphim* indigitabantur, ut supra dictum est.

Franc. Mirand. de rerum prænot. Lib. IV. pag. 328.

## CAP. XXIV.

*De Magia naturali & theurgica, & primum quidem de naturali.*

TErtia Chaldaicæ doctrinæ pars in *Magice* sita fuit, quæ, licet nomine Persico donata, originis erat Chaldaicæ, excolebaturque ab iis, qui *Aschaphim* vocantur. De hisce intelligendus *Laertius*, ubi dicit: γεγενῆσθαι παρὰ μὲν Πέρσαις Μάγους, παρὰ δὲ Βαβυλωνίοις ἢ Ἀσσυρίοις Χαλδαίους, *fuisse apud Persas quidem Magos, apud Babylonios vero & Assyrios, Chaldaeos*. * Hinc fit, ut Magorum nomine intelligantur etiam Chaldæi.

In Proœm.

* Vide Indicem in voce Magus.

Ait quidem (a) *Plinius*, *inter auctores convenire, ortam esse Magicen a Zoroastre*; sed addit; *unusne hic fuerit, an postea alius, non satis constare*. Ab eo autem intelligi Zoroastrem Chaldæum, non Persam, inde colligere est, quod eos laudet scriptores, qui Zoroastrem antiquiorem Platone censet sex annorum millibus; & Troiano bello quinque millibus; quorum rationes, quamvis absurdæ, respiciunt antiquissimum Zoroastrem Chaldæum. Eodem in loco meminit Babylonii *Marmari*, & Assyrii *Tarmænda*, aliorumque eiusdem artis peritorum; sed adeo antiquorum, ut nulla eorum supersint monumenta.

a Lib. XXX. cap. I.

Quidquid porro Chaldaicæ Magices ad nos pervenit, potest ad duo genera referri, *naturale* & *theurgicum*.

Prima Chaldaicæ doctrinæ pars ea censetur, quæ *naturalis Magice* vulgo dicitur, quod contempletur virtutes omnium rerum cœlestium & sublunarium, scruteturque earum συμπαθείας, & mutua earundem applicatione inusitatos effectus edat.

Hoc genere Magiæ Chaldæi profitebantur mirabilia a se fieri in rerum natura, cum in singulis hominibus, tum in integris provinciis. Inter alia, ut *Maimonides* inferius docet, „ existimabant, a se leones, serpentes & simila noxia animalia e civitatibus eiici, omnia vitiorum genera a plantis arceri, grandinem cohiberi, vermes e vineis, ne eas corrumpant, interimi, ne folia ex arboribus decidant effici, aliaque, de quibus in libro עברת הנב *Abodath Hanabatim*, cultura Nabatæorum.

Maim. Lib. III. cap. 37. Mor. Neb.

## CAP. XXV.

*Magicæ operationes, earumque genera.*

MAgicas operationes ad tria genera refert modo laudatus Rabbinus, eodem loco; *quorum* primum versatur circa *plantas, animalia* & metalla; alterum in designatione temporis, quo illa peragenda sunt: tertium in gestibus & actionibus humanis, ut saltatione, manuum complosione, clamore, risu, cubatione humi, rei alicuius combustione, fumi excitatione, quorumdam verborum articulatorum aut inarticulatorum, pronunciatione situm est.

„ Quædam non nisi his omnibus simul perficiuntur, ut cum dicunt: sumatur hoc folium de hac herba, idque, dum luna est in hoc gradu & loco, vel: sumatur de cornu bestiæ, vel de eius sudore, villis, aut sanguine, hæc vel illa mensura, quando sol est in medio cœlo, aut alio certo loco; vel: sumatur de hoc aut pluribus metallis, quæ lique-

liquefiant sub certa constellatione & lunæ situ; postea proferantur certa verba, ex certis foliis excitetur fumus, idque hac aut illa ratione, tum certo aliquid continget.

„Deinde sunt quædam opera magica, quæ uno tantum genere ex memoratis perfici posse censentur: Hæc ajunt a mulieribus potissimum fieri posse, quale est, quod apud eos de aqua elicienda legimus. Si decem virgines se ornent, vestimenta rubra induant, saltent ita, ut una alteram impellat, & quidem progrediendo, & retrogrediendo, digitos denique versus solem certis signis extendant; ad finem perducta illa actione, aquam elici & prodire dicunt. Sic scribunt: si quatuor mulieres in tergo jaceant, & pedes suos cum complosione versus cœlum extendant, certa verba, certos item gestus adhibeant, ab iis turpi hac actione grandinem decidentem averti. Ita similes vanitates, & similia deliria multa alia passim habent, ad quæ non nisi mulierum opera & ministerio illos uti comperimus.

„Nullum autem magicum opus, sine siderum operatione, perfici potest; opinantur enim, cuivis planetæ suam esse stellam; quemadmodum etiam omnibus animalibus & metallis certas stellas attribuunt; Existimant quoque, operationes illas esse proprios stellarum cultus, atque has ea actione, eo sermone, vel fumo delectari; & propterea quod ii optant, qui eos ritus peragunt, id a stella perfici.:

Hactenus *Maimonides*, qui ex libris Chaldæorum, sua ætate extantibus, hæc se hausisse scribit, solusque paucula hasce reliquias Chaldaicæ superstitionis posteritati conservavit.

## CAP. XXVI.

### *De Tsilmenaja, vel Talismanibus, quibus utebantur instar amuletorum.*

PRæterea a Chaldæis inventam affirmant Rabbini arcanam figurarum virtutem: neque ejusmodi imaginibus quidquam unquam celebrius fuit. A Chaldæis & Persis *Tsilmenaja* צלמניא vocantur, voce ducta ab Hebraica *Tselem* צלם *imago*. Arabes vocant טלשמון *tilsamon*, forte ex eadem radice, quod verisimilius videtur, quàm quod conjiciũt quidam, ab iis voces, quibus utuntur, deductas a Græco vocabulo τέλεσμα, quo τετελεσμένον τι *aliquid perfectum* significatur.

Hæ imagines sub certis constellationibus conficiebantur in varios usus; sive averruncandi, seu prædicendi causa.

Quæ instar amuletorum erant, eas quidam putant esse recentius, a *Tyanæo Apollonio*, inventas; ac revera primus eo nomine, apud Græcos, celebris factus est. At hanc artem ab eo ex oriente allatam verisimile est, quoniam ejusmodi imagines, per totum orientem, etiamnum hodie, plurimæ conspiciuntur, & nonnullæ quidem antiquissimæ; quas *Gaffarellus* memorat, ut earum inventionem Persis, aut, si mavis, Chaldæis vel Babyloniis deberi ostendat. In libello Gallico inscripto Curiositez inouïes.

Hæ imagines a Græcis vocantur στοιχεῖα & στοιχειώσεις earumque opifices στοιχειωματικοί. *Generabiles & corruptioni obnoxiæ formæ*, ait *Ptolemæus in centiloquio*, *a cœlestibus afficiuntur formis*, *qua de causa Stoichiomatici iis utuntur*; quod

*quod a ſtellis eas inſideri putent.*

In quæ verba *Hali Aben Redan*, aut ut, Hebraica habet translatio, *Aben Giafar*, ſcribit: „ In hoc capite *Ptolemæus* multa imaginum arcana revelare aggreditur, & oſtendere, figuras, quæ hic infra ſunt, reſpondere iis, quæ ſunt ſupra, à quibus afficiuntur. Exempli gratia, cœleſtis ſcorpius terreſtribus ſcorpiis, & ſerpens cœleſtis terreſtribus anguibus præeſt. Periti ſtellarum obſervabant, quando planeta ex radiis ſolaribus emergebat, & ingrediebatur conſtellationem aliquam, cui figura huiuſmodi tribuitur; tum, planeta in horoſcopio collocato, inſculpebant figuram lapidi, addebantque alia neceſſaria, & imaginem ad exitium, vel ad tutelam aptabant. Atque ea virtus in lapide diu perſeverabat. „

## CAP. XXVII.

### *De Taliſmanibus, prædicendorum futurorum cauſa confectis.*

ALterum Taliſmanum genus ad futurorum præcognitionem adhibebatur. „ Haſce imagines, ut ſcribit *Maimonides*, in honorem ſtellarum erigebant, & ſoli quidem aureas, lunæ verò argenteas; atque ita etiam metalla & climata terræ ſtellis dividebant, Dicebant enim, certi climatis Deum eſſe certam ſtellam. Deinde ſacella extruebant, atque in illis ſimulacra ſtatuebant, vires ſtellarum influere in illas imagines, eaſque intelligentiâ eſſe præditas, hominibus prophetiæ donum largiri, ac denique iiſdem utilia ac ſalutaria ab imaginibus ita conſecratis indicari rati. Ita dicunt de arboribus, quæ ad ſtellas pertinent; cum arbor quædam certæ ſtellæ dedicata eſt, nomini eius ſata, & certis ritibus culta, virtutes ſpirituales ſtellæ in arborem illam infundi; ita, ut efficiat ea arbor, ut homines, prophetico ſpiritu pleni, vaticinentur, eademque in ſomnis homines, eam colentes, alloquatur. „

Mor. Neb. L. III. c. 29.

Vox *Teraphim* תרפים * in ſcriptura, inter alia, quæ obtinet, ſignificata, aliquando pro hiſce imaginibus ſumitur; unde (a) ab *Onkeloſo*, cui adſtipulatur *Syrus* interpres, vertitur *Tſilmenaia*. Septuaginta interpretes explicant δήλους, ἀποφθεγγομένους & φωτισμούς, quibus vocibus ſignificant, illis fuiſſe vim prædicendorum futurorum, quod ab ipſa habent ſcriptura; quando quidem teſtatur Ezechiel, Babyloniæ regem futura cognoſcendi avidum, inter alias artes *conſuluiſſe Teraphim*.

* Vide indicem in hac voce.

(a) Gen. III.

Ez. c. XXI.

Hujus generis fuiſſe exiſtimantur imagines, quas Rachel *patri* Labani ſuffurata eſt; *cum hic iis nomen tribuat Deorum ſuorum*, quæ verba, *maximum Deorum ſuorum* Coptus interpres tranſtulit. R. *David Kimchi* ſtatuas fuiſſe exiſtimat, ad futurorum prædictionem, ope aſtrologiæ, confectas; quarum figuras quidem hodie ignoramus, ſed eas futura ore cacodæmonis eloquutas. R. vero *Elieſer* cenſet, humanam ſpeciem eas retuliſſe; & factas ſub certis conſtellationibus; quarum influxu certis horis loquendi, & cuivis interroganti reſpondendi virtutem accipiebant. Humana pariter formâ factas, ita, ut cœleſtis influentiæ eſſent capaces, annotat *Aben Ezra*; atque ad eam mentem interpretatur Theraphim, quæ, pro liberando Davide, in lecto poſuit Michal. Addit,

Gen. XXXI.

dit, hæc signa Rachele non esse surrepta eo animo, ut patrem ab idololatria revocaret, alioquin „ enim eam potius alicubi in via ea fuisse celaturam, non secum adeo procul delaturam. Sed quoniam pater astrologiæ erat peritus, timuisse, ne, consultis imaginibus & stellis, qua via aufugisset Jacobus, resciret. Ideo etiam *Augustinus* Quæst. XCIV. in Genesin: *Quod Laban*, inquit, *dicit, quare furatus es Deos meos, hinc est illud fortasse, quod & augurari se dixerat*. Capite enim antecedente Iacobum Laban sic alloquitur: *auguratus sum, quod benedixerit mihi Dominus propter te*. Nam ita vertunt vocem נחשתי *nichaschti* vetustiores, & de prænoscendo, probando, seu coniicendo locum illum intelligunt Hebræi; ut observavit (a) *Joan. Seldenus*.

a De Diis Syris Synt. I. c. 2.

*Philo Judæus* (b) verba faciens de *Teraphim Michæ*, fingit, ab hoc conflatas fuisse „ ex puro auro & argento, tres imagines iuveniles, tres vitulos, item imagines leonis, draconis & columbæ; adeo, ut si quis aliquid arcani de uxore rescire vellet, ad imaginem columbæ, quæ respondebat quæsitis, confugere eum oporteret; si de pueris, ad puerum; si de divitibus, ad aquilam; si de potentia ad leonem; si de filiis & filiabus, ad vitulos; si de longævitate denique, ad draconem. Hæc, quamvis inania, ostendunt tamen a *Philone* τὰ *Theraphim* imagines fatidicas fuisse creditos.

b Hic locus ubi sit nescio, nisi sit apud Pseudo-Philonem Annii Viterbiensis.

## CAP. XXVIII.

### *De Magia theurgica.*

MAgices Chaldaicæ altera pars fuit θεουργική, ad quam forte peculiariter alludit (a) *Plato*, quando dicit: Magiam Zoroastris fuisse cultum Deorum. Hanc quoque vocabant (b) *Disciplinam rituum*, *opera* pietatis, &, ut loquuntur Græci doctrinæ eius interpretes, τελεστικὴν ἐπιστήμην. Qua in re sita esset, colligere est ex *Suida*, de duobus Julianis. Julianus, inquit, Chaldæus Philosophus, pater Juliani, cognomento Theurgi, scripsit de Dæmonibus libros quatuor. Est quoque apud eundem Phylacterium, ad unumquodque membrum, qualia ducuntur ex Telesiurgicis, hoc est, ritibus arcanis Chaldæorum. Julianus, ante dicti filius, sub M. Antonino Imp. scripsit & ipse versibus theurgica, telestica & oracula; & alia, quæcunque sunt hujus artis, arcana. „

a In Alcibiad. I.

b Psellus in Orac. p. 102. Ed. Amst.

Igitur telesticæ disciplinæ opera putabant, adhibitis certis ritibus, Dæmonas in hominum colloquium venire. Τελεστικὴ ἐπιστήμη ἐστὶν ἡ οἷον τελοῦσα τὴν ψυχὴν, διὰ τῆς τῶν ἐνταῦθ' ὑλικῶν δυνάμεως. *Telestica disciplina est quæ perficit mentem, quantum potest, per potentiam materialium, quæ hic sunt.* „ Nequit enim ratio per se ipsam ad sublimiorem contemplationem sese efferre, & ad intellectionem Numinis. At sermo pietatis (hoc est, *religio Christiana*) eam manu ducit ad Deum, ope revelationum illinc emissarum; Chaldæus vero, per scientiam telesticam &c. Plato quidem ratione & intellectu ingenitam essentiam intelligi posse statuit. At

Psell. in Or. p. 95.

Vide Indicem in Λόγος ἐνεργούμενος.

Chal-

Chaldæus dicit, nos non aliter ad Deum efferri posse, nisi animæ vehiculum materialibus ritibus firmemus. Arbitratur enim animam, lignis, herbis & carminibus illustrari, & agilem ad ascensũ fieri."

Psell. in Or. p. 102. Prodest etiam τελεστικὴ corpori, non minus ac menti: "Si mentem tuam illustratam ad superiora extuleris, & divini ignis opus ad pietatis opera evexeris (sunt autem Chaldæis ἔργα εὐσεβείας αἱ τῶν τελεστῶν μεθοδεῖαι rationes sacrorum faciendorum.) non solum animam affectibus insuperabilem reddes, sed etiam corpus tuum salubrius efficies. Est enim is sæpe divinarum illustrationum effectus, ut consumatur materia corporis, naturaque sana fiat, neque amplius, effectibus, neque morbis corripiatur."

## CAP. XXIX.

### *Theurgici Ritus.*

Ritibus theurgicis putabant bonos elici Dæmonas, malos vero averruncari. Rituum horum præcipuus in sacrificio situs erat, de quo memorabilia exstant verba *Jamblichi*, Chaldaicam opinionem

De Myst. Sect. I. c. 31. sic referentis: "Quicunque vere sunt Dii, dant tantum bona, cum solis viris bonis conversantur, sunt cum iis, qui per sacra purgati fuere, atque ab iis omne vitium, & omnem affectum auferunt. His affulgentibus, quod malum & dæmonicum est, evanescit, & potentioribus cedit, quemadmodum luci tenebræ. Ne minimum quidem amplius malum turbat sacris operatos, (Θεουργοῖς) qui exinde omnem adipiscuntur virtutem, probis & honestis moribus fiunt affectibus & omni inordinato motu liberantur, purganturque a moribus impiis & parum sanctis. Quicunque vero, cum ipsi sunt impuri, tum contra ritus & ordinem divina invadunt, propter infirmitatem suæ operationis, & defectum potentiæ, quæ ipsis inest, non possunt Deos elicere. At si propter quasdam pollutiones a purorũ spirituum commercio arceantur, contra malis spiritibus copulantur, pleriique pessimo eorum afflatu, mali & impii evadunt. Libidinibus, quas coercere nequeunt, referti & vitio pleni, moribus dediti a Diis alienis, &, ut omnia paucis complectar, simillimi magis Dæmonibus, quibus conversantur, fiunt. Hi igitur affectibus & vitio pleni, per affinitatem affectionis, malos in se trahunt † spiritus, & ab iis ipsi ad omne vitium incitantur; atque ita se invicem juvant, ut circulus, *cujus initium fini connexum est, & æqua*les utrinque reddit vices."

† ita dicens voce spiritus.

Utebantur etiam variis aliis ritibus, quos efficaces in eliciendis putabant Dæmonibus. "Evocantur, ait *Nicephorus Gregoras* * *in Synesium*, ex aere & terra certis vocibus & pulsibus, aut certis vocibus & figuris, quæ vocantur characteres, inventæque sunt a Chaldæis & Ægyptiis, qui primi retexerunt signum cujusque Dæmonis diacriticum."

* De insomniis.

Pauculi ex hisce ritibus in Chaldaicis oraculis occurrunt.

Ἡνίκα δ' ἐρχόμενον πρόσγειον Δαίμον' ἀθρήσης
Θύε λίθον μνιζοῦριν ἐπαυδῶν.

† *Cum terrestrem Dæmonem ad te accedentem videris, immola lapidem inclamando Mnizurin.* Psellus:

† vide dicem hac voce

lus: (a) „Dæmones terrestres natura sunt mendaces, utpote longe a divina cognitione remoti, & materia tenebricosa referti. Quod si ex his verum responsum audire cupias; aram parato, & macta lapidem *mnizurin*. Hic autem lapis vim habet eliciendi alterius majoris Dæmonis, qui inconspicuus ad materialem accedens, rerum quæsitarum veritatem insusurrabit, quam ille respondebit interroganti. Indicat autem nomen, quo potest elici, una cum sacrificio lapidis. „

Alius ritus similis, ab iisdem oraculis indicatus, fit ope *Hecatici strophali*: ἐνεργεῖ περὶ τὸν Ἑκατικὸν στρόφαλον *operare circa hecaticum strophalum* Psellus: „*hecaticus strophalus* est sphæra aurea, quæ includit sapphirum, loro bubulo agitata, referta characteribus. Hanc circumrotantes invocabant Deos, aut Dæmonas. Atque ejusmodi sunt quæ Iyngas evocare solent, seu sphæricam habeant, seu triangularem, seu quamvis aliam figuram. Talia autem moventes sonos inconditos, vel belluinos edunt, ridentes & aerem verberantes. Docet igitur, quomodo sit peragendus ritus seu motum hujus strophali, quasi vim arcanam habentem. Vocatur autem strophalus ille hecaticus, quia Hecatæ dicatus est. Hecate autem Dea est apud Chaldæos, ad dextram habens virtutum fontem. „

Vide Indicem in Hecate.

Non levis efficacia tribuebatur quibusdam vocibus, quæ in his sacris proferebantur, & quas mutari diserte vetant oracula: Ὀνόματα βάρβαρα μήποτ' ἀλλάξῃς *nomina barbara nunquam mutes*. Psellus: „Sunt nomina apud unamquamque gentem divinitus tradita, quæ in sacris arcanam vim habent; ne autem hæc unquam in græcam dialectum mutaveris. Ejusmodi sunt Seraphim, Cherubim, Michael, Gabriel, quæ si efferuntur secundum hebraicam dialectum, habent in sacris (ἐν τελεταῖς) vim arcanam; mutata vero in græca nomina, nullius sunt efficaciæ. „ †

† Vide Indicem in voce Nomina.

## CAP. XXX.

### *Apparitiones.*

Dæmonum apparitiones, qui hisce ritibus eliciebantur, duplicis erant generis.

Primum vocatur ἐποπτεία *inspectio*, (a) quę vox respicit πρὸς ἐπόπτας, ad mysteriorum inspectores. Quando is, qui ritus perfecerat, videbat apparitionem lucis, exempli causa, aliqua † forma vestitę; „ monet oraculum (b), ne ad hanc amplius animum advertat, neve vocem inde missam veracem existimet. „

„ Solent nonnunquam multis, qui initiantur, apparere inter sacrificandum canina quædam, aliaque portentosa spectra &c. Hæc sunt inania quædam simulacra (εἴδωλα) ejusmodi absonorum mentis affectuum, qui sunt in iis qui initiantur, quæ apparent sine subsistentia ἀνυπόστατα, & propterea nihil veri significare possunt.

Alterum vocatur αὐτοψία, *ipse conspectus*, quo tum dicitur initiatus frui, *cum videt divinam lucem sine forma, vel figura*. „ Hanc vocat oraculum εὐϊερὸν πῦρ, quod invocantibus viris sanctis conspectus fit, & saltuatim totus ignis apparuerit, seu hilariter, nec sine gratia, per profunditatem mundi. Hunc

a Psell. in Or. p. 100.
† Vide Indicem in Forma.
b p. 98.
c Pletho in Or. p. 96.
Psell. in Orac. pag. 100.
Vide Indicem in voce Ignis.

qui vident, non decipiuntur, sed quidquid responsi accipiunt, verum est.

Ἡνίκα μὲν βλέψῃς μορφῆς ἄτερ εὐιερὸν πῦρ,
Λαμπόμενον σκιρτηδὸν ὅλη κατὰ βένθεα κόσμου,
Κλῦθι πυρὸς φωνήν.

*Quando videris sacrum ignem sine forma, fulgentem per totius mundi profunditates, audi ignis vocem.*

In Orac. pag. 26. *Pletho*: „ cum conspexeris divinum ignem † figuræ expertem (ἀσχημάτιστον) per totum mundum, vel *cælum*, nam κόσμος & *mundus* ita interdum sumuntur) saltuatim splendentem, cum gratia quadam, & propitium, hujus vocem audi, quippe quæ verissimam præcognitionem affert.

† Vide indicem in Ignis.

Idem in hæc verba; μὴ φύσεως καλέσῃς αὔτοπτον ἄγαλμα, *ne vocaveris naturæ simulacrum ipsum conspicuum*: „ Ne cupiveris, inquit, intueri per se conspicuum simulacrum naturæ, quippe quod oculis inconspicuum est. Quæ autem apparent initiatis, fulmina & ignis, & si quid aliud est, symbola simpliciter sunt, non Dei natura, τὰ δὲ τελουμένοις φαινόμενα, κεραυνοὶ καὶ πῦρ καὶ εἴ τι ἄλλο, σύμβολα ἁπλῶς ἐστὶν, οὐ Θεοῦ τις φύσις. Legitur vulgo ἄλλως, pro ἁπλῶς, sine sensu.

Additamentum Interpretis.

## C A P. XXXI.

### *Materiales Dæmones quomodo averruncati.*

Uti ope Theurgiæ boni Dæmones eliciebantur: ita materiales expellebantur, quod variis artibus, cum actionibus, tum verbis fieri existimabant.

Et verbis quidem, nam auctore *Marco* Monacho apud *Psellum*, „ materialia Dæmonia verita, ne in abyssos, meatusque subterraneos relegentur, sibique ab Angelis eo relegantibus timentia, cum quis ea illuc relegatum iri comminatur, Angelorumque nomina exprimit, quibus id provinciæ demandatum est, dici vix queat, quanto metu, quantaque perturbatione concutiantur. Ita enim animo percelluntur, ut ne comminantem, quisnam ille sit, discernere valeant. Sed sive anicula quæpiam, „ sive feroculus senex comminationes hujusmodi expresserit, tunc tantus ea metus invadit, ut plerumque abscedant, ac si ea qui comminantur, iidem & perficere possent.

De Dæmo. p. 15.

Actionibus etiam repellebantur, nam eorum corpora, ut idem ait, percuti possunt. „ Nos os in quovis homine, neque nervus id est, quod sentit, sed spiritus eis insitus, &c. Nec enim fieri potest, ut compositum corpus per se doleat, sed quia spiritus particeps est; quandoquidem in frusta dissectum, vel mortuum, sensu prorsus caret, quia spiritu privatum. Eodem modo Dæmon, cum totus sit spiritus, & sua natura sensus in omnibus membris suis particeps, per se videt & audit, iis quæ corpora propter tactum patiuntur obnoxius, dissectusque indolet, solidorum corporum instar. Hac tamen ratione ab his differt, quod cum cetera, quæ dissecantur, vix, vel nullo potius modo coeant, Dæmonium contra dissectum statim coalescit: quemadmodum particulæ aeris, vel aquæ, solidi cujuspiam corporis interjectione divisæ, denuo coeunt. Tametsi autem Spiritus

tus dicto citius in pristinam formam redit, tamen eo momento dolet, quo dissectio fit. Proinde gladiorum mucrones timet & expavescit. Cujus rei non ignari ii, qui artem expellendorum Dæmonum norunt, quocunque eos accedere velle persentiscunt, ibi acus aut gladios cuspidibus erectis infigunt, aut alia quæpiam hujusmodi excogitant; tum antipathiis eos averruncant, vel sympathiis alliciunt. „

Ibid. p. 137. „ Ab hisce Dæmonibus in eos, a quibus coluntur, ignei quidam splendores descendunt, quales sunt stellæ cadentes, quos insani Θεοπτίας, divinas apparitiones vocitare solent, & qui nihil habent verum, neque stabile, neque firmum, (quid enim esset in tenebricosis Dæmonibus lucis?) sed sunt eorum ludibria, qualia sunt in oculorum fascinationibus, aut iis, quæ fiunt a circulatoribus, qui spectatores deludunt. „

Id. in Or. p. 101. „ Hi Dæmones, secundum Chaldaica oracula, a divinæ vitæ beatitudine longe positi, & intellectuali contemplatione destituti, futura portendere nequeunt; unde fit, ut omnia, quæ dicunt aut monstrant, falsa sint, & nulla certitudine suffulta. Μορφωτικῶς enim, *ex forma externa*, entia cognoscunt. At id, quod sigillatim futura novit, notionibus utitur indivisibilibus, & forma externa destitutis.

## CAP. XXXII.

### *De cultu Deorum apud Chaldæos, & primum quidem de veri Dei idololatrico cultu.*

UT Chaldaicam doctrinam, præsertim qua ad eos, qui *Aschaphim* vocabantur, pertinet, enarrare pergamus, quales essent Dii, & quomodo apud Chaldæos colerentur, postremo loco videndum est.

Quamvis *Joannes Seldenus*, in aureo *de Diis Syris* libello, omnes Asiaticos Deos communi *Syrorum* nomine complexus fuerit: nos hic eos tantum ad examen vocabimus, qui proprie ad Assyriam spectabant; (seu ibi tantum culti, seu inde in Syriam, aut alio translati fuerint, insuper habitis reliquis; quippe qui nihil ad Chaldæos, seu Babylonios attineant.

Cultus autem Deorum, apud Chaldæos, ad tres partes potest referri. Prima est cultus veri Dei, sed idololatrico ritu: Altera Dæmonum, vel spirituum; Tertia cœlestium corporum, & elementorum.

Scriptor Chaldaici Summarii testatur, ab iis agnitum fuisse *omnium rerum principium*, *idque unum & bonum*. Hoc *uno & bono* principio intellectum ab iis fuisse verum Deum, ad quem hæc sola pertinent attributa, colligere est ex *Eusebio*; qui dicit, verba faciens sine dubio de Zoroastris discipulis, ab iis agnitum primo loco (a) *Deum omnium parentem ac Regem*; unde Delphicum oraculum, a *Porphyrio* allatum, (b) eos cum Hebræis jungit.

a Præp. Evang. IV. c. 5.

b Vide supra c. 1.

Sed licet id oraculum dicat ab utrisque σεβαζομένοις θεὸν ἁγνῶς, dubium non est, quin Chaldaicus cultus idololatricus fuerit, aut quin iis aptari queat, quod Paulus de Romanis dicit, quod *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificarint, sed immutaverint gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*.

Summo Numini nomen & imagi-

† Vide indicem in voce hac ginem † *Beli* tribuebant, ut liquet ex prohibitione Dei, quæ exstat Oseæ II. 16. *Non vocabis me amplius Bahali*. *Belus* enim Chaldæorum idem est ac *Bahal* Phoenicum, qua voce Hebræi *dominum* significant. Beli autem Babylonici mentio, apud Esajam & Jeremiam Prophetas, exstat. Qui primi orientales disciplinas Græcos docuerunt, plerique omnes vocem Βῆλος, vocabulo Ζεύς, transtulerunt. Ita *Herodotus*, *Diodorus*, *Hesychius*, aliique. *Berosus*, ait Eusebius, *erat sacerdos Beli*, *quem explicant* Δία *Jovem*. Cujus interpretationis ratio videtur esse, quod, quemadmodum Belus erat summus Deorum, apud Chaldæos: ita Jupiter supremum, apud Græcos, obtinebat locum; unde & hi Jovi, ut Babylonii Beli nomine, verum Deum intelligebant. Nam huic Paulus aptat hemistichium *Arati* * : τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, *cujus & genus sumus*, cum referatur ad primum versum: Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, *a Jove initium faciamus*. *Clemens Alexandrinus*, postquam attulit hæc verba Petri: τὸν Θεὸν σέβεσθε, μὴ κατὰ τοὺς Ἕλληνας, *Deum colite, non secundum Græcos*, ait Apostolum τὸν τρόπον τῆς σεβήσεως ἐναλλάττειν τοῦ Θεοῦ, οὐχὶ δὲ ἄλλον καταγγέλλειν, *mutare rationem cultus divini, non alium annunciare*.

* Vide vocem Jupiter.

Strom. VI. p. 635. ex libro, qui inscriptus erat: Prædicatio Petri.

Templum hujus Jovis Beli ab *Herodoto*, teste oculato, accurate describitur: „ In altero ambitu est Jovis Beli templum, æreis portis, duorum undequaque stadiorum, figura quadrata. In medio templo est turris solida, crassitudine simul & altitudine stadii, cui alia rursus superimposita turris, & huic subinde alia, ad octavam usque. Forinsecus scalæ in circuitu factæ sunt, per quas ad omnes ascenditur turres. In medio scalarum est statio & cellæ ad quiescendum, in quibus adscendentes sedent, ut requiescant. In extrema turri magnum est templum, in quo medio est lectus bene stratus, adjacente mensa aurea. Nulla est eo in loco statua collocata, neque quisquam pernoctatur, excepta muliere indigena, quam Deus ex omnibus elegerit, ut Chaldæi dicunt, qui sunt hujus Numinis sacerdotes. Narrant etiam illi, tametsi mihi parum credibile dicant, Deum ipsum ingredientem templum in hoc cubili conquiescere: quemadmodum in Ægyptiis Thebis fieri etiam ajunt Ægyptii. Ibi enim, in Thebani Jovis fano, mulier quoque cubat. Utraque autem mulier non creditur habere consuetudinem cum viris; quod neque etiam creditur de Patarensi *Antistita*, quando eo munere contingit mulierem fungi &c. Porro in Babylonico templo est alterum sacellum interius, quod magnum habet Jovis simulacrum sedens, idque aureum, pone mensam & ipsam auream, cujus scamnum & sella sunt etiam ex auro; adeo, ut Chaldæi octingentorum talentorum auri opus æstiment. Extra sacellum altare est, & ipsum aureum; atque præter hoc aliud altare ingens, ubi integræ ætatis oves mactantur; quandoquidem supra aureum non licet ulla animalia occidere, præter lactentia. In majori altari, Chaldæi quotannis centum millia talentorum libanoti adolent, quando huic Deo festum diem celebrant. Erat etiamnum illo tempore statua duo-

Lib. I. c. 181.

duodecim cubitorum, e solido auro, quamvis hanc ego non viderim, sed ea referam, quæ a Chaldæis narrantur. Hanc statuam Darius Hystaspides insidiose captans, non ausus est abripere; sed eam postea Xerxes abstulit, sacerdote, qui eam loco dimoveri prohibuerat, interfecto. „

*Herodotus* ait, sacerdotes Beli fuisse *Chaldaeos*. R. vero *Maimonides* eosdem ac sacerdotes *Bahalis* existimat. Mentio occurrit festi *Bahalis* 2. Reg. X, 20. *Arrianus* etiam meminit oraculi Beli, de quo & *Stephanus* cuius verba afferemus in procemio ad *oracula Zoroastris*. Apud *Arrianum* Chaldæi Alexandro, Babylonem adventanti, aiunt: λόγιον γεγονέναι σφίσιν ἐκ Θεοῦ τοῦ Βήλου, *sibi oraculum a Deo Belo editum*, ingressum in Babylonem hoc tempore Regi faustum non futurum.

L. VII. p. 159. Ed. Hen. Steph.

## CAP. XXXIII.

### *Cultus aliorum Deorum, Angelorum & Dæmonum.*

CHaldæi, secundo loco, alios Deos, Angelos ac Dæmonas colebant: μεθ' ὃν, ait *Eusebius*, postquam summum Deum nominavit, γένος τῶν θεῶν ὑπάρχει δεύτερον, *post quem est secundum genus Deorum*, *sequens Dæmonum*, *quartum Heroum*. Hosce Deos distinguebant in varios ordines: * *Intelligibiles*; *Intellectuales*; & *Intelligibiles*; *Intellectuales Fontes*; *Principia*; *Deos certa zona*, *alios nulli astrictos*; *Angelos & Dæmonas*. Ad horum cultum pertinet, quod de theurgia iam diximus.

Præp. L. IV. c. 5.

* Vide in vocibus Νοητοὶ & Νοεροὶ

## CAP. XXXIV.

### *De cultu, quo Chaldæi cœlestia corpora prosequebantur.*

TErtium genus idololatriæ Chaldæorum fuit cœlestium corporum cultus, in quem, ut scribit *Maimonides*, † brevi post diluvium prolapsi sunt. Inde forte ortus est is cultus, cum quod astris contemplandis multam operam ponerent, tum quod eorum maxima in genus humanum beneficia animo versarent.

† Vide indidem in voce *Astra*.

Levitica lex, qua idololatria hæc vetatur, has eius circumstantias describit: *Ne forte elevatis oculis ad cœlum, videas solem lunam & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium gentibus, quæ sub cœlo sunt*. Inter Judæos idololatras, quos Rex Iosias e medio sustulit, præter eos, qui thymiamata offerebant Bahali de quibus diximus, recensentur ii, *qui adolebant soli & lunæ & planetis* (מזלות) *Mazzaloth* (*& reliquo exercitui cœlorum*. Quod sine dubio a vicinis Assyriis, quos conqueritur Ezechiel exemplo iis fuisse didicerant.

Deut. IV, 16.

2 Reg. XXIII, 5.

## CAP. XXXV.

### *De Sole.*

SOl & luna primi nominantur, & a ceteris distinguuntur stellis; atque ab iis forte cœpit idololatria, priusquam ad alias stellas porrigeretur. In antiquissima idololatriæ erga astra mentione, quæ occurrit apud *Jobum*, qui Chaldæis vicinus erat, hæc duo astra sola † nominatim appellantur. Ac sane

Vide indicem in *Idololatria*.

† capi XXXI, 27.

sane a Chaldæis solem & lunam præcipua Numina habita fuisse auctor est * *Maimonides*, qui testatur quidem, reliquos septem planetarum Deorum numero adscriptos, sed duo amplissima lumina maxima fuisse Numina ait.

* In lib. de cultu extraneo, [illegible].

Idem addit solem omnium † summum creditum. Quæ, in horum confirmationem, ex libris Sabæorum, affert, de Abrahamo & similia, infra a nobis indicabuntur. *Macrobius* meminit trium idolorum apud Assyrios, * soli dicatorum, quorum unum erat *Adadi*, alterum *Adonidis*, tertium *Iovis Heliopolitæ*. *Deo*, inquit, *quem summum maximumque venerantur*, Adad *nomen dederunt; ejus nominis interpretatio significat unum. Hunc ergo, ut potentissimum adorant Deum, sed subiungunt ei Deam nomine Adargatim, omnemque potestatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, solem, terramque intelligentes &c. Simulacrum Adad insigne cernitur, radiis inclinatis, quibus monstratur, vim cœli in radiis esse solis, qui demittuntur in terram. Adargatis simulacrum sursum versum reclinatis radiis insigne est: monstrando, radiorum vi superne missorum enasci, quecunque terra progenerat.*

† Mor. heb. p. III. c. 29.

* Vide Indicem in voce Sol.

Sat. Lib. I. cap 23.

Sed quando affirmat, voce *Adad* significari *unum*; aut ipse fallitur, aut eius verba depravata sunt; nam, ut observavit *Ioan. Seldenus*, apud Syros & Chaldæos *Chad* חד ab Hebraico *Echad* אחד significat *unum*, *Adad* vero aut *Adod* aliter scribitur.

*Ioan. Drusius* apud *Macrobium* legit *Hhada* חדא quod Syriace significat *unum*. De hoc idolo forte intelligendus Esaias LXVI, 17. *Qui sanctificantur & mundantur in hortis post unum*: nempe in hortis dicatis idolo, quod erat post templum, *subintelligendum enim ait Iosephus Scaliger, templum pone templum*.

*Adonis* nomen derivatus ab אדון *Adon* Dominus. *Adonin autem*, ait Macrobius, *Solem esse non dubitatur, inspecta religione Assyriorum: apud quos Veneris Architidis & Adonis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phœnices tenent. Nam Physici terræ superius hemisphærium, cuius partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt, inferius vero hemisphærium terræ Proserpinam vocaverunt. Ergo apud Assyrios, sive Phœnices, lugens inducitur Dea, quod sol annuo gressu per duodecim signorum ordinem pergens, partem quoque hemisphærii inferioris ingreditur; quia de duodecim signis zodiaci sex superiora, sex inferiora censentur. Et cum est in inferioribus, & ideo dies breviores facit, lugere creditur Dea, tanquam sole raptu mortis temporalis amisso, & a Proserpina retento, quam numen terræ inferioris circuli, & antipodum diximus. Rursumque Adonin redditum Veneri credi volunt, cum sol, evectis sex signis annuis inferioris ordinis, incipit nostri circuli lustrare hemisphærium, cum incremento luminis & dierum*.

Saturn. Lib. I. cap. 21.

Vltimum simulacrum solis Iovis Heliopolitæ nomine insignitum erat. *Assyrii quoque solem*, ait idem scriptor, *sub Iovis nomine, quem* Δία Ἡλιοπολίτην *cognominant, maximis cerimoniis celebrant, in civitate quæ Heliopolis nuncupatur*.

Ibid cap. 23.

Ejus

*Ejus Dei simulacrum sumtum est de oppido Ægypti, quod & ipsum Heliopolis appellatur, regnante apud Ægyptios Senemure, seu idem Senepos nomine fuit; perlatumque est primum in eam, per Oppiam legatum Deleboris Regis Assyriorum, sacerdotesque Ægyptios, quorum princeps fuit Partemetis; diuque habitum apud Assyrios, postea Heliopolin commigravit. Cur ita factum, quaque ratione Ægypto profectum, in hæc loca, ubi nunc est, postea venerit, rituque Assyrio, magis quam Ægyptio colatur, dicere supersedeo, quia ad præsentem non attinet causam. Nunc vero eundem Iovem, solemque esse, cum ex ipso sacrorum ritu, tum ex habitu dignoscitur. Simulacrum enim aureum* (ex hoc metallo ait fuisse *Maimonides* Talismanes Chaldæorum solares,) *specie imberbi instat, dextra elevata, cum flagro in aurigæ modum, læva tenet fulmen & spicas. Quæ cuncta Iovis, solisque consociatam potentiam demonstrant. Huius templi religio etiam divinatione præpollet, quæ ad Apollinis potestatem refertur, qui idem atque sol est. Vehitur enim simulacrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti vehuntur in pompa ludorum Circensium Deorum simulacra, & subeunt plerumque provinciæ Proceres, raso capite, longi temporis castimonia puri, feruntur que divino spiritu, non suo arbitrio, sed quo Deus propellit, vehentes; ut vidimus apud Antium promoveri simulacra fortunarum, ad danda responsa. Consulunt hunc Deum & absentes, missis diplomatibus consignatis, rescribitque ordine ad ea, quæ consultatione addita continentur.*

*Sic & imperator Traianus initurus ex ea provincia Parthiam cum exercitu, constantissimæ religionis hortantibus amicis, qui maximæ huiusce Numinis ceperant experimenta, ut de eventu consuleret rei captæ, egit Romano consilio, prius explorando fidem religionis, ne forte fraus subesset humana. Et primum misit signatos codicillos, ad quos sibi rescribi vellet: Deus iussit afferri chartam, eamque signari puram & mitti, stupentibus sacerdotibus ad eiusmodi factum; ignorabant quippe conditionem codicillorum. Hos cum maxima admiratione Traianus excepit, quod ipse quoque puris tabellis cum Deo egisset. Tunc aliis codicillis scriptis, consignatisque consuluit, an Romam, perpetrato bello, rediturus esset. Vitem centurialem Deus, ex muneribus in æde dicatis, deferri iussit, divisamque in partes sudario condi, ac proinde ferri. Exitus rei obitu Traiani apparuit, ossibus Romam relatis. Nam fragmentis species reliquiarum, vitis argumento casus futuri tempus ostensum est. Et ne sermo per singulorum nomina Deorum vagetur, accipe quid Assyrii de solis potentia opinentur, Deo enim, quem summum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt,* &c.

Hisce addendum nomen Beli, quod summo Numini, peculiare licet, attamen & aliis Chaldæorum Diis, ac inter alios soli attribuitur auctore *Servio: Lingua Punica,* inquit, BAL *Deus dicitur, apud Assyrios autem* Bel *dicitur, quadam sacrorum ratione, & Saturnus &* Sol. In Æneid. I.

מולידתה, quæ *prolificam* significat. Cum hac etymologia optime convenit ritibus, qui in ejus cultu usurpabantur, ita ab *Herodoto* de- Lib. 1. cap. 199. scriptis: „Turpissima legum Babylonicarum hæc est. Nempe omnibus mulieribus indigenis commune est, semel in vita, ad templum Veneris desidentibus, cum peregrinis consuetudinem habere. Plurimæ autem mulieres, quæ præ divitiis superbæ, se aliis miscere non dignantur, vehiculis cameratis vectæ pro templo consistunt, relicta interim a tergo magna famulitii turba. At pleræque sic faciunt. Ad templum permultis sedent nodis corollisque caput revinctæ; & hæ quidem accedunt, aliæ vero abeunt. Diverticula autem, *funiculis* distincta, aditum præbent peregrinis, quam voluerint, electuris. Cum semel illic sedit mulier, non prius domum regreditur, quam hospitum aliquis pecuniam in sinum injecerit, & cum ea, a fano seorsim abducta, rem habuerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet: *Tibi faventem opto Deam Mylittam*; Mylittam enim Assyrii Venerem appellant. Pecuniam porro illam, quantulacunque sit, non fas est reiicere: siquidem sacra fit. Nec mulieri etiam licet hospitem aliquem repudiare, sed quicunque pecuniam injecerit primus, hunc illa sequitur citra delectum. Postremo, ubi jam congressa fuerit cum hospite mulier, sacris Deæ factis, domum revertitur. At deinceps nihil tam magnum est; quo dato potiri illis possis. Porro, quæ forma sunt elegantiori, citius discedunt; quæ vero deformes, diutius coguntur exspectare, cum legem implere nequeant; etenim tres, aut quatuor annos continuos exspectant. Hactenus *Herodotus*. „

De eadem consuetudine quidam interpretantur *Baruchi* Prophetæ cap. 6. al. in Epist. Jerem. verba, de Chaldæis mulieribus: *αἱ δὲ γυναῖκες περιθέμεναι σχοινία ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐγκάθηνται, θυμιῶσαι τὰ πίτυρα· Ὅταν δέ τις αὐτῶν ἐφελκυσθεῖσα ὑπό τινος τῶν παραπορευομένων κοιμηθῇ, τὴν πλησίον ὀνειδίζει, ὅτι οὐκ ἠξίωται ὥσπερ καὶ αὐτὴ, οὔτε τὸ σχοινίον αὐτῆς διεῤῥάγη*. Interprete vulgato: *Mulieres autem circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa olivarum. Cum autem aliqua ex ipsis attracta, ab aliquo transeunte, dormierit cum eo, proximæ suæ exprobrat, quod ea non sit digna habita, sicut ipsa, neque funis eius diruptus sit.*

Hisce addendum *Succhoth Benoth* סכות בנות Idolum Babylonicum cuius mentio occurrit 2. Reg. XVII, 30. Eæ voces significant *tentoria puellarum*, quibus nonnulli putant designari ea tentoria, seu divisa loca per funes, quorum meminit *Herodotus*, & ubi mulieres sedebant exspectantes, donec Veneri Mylittæ corpore litassent. Vocabulum *Veneris*, coniectore *Seldeno*, derivatum etiam est a voce Benoth. Sed ex vocibus scripturæ *Succhoth Benoth* potius esse nomen idoli, quam templi aut tentorii, satis liquet. Rabbini fingunt, hoc Numen fuisse instar gallinæ cum pullis; *Nam*, inquit R. D. Kimchi, *ut vocant gallinam* Succha, *a tegendo: ita gallinas vocant* Succhoth, *a tegendo*. Benoth *autem interpretantur pullos, quos solent gallinæ alis suis tegere*. Hinc *Athan. Kircherus* *Mylittam* Venerem fuisse colligit.

## CAP. XXXVIII.
### *De aliis stellis.*

NEque soli planetæ, sed etiam signa zodiaci, ac reliquæ stellæ Dii a Chaldæis habebantur, adolebant enim τοῖς *Mazzaloth & reliquo exercitui cœlorum* 2. Reg. XXIII, 5. † *Mazzal* autem est stella, ideoque vocabant signa duodecim *Mazzaloth*, & zodiacum *circulum Mazzaloth*. Interdum mutant *Lamed* in *Resch*, & vocant *Mazzaroth*. Septuaginta quoque Intt. habent Μαζουρώθ, quod Suidas interpretatur *constellationes* dictas ζώδια. Hoc cum eo, quod habet *Diodorus*, consentaneum est, qui ait a Chaldæis duodecim habitos esse præcipuos Deos; quorum unicuique mensem, atque unum zodiaci attribuerint signum.

† Vide Indicem in hac voce.

Ab iisdem cultas fuisse reliquas stellas inerrantes, apparet ex scripturæ verbis laudatis, in quibus *toti cœlorum exercitui* sacra fecisse dicuntur; atque hoc etiam diserte affirmat *Diodorus*, qui, ubi doctrinam Chaldæorum tradit, ait, planetas ab iis *Interpretes* vocatos; alias vero stellas partim *omnium rerum indices*, partim *consiliarios Deos* dictas, ut ostendimus supra cap. XVII. Neque dubium est, quin, uti quasdam stellas fixas ornarunt communi nomine dignitatum, *indicum & consiliariorum*: ita etiam præcipuis singula nomina, & idola, ut planetis, statuerint. Et quoniam Chaldaicus Polytheismus non nitebatur, veluti Græcorum πολυθεότης, commentitia mythologia, quamvis recentiores scriptores de utroque similiter egerint, sed referebatur ad cœlestia corpora, quæ sub variis nominibus & imaginibus colebant: verisimile & consentaneum Chaldaicæ doctrinæ est, assyriaca illa idola, *Aschima*, *Nergal*, *Nibhar*, *Tarthac*, *Anamelech*, *Adramelech*, *Nisroch*, quæ in scriptura recensentur, eiusdem, ac reliqua, generis fuisse, & ad alias pertinuisse stellas. Verum non facile esset, hanc comprobare coniecturam, quoniam de hisce idolis vix quidquam, præter nuda nomina, memoriæ proditum est.

## CAP. XXXIX.
### *De igne, aere & terra.*

SVnt, qui inter Numina Chaldæorum, elementa memorent. Sane constat, eos peculiari cultu ignem prosequutos, seu, ut quidam opinantur, summum Deum ignea imagine, seu, ut alii, Solem effinxerint; cuius rei rationes supra attulimus.

Ad pyrolatriam hanc quod attinet, memoratu digna est, quæ a *Rufino* narratur, historia: † *Ferunt, aliquando Chaldæos ignem, Deum suum, circumferentes cum omnium provinciarum Diis habuisse conflictum, quo scilicet qui vicisset, hic esse Deus ab omnibus crederetur. Reliquarum provinciarum Dii æris aut auri, argentique, aut ligni, vel lapidis, vel ex quacunque materia constabant, qua per ignem procul dubio corrumperetur. Ex quo fiebat, ut ignis locis omnibus obtineret. Hæc cum audisset Canopi sacerdos, callidum quiddam excogitavit. Hydriæ fieri solent in Ægypti partibus fictiles,*

Hist. Eccl. Lib. II. cap. 26.

† Vide Indicem in voce Canopus.

*undique crebris & minutis admodum foraminibus patula, quibus turbida aqua desudans, defecatior ac purior redditur. Harum ille unam cera foraminibus obturatis, desuper etiam variis coloribus pictam, aqua repletam, statuit ut Deum. Et excisum veteris simulacri, quod Menelai gubernatoris ferebatur, caput desuper positum diligenter aptavit. Adsunt post hac Chaldai, itur in conflictum, circa hydriam ignis accenditur; cera, qua foramina fuerant obturata, resolvitur, sudante hydria ignis exstinguitur. Sacerdotis fraude, Canopus Chaldaeorum victor ostenditur.* Idem habet *Suidas* in voce Κάνωπος.

De errore profanar. Religionum pag. 2. Edit. Vvouvovianæ.

De Aere ita *Julius Firmicus*: *Assyrii & pars Afrorum aerem ducatum habere elementorum volunt. Nam hunc eundem nomine Junonis, vel Veneris virginis, si tamen Veneri placuit aliquando virginitas consecrarunt &c. Effœminarunt sane hoc elementum, nescia qua veneratione commoti. Num qui aer interiectus est inter mare & cœlum effœminatis eum sacerdotum vocibus prosequuntur? Dic mihi, hoccine est, quod in viro fœminam quaerunt, cui aliter servire sacerdotum chorus non potest; nisi effœminent vultum, cutem poliant, & virilem sexum ornatu muliebri decorent?*

* Vide dicta [illegible]

Ad terram quod attinet, sic loquitur *Macrobius*: *Physici superius hemisphærium terra, cuius partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt; Inferius vero hemisphærium terra Proserpinam vocaverunt.* Citra hanc mythologiam, Phœniciam potius quam Assyriam, imo forte potius Græcam quam orientalem, plura apud *Macrobium* legi poterunt. Atque hæc, de Chaldæorum doctrina, dicenda habuimus.

[illegible]

# HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ

## PARS XIV.

# DE PERSARUM PHILOSOPHIA.

## PROŒMIUM.

Ultra Chaldæam, ad meridiem, inde est *Persis*, hinc *Arabia*. Persæ autem & Arabes omnem suam eruditionem debuere vicinis Chaldæis. Zoroastres, auctore *Plutarcho*, Magorum inter Chaldęos institutor fuit, quos imitati Persæ suos etiam habuerunt. *Persis* maximum est Asiæ regnum, quod ad septentrionem habet *Mediam*, ad orientem † *Carmaniam*, ad occidentem *Susianam*, ad meridiem *Persici sinus* partem.

De Iside & Osir.

† Vide [illegible] voce Carmania.

## CAP. I.

*De Zoroastre Persa, philosophia inter Persas institutore.*

Persicæ Philosophiæ institutorem fuisse *Zaradem, Zaraduisſit*, aut *Zoroastrem* in confesso est; verum hoc nomen, uti antea obser-

observavimus, videtur eximiæ eruditionis viris commune fuisse. Quis ergo Zoroastres hic fuerit, aut qua ætate vixerit, non constat. (a) *Diogenes Laertius* Persidem ei patriam (b), *Clemens Alexandrinus* Mediam tribuit, *Suidas Perso-Medum* vocat. Unde colligi potest, non tantæ eum fuisse antiquitatis, ac multi existimant. Neque enim nomen Persarum, ante tempora Ezechielis Prophetæ, usurpatum fuisse comperimus, neque ante ætatem *Cyri* celebritatem ullam erat assequutum. Posteriores Persæ, ut testatur *Agathias*, aiunt, eum vixisse sub *Hystaspe*, sed quis fuerit hic Hystaspes, non docent; nec scire est, utrum Hystaspes hic fuerit pater Darii, an alius. Hystaspes Darii pater æqualis *Cyro* fuit, neque constat, Persam Zoroastrem multo antiquiorem fuisse.

(a) In Proœm. (b) Strom. lib. I. p. 334. — Lib. II. initio.

*Sed quocunque tempore vixerit*, ait idem Agathias, *auctor fuit atque introductor magicæ religionis inter Persas, mutatisque eorum antiquis ritibus sacris, varias opiniones induxit*. Arabs historicus ab eo non institutam, sed restitutam Persarum ac Magorum religionem, ut quæ in varias sectas divisa erat, autor est.

Elmacinus.

Fabulosam narrationem occasionis & rationis, quibus id factum, prout a Persis narrabantur, accipe a *Dione Chrysostomo*: *Ajunt, eum amore sapientiæ & justitiæ, se hominum commercio subduxisse, & solitariam in monte quodam vitam egisse; postmodum vero, cum abiret a monte, ingentem ignem superne delapsum perpetuo arsisse; tum Regem, cum Persarum nobilissimis, Deo preces fusurum accessisse; Zoroastrem autem intactum ex igne egressum, propitium apparuisse, jussisseque Persas bono animo esse, & quædam sacra fecisse, quasi Deus in eum usque locum ipsi comes fuisset; inde Zoroastrem cum omnibus promiscue hominibus non esse versatum, sed cum iis tantum, qui natura veritati dediti erant, & Deorum cognitionis capaces; quos homines Persæ Magos vocant*.

In Borysthenica p. 448 Ed. Paris.

Huic Zoroastri Persæ *Suidas* adscribit *de natura* libros quatuor, de *gemmis* unum, *astroscopica apotelesmata* quinque; *Eusebius Persicorum sacram collectionem*, in qua videtur de Persica religione egisse, ut ex fragmentis ab *Eusebio* laudatis colligere est. Quidam hæc Zoroastri Chaldæo, alteri cuipiam alii, nemine interea majorem certitudinis speciem præ se ferente, tribuunt.

In Zoroast. — Præp. Evang. L. I. c. 7.

## CAP. II.

### *De Hystaspe, summo Philosophiæ Persicæ provectore.*

Persarum Magorum eruditio ab *Hystaspe* multum adaucta. Oriundus, secundum *Herodotum*, erat ex *Achæmenia* Persidis regione, filiusque *Arsamenis*, seu, ut alii codices habent, *Arsacis*. Vixit tempore Cyri, cujus somnium de *Dario*, Hystaspis primogenito, quo somnio eidem Dario regnum portendebatur, sermonesque ea de re Cyri & Hystaspis, narrantur ab *Herodoto*. Darius natus est 4165. Julianæ periodi, neque obiit Cyrus antequam is vigesimum ætatis annum attigisset. Circa eadem etiam tempora *Hystaspes & Adusius*, junctis copiis, totam eam Phrygiæ partem, quæ Euxino Ponto adiacet, subegere, Regemque

Lib. I. c. 209. — Xenoph. Inst. Cyr. L. VII.

ejus

ejus captivum ad Cyrum adduxere.

Lib. XXXIII. c. 6. *Hystaspes*, ut prodidit *Ammianus Marcellinus*, vir fuit *prudentissimus, qui, cum superioris Indiae secreta fidentius penetraret, ad nemorosam quandam venerat solitudinem, cujus tranquillis scientiis praecelsa Brachmanorum ingenia potiuntur; eorumque monitu, rationes mundani motus & siderum, purosque sacrorum ritus, quantum colligere potuit, eruditus, ex his, quae didicit, aliqua Magorum sensibus infudit.*

## CAP. III.

*De Osthane, qui primus Persarum disciplinas Graeciae intulit.*

L. XXX. c. 1. PLinius perhibet *Osthanem*, Xerxis in eo bello, quod Graeciae intulit, comitem, *velut semina artis portentosa sparsisse, obiter infecto, quacunque commeaverat, mundo*. Hunc praeterea primum de arte magica *commentatum, uti inveniebat*, ait. Xerxes est egressus Susis, ad hanc expeditionem, anno quarto LXXIV. Olympiadis; licet *Diodorus Siculus*, gesta biennii in annum unum conjiciens, initium expeditionis referat ad annum primum sequentis Olympiadis. *Herodotus* vult tres annos in apparatu hujus belli consumtos, sed temporis indicium in praecedenti capite habet, quod cum annorum serie non consentit. Ait enim a subacta Aegypto a Xerxe, quatuor integros annos consumtos in colligendis copiis, & apparatu faciendo; initio autem quinti anni, cum maximo exercitu moveri coepisse. Nam Susis quidem egressus est initio quinti anni, at ex quo regnum auspicatus fuerat, non ab Aegypto subacta. Ita & *Justinus ex Trogo*, & *Orosius* eum sequutus, inconsulte quinque annos eidem negotio attribuunt. Sed absurdissime *Julianus*, in I. Orat. de laudibus *Constantii*, in apparando bello Xerxem decennium trivisse ait. Accuratior est *Libanius*, qui dicit a Dario & Xerxe simul absumtos esse decem annos, in bello in Graeciam apparando, licet non prorsus recte supputet; quoniam a pugna *Marathonia* ad *Salaminiam*, quae commissa est anno primo Olympiadis LXXV. fere anno peracto, postquam Xerses Susis movit, sunt tantum decem anni elapsi.

L. VII. c. 22. L. II c. 2.

Hinc apparet, *Pythagoram* & *Platonem*, qui antiquiores fuere Osthane, & in itineribus suis cum Magis versati fuerant, eorum disciplinarum intima non penetrasse, vel, quod cautiores essent, quae de iis norant non vulgasse, *nisi ea* immiscendo iis, *quae sibi propria* esse volebant.

*Plinius*, post verba allata, subdit: *hic maxime Osthanes ad rabiem, non aviditatem modo scientiae ejus Graecorum populos egit*. Respicit *Goeticam* Magiam, cujus imperitos fuisse Magos prodiderat scriptor (*a*) libri, qui Μαγικὸς inscriptus fuit. *Minucius Felix* (*b*) honorificentius de eo loquitur, atque eum fuisse *Magorum eloquio & negotio primum, verum Deum merita majestate prosecutum, & Angelos veri Dei assistere novisse*, aliaque similia.

(a) Diog. Laert. Prooem. (b) in Octav.

Ab Osthane, ut diximus eruditio Persarum allata fuit in Graeciam; ideoque eorum nomina, qui ei apud Persas postea addicti fuerunt, ulterius non inquiremus.

CAP.

## CAP. IV.

### *De institutione Magorum.*

Vide in-dicem in voce Magus.

APud Persas, quicunque literas profitebantur, vocabantur *Magi* †. Laertius *in proœmio*: *Philosophiæ rem ipsam à barbaris cœpisse quidam affirmant; esse etenim apud Persas Magos, apud Babylonios & Assyrios Chaldæos, apud Indos Gymnosophistas, apud Celtas seu Gallos Druidas & Semnotheos dictos, ut ait Aristoteles in Magico, & Sotion in vigesimo tertio successionis libro*. Sed cum præcipuum Magorum studium ac munus circa Theologiam & religionis ritus versaretur, *Magus* frequentius dicitur esse *Sacerdos*. Inter Persas, ait *Porphyrius*, *sapientes, qui Numinis contemplationi ac cultui addicti erant, vocabantur Magi; atque hac est vocis, eorum dialecto, significatio*. Apulejus Apol. I. *Persarum lingua Magus est, qui nostra, Sacerdos*. Hesychius: Μάγον, τὸν θεοσεβῆ καὶ θεόλογον καὶ ἱερέα οἱ Πέρσαι λέγουσι: *Magum pium & Theologum & Sacerdotem Persæ vocant*.

De Abst. Lib. IV.

Pag. 32. Ed. Casaub.

A Zoroastre, cum primum instituerentur, ita appellatos quidam existimant. *Suidas*, in voce Zoroastres, ait hunc ἄρξασθαι ὀνόματος Μάγων, *initium dedisse Magorum nomini*. Alii deducunt hoc nomen a *Mog* (*a*), quod Zoroastris proprium nomen fuerit; alii (*b*) *Mie gusch*, hoc est, *brevium aurium*, qualem Zoroastrem fuisse dicunt.

(a) Salmasius de Hellen. p. 168.
(b) Pococ. spec. Arab p. 146.
(c) Elmacin.

Scriptor Historiæ Arabum (*c*) ait, Persarum religionem, ante Zoroastris tempus, in multas divisam sectas, ab eo emendatam fuisse. Idem testatur *Agathias* (*d*) loco allato. *Ammianus Marcellinus* ait a Magis ea, quæ didicerant ab Hystaspe *cum disciplinis præsentiendi futura, per suam quoque progeniem, posteris ætatibus tradi*. *Ex eo*, inquit, *per secula multa ad præsens, una eademque prosapia multitudo creata Deorum cultibus dedicatur*, &c. *Aucti paullatim in amplitudinem gentis solida concesserunt & nomen; villasque inhabitantes, nulla murorum firmitudine communitas, & legibus suis uti permissi, religionis, respectu sunt honorati*, &c. *In hac regione oleum conficitur medicum, quo illitum telum, si emissum lentius laxiore arcu (nam ictu exstinguitur rapido) hæserit usquam, tenaciter cremat; & si aqua voluerit abluere quisquam, æstus excitat acriores incendiorum*, &c.

(d) Sup. C I. XXIII. p. 6.

Regionis Magorum in Perside meminit *Clemens Alexandrinus*, qui & tres mirandos montes in ea memorat. *Solinus* urbem *Passagarda* ad eos pertinuisse auctor est. *Magussæos* eos vocant *Suidas* & *Cedrenus*, atque a popularibus *Magog* dictos fuisse affirmant.

Strom. Lib. VI. p. 632. Cap. LV.

In voce μαγεία.

Tanta erat Magorum apud Persas existimatio, ut *Cicero* neget *Regem Persarum quemquam potuisse esse, qui non ante Magorum disciplinam scientiamque percepisset*; quod ita describit *Plato*: *Anno decimo quarto, puerum suscipiunt hi, quos regios Pædagogos appellant. Ex omnibus Persis, qui optimi habentur, æquales quatuor eliguntur, sapientissimus, justissimus, temperantissimus & fortissimus. Quorum primus docet eum Magiam Zoroastris filii Oromazis, quæ est Deorum cultus; idem tradit instituta regia*. Dion Chrysostomus † ait, *Magos in Regis consilia admissos, eique*

De Divin. Lib. I. c. 41.

Alcibiad I. p. 32. Ed. Ficin. Gen.

† Loc. laud.

*in*

*in iure dicendo assessores fuisse, quippe qui natura rerum essent periti, & nossent, qua ratione Dii essent colendi. Omnia publica negotia,* inquit Agathias, *eorum auctu; & consiliis administrabantur, pramia* Ibid. *& pœnas attribuebant. Dion* alibi testatur, *Cambysem*, expeditione Ægyptiaca suscepta, regni administrationem eis commisisse. *Constantinus Manasses* eosdem *regiorum* In Chron *palatiorum custodes* nuncupat. Denique *Plinius* ait Magicen *in tantum fastigii adolevisse, ut hodieque etiam in magna parte gentium prævaleat, & in oriente Regum Regibus imperet.*

## CAP. V.

### *Secta ac disciplina Magorum.*

EUbulus, qui historiam Mithræ multis voluminibus explicuit, *narrat, apud Persas, tria genera Magorum, quorum primos, qui sint doctissimi & eloquentissimi, excepta farina & olere, nihil amplius in cibo sumere.* Nullo in alio scriptore mentio occurrit trium sectarum inter Magos; sed forte hoc ad diversa eorum studia: qualia etiam apud Chaldæos fuere, referendum, de quibus studiis postea agemus.

Verba sunt Hieron. Lib. 2. cont. Iovin. p. 79 Ed. Gryph.

*Dinon & Aristoteles*, aut potius scriptor τῦ Μαγικῦ a *Diogene Laertio* laudatus, docent Magos exteriore cultu, & auri usu sibi interdixisse, iisque vestem candidam; lectum humum; escam, olus, caseum, & panem simplicem fuisse; arundine pro baculo usos, qua summa præfixum caseum ori applicantes comedisse.

Laert. in Prooem.

Præfectum societatis suę habebant, quem (a) *Sozomenus* vocat μέγαν ἀρχιμάγον *magnum Archimagum.*

a Hist. Ec. Lib. II. c. 13.

Eorum (b) occupatio præcipua fuit cultus Deorum, quibus sacrificia, quasi soli ab iis audirentur, offerebant. De justitia item verba faciebant, iniquumque arbitrabantur atque impium igni sepelire; iustum matri, ac filiæ misceri, ut in vigesimo tertio libro docebat a *Diogene* laudatus *Sotion*.

b La Proo

*Herodotus* auctor est, eos cum ab aliis hominibus, tum a Sacerdotibus Ægyptiis plurimum discrepasse; siquidem hi nullius animantis occisione se polluebant, exceptis iis, quæ Diis mactabant: *Magi* suis ipsorum manibus, excepto homine & cane, quidvis occidebant, imo inter se certabant, quis plures formicas, serpentes, reptilia denique alia, atque volucria plura occiderit. *

Lib. I. 14

* Vide Indicem in voce Magus

## CAP. VI.

### *De doctrina Persarum, ac primum quidem, de eorum Theologia & Physica.*

QUod superest nobis de Persarum doctrina, adeo exiguum & mutilum est, ut haud facile, secundum methodum aliquam, disponi possit. Attamen propter affinitatem, quæ eorum disciplinis cum Chaldaicis fuisse existimatur, eundem ordinem servabimus, in pauculis earum reliquiis colligendis. Primum quæ pertinent ad eorum Theologiam & Physicen; secundo divinationem; tertio cultum Deorum & ritus sacros, ac potissimum magicos; denique omnia eorum Numina describemus.

Persarum Magos, Theologiæ & Physicæ non fuisse imperitos, auctor est *Suidas* (a) iam laudatus. (b) *Laertius* affirmat etiā, eos *de essentia & ge-*

a In v. Μάγ. b II.

*& generatione Deorum* sermones habuisse. *Dion* Chrysostomus *naturarum peritos* fuisse auctor est.

*Zoroastres* Magus, in sacro Persicorum rituum commentario, hæc totidem verbis habet: *Deus est accipitris capite, hic est primus incorruptibilis, aeternus, ingenitus, sine partibus, omnibus aliis dissimillimus, moderator omnis boni, donis non capiendus, bonorum optimus, prudentium prudentissimus, legum, aequitatis, ac justitiæ parens, ipse sui doctor, physicus & perfectus & sapiens, & sacri Physici unicus inventor.*

Plethoad finem oracul.

„ Plutarchus prodidit, Zoroastrem res omnes in tria genera distribuisse; & primæ quidem illarum parti ab eo * Horomazen præfectum esse; hunc autem esse, quem Oracula Patrem vocent; ultimæ * Arimanem, & mediæ Mithram, hunque ab oraculis alteram mentem vocari. Ceterum Horomazen sole quem Persica Κόρον vocant, triplo majorem se effecisse; Mithram autem, qui Horomazen sequitur, duplo maiorem. Quibus omnibus Platonica illa respondent: *omnia sunt circa omnium Regem; ejus gratia sunt omnia, idemque omnium bonorum causa est; Secundus vero circa secunda, tertius circa tertia occupatus est.* Tres autem partes, quas Zoroastres & Plato res omnes diviserunt, sunt hæ: prima quidem æterna: secunda vero tempore cœpit, sed æterna est; tertia demum corruptioni obnoxia est. Hæc ex *Pletho* ex *Plutarcho*, cujus hæc sunt ipsa verba, e libro *de Iside & Osiride.* „

* Vide indicem in hac voce.

* Vide indicem in hac voce.

p. 369.

„ Existimant alii, duos esse Deos contrariis artibus veluti deditos, unum bonorum, alterum malorum opificem. Alii eum, qui est melior, Deum, qui est deterior, Dæmonem vocant; in qua sententia fuit Zoroastres Magus, quem aiunt 5000 annis antiquiorem bello Trojano fuisse. Hic ergo Zoroastres alterum vocabat *Horomazen*, alterum *Arimanium*. Addebat, ex rebus sub sensum cadentibus, illum similem esse luci: hunc vero tenebris & ignorantiæ: medium porro horum esse *Mithram*. Ideoque mediatorem Persæ *Mithram* vocant. Docuit votivas & eucharisticas victimas illi immolandas: huic vero sacra facienda ad avverruncanda mala atque tristia. Herbam enim quandam, *Omomi* dictam; tundentes in mortario Plutonem & tenebras invocant; tum admisto lupi iugulati sanguine, efferunt & abiiciunt in locum, quo radii solares pertingere nequeunt. Nam & stirpium quasdam indicant boni Dei esse, quasdam mali Dæmonis; & animalium alia, ut canes, aves & echinos terrestres bono, aquaticos malo adiudicant. Itaque & beatum eum prædicant, qui plurimos interfecerit. Iidem multa fabulosa de Diis narrant, cujus generis est, quod referam. Horomazen natum aiunt e luce purissima, Arimanium e caligine, eos in bellum inter se gerere; ab Horomaze factos esse sex Deos, primum benevolentiæ, secundum veritatis, tertium æquitatis, reliquos sapientiæ, divitiarum & voluptatis, quæ ex honestis oritur, opifices; ab Arimanio vero procreatos totidem numero, contraria facientes; deinde Horomazen se triplicasse, & a sole tanto se intervallo removisse, quanto a terra sol abest, & cœlum stellis decoravisse, unamque ante

alias tanquam speculatorem ac custodem constituisse Sirium; alios porro viginti quatuor Deos ab eo conditos, & in ovo positos; & a totidem Diis ab Arimanio factis ovum esse perforatum, atque hinc bona malis esse permista; ceterum appetere fatale tempus, quo Arimanium pestem, & famem inducentem ab his necesse est prorsus perdi atque aboleri; terraque æquabili & plana facta, unam vitam, unamque civitatem beatorum hominum universorum, unaque lingua utentium fore. Hactenus *Plutarchus*.

## CAP. VIII.

### *Artes divinandi.*

INter Persicas disciplinas, recensetur ars *divinandi ac prædicendi*; Magos enim ait *Laertius*, περὶ πρόρρησιν ἀσχολεῖσθαι *circa prædictionem occupatos*. *Cicero* addit *eos congregatos fuisse in fana commentandi causa, atque inter se colloquendi*.

De Divin. Lib. I. c. 41.

Hinc *Strabo*, postquam dixit divinos a veteribus majori in pretio esse habitos, ait, tales fuisse *apud Indos Gymnosophistas, apud Persas Magos, & qui Necyomantici, Lecanomantici, & Hydromantici dicuntur*. (*a*) Ælianus *Persicorum Magorum sapientiam, tum alia complexam esse, quæ ipsis scire fas esset, tum etiam vaticinandi scientiam*, auctor est. (*b*) *Lucianus* Magos vocat γένος μαντικὸν καὶ θεοῖς ἀνακείμενον, *genus hominum fatidicum & Diis consecratum*.

Lib. XVI. p. 524. Edit. Genev.

a Var. Hist. Lib. II. c. 17.

b in Macrobiis p. 466. Tom. 2. Ed. Amstel.

Eorum divinationis exemplum, ex interpretatione somnii Cyri petitum, affert *Cicero*; cui alterum, de *Ocho*, addit *Ælianus*. Inter varia divinationis genera, eos divinasse ex notis corporis testatur *Vellejus Paterculus*. Videntur etiam astrologiæ periti fuisse, si vere *Suidas* Persarum Zoroastri quinque *astroscopicorum apotelesmatum libros* adscribit. Consultos quoque eos fuisse de portentorum significatione, liquet ex eo, quod de Xerxe narrat *Valerius Maximus*.

II. c. 23. II.

Lib. II. 19.

Lib. I. cap. 6.

## CAP. VII.

### *De Sacris, seu Magicis ritibus, apud Persas.*

PRæcipua Persicorum Magorum disciplina μαγικὴ vocabatur, a Magis, qui eam profitebantur, atq; a Platone θεῶν θεραπεία *Deorum cultus* definitur. Vocabatur etiam Μαγεία. Circa Deorum cultum, revera occupatos fuisse Magos, ex *Diogene* Laertio cap. V. ostendimus. *Dio Chrysostomus* testatur etiam a Persis vocari Magos, qui sunt cultus Deorum periti, non eo sensu, quo Græci, qui vocis significationem ignorantes, ita eos vocitant, *qui Magiæ Goeticæ periti sunt: cujus* Persarum Magos ignaros fuisse testatur *Laertius*, ex *Aristotelis Magico*, & *Dinonis* Persicorum libro primo.

in Alcib.

In Proœm.

Ad eorum ritus sacros quod attinet, (*a*) *Herodotus* & (*b*) *Strabo* testantur, Persis neque templa, neque aras, neque statuas fuisse; cujus rei ratio est, ut putabat *Herodotus*, quod Persæ non crederent, quemadmodum Græci, Deos esse ἀνθρωποφυέας, hoc est, ἀνθρωπομόρφους, *forma humana*. *Cicero* etiam Xerxem, *auctoribus Magis, inflammasse templa Græciæ* ait, *quod parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum esset & domus*.

a Lib. I. c. 131. b Lib. XV.

De Leg. Lib. II. cap. 10.

Sed cum *Strabo* alibi frequenter tem-

pag. 500.

templorum, altarium & statuarum *, apud Persas meminerit, inde sequitur, aut tempore *Herodoti* nulla adhuc fuisse, & *Strabonem*, ubi ei assentitur, respexisse ad primam institutionem, quam Macedones, illatis Græciæ ritibus, corruperit; aut ab initio varias fuisse sectas apud Persas, quarum aliis fas erat templa, signa, altaria habere, aliis nefas.

*Vide indicem in voce illis

*Herodotus* & *Strabo* addunt, eos sacra fecisse *in locis editis*; & sacrificiorum quidem ritus ita describit *Herodotus*: „ Sacrificaturi neque aras erigunt, neque libamentis utuntur, aut tibiis, aut † coronis (*victimarum capiti impositis*) aut molis; verum ut quisq; sacra facere statuit, in locum mundum victima deducta, Deum invocat, tiaram myrto potissimum coronatus. Illi autem, qui sacrificat, non licet sibi privatim precari bona, sed communiter universis Persis bene precatur, imprimis autem Regi, nam inter omnes Persas ipse etiam, qui sacra facit, comprehenditur. Ubi vero carnem victimæ minutatim conscidit, eamque elixavit, herbam substernit quam mollissimam, maxime trifolium. Huic impositis carnibus Magus astans theogoniam accinit, qualem dicunt esse incantationem. Sine Mago, nullum illis fit legitimum sacrificium. Post breve tempus, qui sacra fecit carnes aufert & in quemcunque usum suadet animus, iis utitur. *Strabo* addit, ubi Magus, qui sacrificio præest, membratim carnes discidit, sua quemque parte accepta abire, nulla parte Diis relicta; τῆς γὰρ ψυχῆς φασι τῆ ἱερεὶυ δεῖσθαι τὸν θεὸν, ἄλλο δὲ οὐδενός, *dicunt enim, Deum nihil velle præter hostiæ * animam*. Quidam, ut fertur, omenti partem igni imponunt.

† Vide Indicem in voce Corona.

Vide Indicem in Theogonia.

* Vide Indicem in Anima hostiæ.

## CAP. IX.

### *Dii Persarum.*

HErodotus & *Strabo* hos recensent Persarum Deos *Jovem*, *solem*, *lunam*, *Venerem*, *ignem*, *terram*, *ventos*, *aquam* Laertius *ignem*, *terram & aquam* duntaxat memorat.

locis laudatis.

*Jovis* nomine *Herodotus & Strabo* ajunt, ab iis intellectum, *circuitum omnem cœli*, τὸν κύκλον πάντα τῆ Οὐρανῆ. * *Agathias* præterea tradit, Jovem ab iis sub nomine *Beli* cultum fuisse, quo Chaldaicam hujus Dei originem prodit.

* Hist. L. II.

Soli, testibus iisdem *Herodoto* & *Strabone*, sacra faciebant, & *Strabo* quidem addit solem ab iis *Mithram* dictum. Hic Persicorum Deorum maximus fuit, ut fatetur *Cyrus* apud *Xenophontem*, ubi per eum jurat. *Hesychius* idem prodidit, & sanctissimum esse jusjurandum Regis *per solem* dicit.

In Oecon. p. 830 Ed. Vvechel.

Eum pingebant facie leonis, Persica veste indutum, tiaram gestantem, utraque manu taurum cornibus tenentem, qui taurus videretur niti se ejus manibus expedire; significabant nimirum, lunam a sole lucem incipere mutuari, ubi ab eo recedit.

*Zoroastres* πρῶτα, ὥς ἔφη Εὔβουλος, αὐτοφυὲς σπήλαιον ἐν τοῖς πλησίον ὄρεσι τῆς Περσίδος, ἀνθηρὸν καὶ πηγὰς ἔχον ἀνιέρωσε &c. *Primum, ut ait Eubulus, nativam speluncam in vicinis Persidis montibus, floridam & fontes habentem consecravit, in honorem omnium opificis & patris Mithræ; quæ spelunca*

Porphyr. de Ant. Nymph.

*imaginem gerebat mundi*, *quem Mithrafecit*, *dum interiora justis distantiis composita symbola praeferrent elementorum & climatum mundi*. Hujus Antri Mithrae alii etiam plurimi meminerunt.

In *Mithriacis sacris*, prout a *Lampridio* (a) appellantur, erat, auctore *Celso*, (b) „ duarum coeli revolutionum significatio, cum ejus qua stellae fixae feruntur, tum ejus, qua planetae, anima etiam per eos transeunte. Tale autem fuit symbolum: scala erat, in qua erant septem ianuae, quarum octava suprema fuit. Prima januarum erat ex plumbo, secunda ex stanno, tertia ex aere, quarta ex ferro, quinta ex metallo misto, sexta ex argento, septima ex auro. Primam faciebant Saturni, plumbo notantes tarditatem ejus sideris; secundam Veneris, comparantes ei stanni splendorem & mollitiem; tertiam Jovis aeream & solidam: quartam Mercurii, est enim laboris patiens & negotiator, & quod Mercurius & ferrum multum laudentur; quintam Martis, propter misturam inaequalem & variam; sextam lunae argenteam; septimam solis auream, colores siderum horum imitati. „

(a) In Commod.

(b) Ap. Origen. L. VI. p. 300. Edit. Cant.

Qui hisce sacris initiabatur, per quosdam κολάσεων *poenarum* gradus transibat, ut testatur *Suidas*. *Nonnus* in 2. *Nazianzeni stelit*. οὐδεὶς δύναται τελεσθῆναι τὰς τοῦ Μίθρου τελετὰς, &c. *nemo potest initiari mysteriis Mithrae, nisi per omnes transierit poenas, & ostenderit se sine affectu, & sanctum. Dicuntur autem esse octoginta poenae, quas gradatim oportet ab initiando peragrari. Qualis est primum, per plures dies multam aquam transnare, dein, se in ignem conjicere, tum, in deserto versari & jejunare, & alia quaedam, donec octoginta, ut diximus, poenas pertransierit. Tandem in intima sacra admittebatur, si viveret*.

In voce Mithra.

De ritibus *lunae* nihil nec uliariter proditum ad nos pervenit.

De sacris *Veneris* ita loquitur *Herodotus*: *Urania quoque sacrificant sic nimirum ab Arabibus, Assyriisque edocti. Vocant autem Assyrii Venerem Mylittam, Arabes eandem Alittam appellant, Persae Mithram*. Ut *Melidtha* syriace *prolificam* significat, quod nomen *Veneri genitrici* optime convenit: ita apud Persas, observante *Raphelengio*, *mater* aut *mader*, idem erat ac *mater*, apud Latinos. Haec forte fuit *mater Deorum*, quam *Cicero* a Persis, Syris, universisque Europae & Asiae Regibus summa religione cultam fuisse auctor est.

*Persae & Magi omnes, verba sunt Iulii Firmici, qui Persiae regionis incolunt fines, ignem praeferunt, & omnibus elementis putant debere praeponi*. *Agathias* etiam, libro saepius laudato, ignis cultum a Chaldaeis ad Persas transiisse ait.

De Error. Prof. Relig.

„ In Cappadocia, observante *Strabone*, ubi maxima est multitudo Magorum, qui Pyrethi vocantur, & multa Persicorum Deorum templa, non cultro, sed stipite quodam mactant; tanquam malleo percutiente. „ Sunt & Pyratheia septa quaedam ingentia, in quorum medio ara est. In ea Magi & cinerem multum, & ignem perennem servant. „ Eo quotidie ingressi incantationem faciunt, per horam ante ignem virgarum fasciculum tenentes, (*quibus inter recitandum carmen ignem suscitabant, ut ostendit*

Sel.

Seldenus *de Diis Syris Synt.* II. cap. 7.) „pileos velati infulis, ex utraque parte pendentibus, adeo, ut vittę labia contegant & malas.„ Hactenus oculatus testis *Strabo*. Pyratheja, sive, ut ea appellat *Suidas*, Pyreja sunt *ignis ille cælitus delapsus apud Magos, sempiternis foculis custoditus*, ut loquitur *Ammianus Marcellinus*. Neque hujusmodi ritibus in solis templis utebantur, sed etiam in speluncis abditis; ubi (ut narrat *Firmicus*) cerimonias plurimas extraordinarias adhibebant, recitabantque inter alia hæc verba:

Μυκήταο βοὸς μυσαὶ
Κύκλα βοοκλοπίης συναείδατε πατρὸς ἀγαυοῦ

*Mystæ mugientis bovis, in circulum redeuntem Booclopien canite patris splendidi*. Neque hic cultus solum ignem respiciebat, sed δι' αὐτὸν οἷα πυροειδῆ ὄντα, *propter eum quæcunque igni sunt similia*, ut docet *Eustathius* ad versum 1057. *Dionysii*. *Strabo Pyropum* ab iis cultum dicit. *Julius Firmicus* ignem ab iis dictum *Mithram* addit; unde, ut etiam ex cultu, quem in speluncis ei exhibebant, manifestum est, aliquando saltem eundem ac solem, summum illorum Numen eis creditum.

Telluri & ventis, quæ sacra facta fuerint, ex veterum monumentis non liquet. Sed aquæ sacra in hunc modum fuere peracta. „Ad lacum, vel flumen, vel fontem venientes scrobem faciebant, ibique hostiam jugulabant, caventes, ne quid proximæ aquæ sanguine tingerentur, quippe quam sic polluissent. Postea carnes myrto, lauroque impositas, Magi gracilibus virgis comburebant, carmen accinentes; oleumque lacte ac melle mistum infundebant, non in ignem, nec in aquam, sed in terram.„ Strabo lib.

Alios Deos pręter memoratos habuerunt Persæ, seu minorum gentium, seu posterioris ævi. Horum meminere Strabo & alii. Nomina sunt *Anaitis*, (Venus) *Amandatus*, *Omanus*, *Sacau*, *Sandes*, & *Nannaa*, quæ *Diana* fuisse dicitur. Atque hæc de Persarum doctrina.

# HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ
## PARS XV.
## SABÆORUM PHILOSOPHIA.
### PROŒMIUM.

Arabia nobilissima Asiæ peninsula, si ita eam vocare liceat, Persico, Indico & Rubro maribus, excepta ea parte, qua est Syriæ conterminа, ambitur. Hęc vicinitas tantum inter gētes finitimas astrinxit commercium, ut Chaldęorum disciplinę per Mesopotamiam, Assyriam, Syriamque late pervagatæ, inde ad vicinos Persas, hinc ad Arabas pertigerint. Eadem vicinitas, nō modo situs, sed religionis & opinionum, forte cur *Plinius* promiscue earum nominibus uteretur, dum magnam Mesopotamię partem *Arabiam* indigitat, & Arabas ipsos *Syrorum* nomine designat, causa fuit. Posteriorum ætatum orientales scriptores, & præsertim Arabes, sub vocabulo τῶν *Chasdim* aut *Chaldanim*, non solum *Babylonios*, sed & *Nabatæos*, *Charananæos* & *Sabæos* complectuntur.

Inter alios *Muhammed Isacides* appellationes, *Chaldanim* & *Nabataa*, synonymas facit. *Achmedus* libro de religione Sabæorum hanc inscriptionem præfixit; *De ritibus Charanaorum, Chaldaorum, Sabaorum nomine vulgo notorum*. Addit *Sabaorum nomine vulgo notorum*, quia sub Sabæis, quippe præcipuis, reliqui, ne exceptis quidem Chaldæis, Mesopotamiæ incolis, continebantur. Neque enim apud orientales, voces *Chaldaa* & *Sabaa* minus promiscue sumuntur, quam vocabula *Syria*, *Arabia* & *Mesopotamia*, apud *Plinium*. Cujus rei *Maimonides*, qui in omnibus scriptis suis eos confundit, hanc profert rationem; quia nempe Chaldæorum doctrina per eas regiones late sparsa, omniumque incolarum eadem erat religio.

Cum autem Arabia soleat dividi in *Petraam*, *Desertam* & *Felicem*, hic non intelligimus Petræam, quæ est ad septentrionem Sabææ sita, & primum ab Ismaele condita; cuius posteritas linguam Sabæam, hoc est Arabicam edocta, nomine *Arabum* indigitabatur, aut magis proprie *Hagarenorum*; quippe qui ab *Hagara* essent oriundi; & *Aarab Mostaarabah*, hoc est, *factitii Arabes*, ex cohabitatione nimirum cum veris Arabibus. Intelligimus Arabas proprie dictos, Desertæ* & Felicis Arabiæ incolas. Horum priores orti sunt ex *Nebaioth* filio Ismaelis, & à *Plinio*, *Strabone* & *Ptolemao* vocantur *Nabatai*; posteriores vero a *Saba*, filio Chusi, qui Chami filius fuit, unde populi illi* *Sabai* dicti sunt, uti regio Sabæa & *nativi Arabes*, ut distinguerentur ab adventitiis Arabiæ Petrææ incolis. *Charanai*, qui una memorantur, sunt cives *Chara*, urbis Arabicæ, cujus nomen occurrit apud *Pomponium Melam*; & quos *Carras* Plinius vocat, qui eos vicinos Sabæorum facit, & a *Charaneis*, Mesopotamiæ distinguit.

* vide indic. in voce *Arabia*

* Vide Indicem in hac voce.

## CAP. I.

### *De auctoribus secta Sabaa.*

De primo opinionum & religionis Sabæorum conditore, non consentiunt inter se scriptores. *Saidus Batricides*, scriptor Arabs, originem eorum cuidam Persæ, nomine *Zaradschath*, æquali *Theracho*, patri Abrahami, tribuit. Zaradschath idem est Zoroastres, unde liquet a *Batricide* intelligi alterum ex duobus viris, quibus id nominis erat; quorum unus inter Chaldæos scientiarum auctor fuit, *alter easdem Persas edocuit. Quamvis eum Persam dicat:* antiquitas, quam ei tribuit, eum potius de Chaldæo voluisse loqui, ostendit.

Alii, eodem *Batricide* prodente, existimarunt, *Tachmuratum* Persarum Regem initium huic religioni dedisse. Is *Tachmurat* videtur idem esse ac *Tachurith*, cui idem tribuit *Elmacinus*, alius Arabum historicus. Hic mentionem injicit alterius Persæ, cui nomen erat *Nazarib*, ad quem etiam religionis Sabææ origo referebatur. Alii rursus, eodem teste, derivabant incunabula Sabæorum a quodam *Javan*, vel *Juvam* filio *BerKlei*, quem volunt fuisse ex urbe *Zaituna* (hoc est, Athenis,) sita in Attica. *Joan. Henr. Hottingerus* pro *BerKlei* legit *Mercolim*, id est, Mercurius, quæ

lectio confirmatur ab Elmacino, eadem narrante. Batricides præterea memorat opinionem quorundam, qui Zabiismum exstructoribus turris Babelis tribuebant. Atque hæc de origine hujus religionis habent Arabes.

Alii Sabæorum conditorem faciunt *Chamum* Noachi filium, qui abdicatus atque expulsus a patre, profugus in ea terrarum parte consedit, quæ nunc Arabia nominatur. *Hac prima fuit gens*, verba sunt Lactantii, *quæ Deum ignoravit, quoniam princeps ejus & conditor cultum Dei a patre non accepit, maledictus ab eo*. *Lactantio* assentiuntur multi, in tribuenda origine idololatriæ Chamo, & filio ejus Chuso Chaldææ conditori, a cujus filio *Saba* Sabæi dicti sunt. Hoc fundamento nixi quidam, antiquiorem & juniorem Zoroastrem eosdem fuisse, ac Chamum & Chusum, probare aggressi sunt.

Lactant. Lib. II. c. 13.

Alii, ut *Joannes Damascenus*, idololatriæ originem *Serugo* attribuunt. *Epiphanius* & *Chronici Alexandrini* scriptor similiter, Serugi temporibus, *Hellenismum* cœpisse affirmant. Hic Hellenismus a nonnullis idem fuisse creditur, ac Sabæa superstitio: ut idem sit, quod Græci patres *Hellenismum*, Rabbini * *Thohou*, & Arabes *Algahéleiton*, *tempus ignorantiæ & paganismi* vocant. Quamvis autem non facile sit quidquam de adeo antiquis, atque obscuris temporibus definire, dubitare non licet, quin superstitiosus cultus ignis & solis, Sabæis attributus, ultimæ sit inter eos antiquitatis; quoniam ejus mentio occurrit apud † *Jobum*, cujus ætas quam proxime ad eorum tempora accessit, apparet ex incursione *Sabæorum* in ejus facultates. C. I, 15. Sic loquitur C. XXXI, 26. *Si vidi solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clare, & latatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, qua est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum*.

* Vide Indicem in hac voce.

† Vide Indic. in voce Jobi.

## CAP. II.

### *De aliis ex Sabæa secta.*

THerachum Abrahami patrem in Zabiismo educatum fuisse conjicere est Jos. XXIV. ubi recensetur inter eos, *qui peregrinos Deos coluerunt*. *Philo* ait, eum Astronomiæ & Mathematicarum disciplinarum peritum fuisse.

De Nobilit.

*Maimonides* diserte asserit notum esse, Abrahamum educatum in fide Zabiorum fuisse, qui negabant ullum præter stellas Deum esse. Certe *Berosus* (a) agnoscit eum τὰ οὐράνια ἔμπειρον, *cœlestium peritum* fuisse, *Eupolemus*, apud *Eusebium*, (b) inventionem *Astrologiæ & Chaldaica* disciplinæ eidem adscribit. Zabii ipsi (c) narrabant, eum, cum doceret alium esse creatorem præter solem, a Chaldæorum Rege bonis spoliatum, & in exilium missum fuisse. Nec absimilia de eo narrat *Josephus*, loco laudato.

More Nevoch. P. III. 29.

a Apud Jos. Ant. l. 8.

b Lib. IX. c. 17

c More Nevoch. P. III c. 29.

Rabbini *Salomon Jarchi*, *Moses Gerundensis*, & *Jacobus Chaiin*, narrant, ejus disceptationes contra idololatriam cum patre *Theracho* & *Nimrodo*, a quo in ignem conjectus, illæsus evasit. *Cedrenus* etiam, cum Abrahamus idola parentis in ignem conjecisset, fratrem ejus *Haranem*, ea eripere flammis nitentem, combustum fuisse ait.

Arabes, qui Rabbinicas fabulas imitantur, iisque somnia inædificant, plenius docent, quid Abrahamo evenerit, postquam a Nimrodo abiisset; ut apparet ex fragmento Muhammedani scriptoris, ex quo, quod ad Sabæos pertinet, huc transferam. „ *Edris*, super quo sit pax, primus fuit, qui post Enochum Sethi, filii Adami, super quo sit pax, scripsit penna. Hoc postea edocuit Edris filios suos, quibus dixit: O filii, scitote vos esse Sabæos, ideoque in juventute vestra legere libros discite. Jam autem Sabæi sunt scriptores, de quibus altus (*Muhammedem intelligit*) dicit (Sur. I.) *Zabii & Nazareni*. Addit Arabs, eos non desiisse possidere inter se libros Sethi & Edris, hæreditario jure, usque ad tempora Noachi & Abrahami, quem Deus tutatus est contra Nimrodum, super quo sit maledictio. Sed eo die, quo Abraham e regione *IraK* egressus est, & ire voluit in Syriam, Majorum suorum patriam, venit in regionem *Charan & Ghezira*, & invenit ibi populum *Zabiorum*, qui legit veteres libros, & credit quæ in iis continentur. Abraham autem dixit: O Deus, neminem puto , præter me & eos, qui mecum sunt, hic fuisse ex fidelibus, qui credunt te esse unum. Deus vero Abrahamo reposuit: o Abraham, terra nunquam destituta est, sed sunt semper nonnulli, qui pro Deo disceptant, & jussit eum vocare eos ad suam religionem, & vocavit; sed illi noluerunt, dicentes: Quomodo tibi credemus, quandoquidem non legis librum? Et Deus immisit eis oblivionem omnium rerum, quas de disciplinis & libris noverant: nam illi existimabant, libros, quibus utebantur, a Deo esse: & quidam eorum credebant, alii fidem negabant. Deinde Zabii fuere divisi, & quidam eorum crediderunt; nempe *Barhamensis*, qui se non segregarunt ab Abraham felicis memoriæ; sed reliqui religionem suam acerrime sequuti sunt; nempe, qui sunt in regione *Charan*, qui cum Abrahamo in Syriam non iverunt & dixerunt: sequimur religionem Sethi, Edris & Noachi. „ Hactenus *Kissaeus*, secundum quem Sabæorum eadem fuit, ac *Charanæorum*, seu Mesopotamiæ incolarum religio. Quod dicit de Abrahamo ad Sabæos misso, id omne ex Rabbinicis traditionibus desumtum est.

Verum apud Arabas ab antiquissimis temporibus, *viros fuisse* doctos & naturalis *Philosophiæ*, Astronomiæ, aliarumque disciplinarum peritos, liquet ex testimoniis majori fide dignis, ac præsertim ex Jobi, amicorumque ejus disceptationibus. De Arabum Philosophis intelligendum etiam, quod de Salomonis sapientia dicitur, quam memoratur *excelluisse præ omnibus filiis Orientis*. *Tacitus*, in descriptione Judææ, eam, *qua ad Orientem vergit*, *Arabia*, *terminari* ait, & a Judæis etiam Arabiam *Orientis* vocabulo insignitam , apparet ex Gen. X, 30. XXV, 6. 18. Job. I, 3. Jud. VI, 3. &c.

*Plinius* in Arabia memorat *Magos*, atque *Hippocum* Arabem Magum nomine appellat. *Ptolemæus* in eadem regione unum Magorum collocat. *Porphyrius* ex *Diogene* , Pythagoram, inter alias regiones,

quas

quas discendi causa lustravit, ivisse quoque in Arabiam, & cum Rege vixisse, narrat.

## CAP. III.

### *Sabæorum scripta.*

SAbæi, ut ex *Kissæo* modo ostendimus, sibi esse libros a *Setho & Edri* conscriptos, imo etiam quosdam ab Adamo exaratos contendebant. Idem enim scriptor, ubi narrare pergit quid Abrahamo, inter Sabæos versanti, evenisset, ait: „ Abrahamum, aperta cista Adami, invenisse in ea ejus libros; item libros Sethi & Edris, & nomina omnium Prophetarum, qui post ipsum Abrahamum erant mittendi; Abrahamum autem dixisse, beatos esse lumbos ejus, ex quo tot Prophetæ erant oriundi, & Deum respondisse, ipsum fore eorum Patrem &c.

Mor. Nev. p. III. c. 19. Ejusdem farinæ *Maimonides* putat fuisse librum *de sanationibus* ab *Ezechiele*, ut ajunt, absconditum. Idem plurimos alios libros, quorum præcipuus inscriptus erat: *De agricultura Nabatæorum*, translatusque ab *Aben Vachaschiiah*, laudat. Plenus fuit idololatricis nugis, agebatque de conficiendis *Tsilmenaiah*, de descensu Spirituum, conjuratione Dæmonum, de iis, qui degunt in deserto, quales erant Satyri; aliisque ejusmodi ineptiis, quibus a se manifesta Mosis miracula confutari posse existimabant.

Alius fuit *de cultura Nabatæorum*, † ex quo *Maimonides* hausit historiam de Abrahamo, quam supra attigimus.

† vide indicem in his vocibus.

Liber *Haistamchus*, *Aristoteli* falso adscriptus.

Liber *Hattelesmaoth* de Talismanibus. Buxtorfius titulum vertit, *de loquentibus imaginibus*, cujus rei rationem jam indicavimus.

Liber *Tamtum*.

Liber *Hasschara*.

Liber *de gradibus cœlestium orbium*, *& figuris in unoquoque gradu ascendentibus*.

Alius liber *de Talismanibus*, Aristoteli etiam attributus.

*Hermæ* adscriptus liber.

Liber *Isaaci Zabii*, ubi religionem suam defendit.

Crassus liber *de ritibus legis Zabiorum*, festis, sacrificiis, precibus, aliisque ad eorum fidem spectantibus. Hi omnes libri, ut docet *Maimonides*, de idololatricis ritibus agebant, erantque in Arabicam linguam translati. Idem tradit, plurimos fuisse alios, & *Joan. Henr. Hottingerus*, penes se fuisse ait librum conscriptum a *Muhammede* Seniore, filio Isaaci, qui aliter dicitur *Abulfara* filius *Abi-Iakub*. Hist. Orient. Lib. I. c. 8.

## CAP. IV.

### *De Diis & ritibus Sabæorum.*

DOctrinam Sabæorum tradidere scriptores iis recentiores, ex quibus Chaldaicam hausimus. Itaque forte hæc descriptio Sabææ Theologiæ, qualis erat posteriori ævo, multum corrupta & dissimilis facta Chaldaicæ, ex qua primum ducta fuerat. Neque est absimile vero, hujus corruptionis descriptiones Rabbinicas, disceptationum æstu, aliquantum ultra veritatem auctas: quod & de Arabibus, Rabbinos sequutis, ex quibus solis quidquid de Sabæis habemus, hausimus, intelligere est. Quidquid id est, prioribus annectendum

ctendum censuimus, ex quibus, quantumvis depravatum, ortum tamen esse fertur.

Mor Neb. p.III.c.2. Sabæi, teste *Maimonide*, existimabant, uti olim Chaldæi, stellas esse Deos, sed solem Deorum summum, quippe qui inferiorem & superiorem orbem regat. Eum & *summum Dominum*, & *Dominum boni* appellitabant. Quod narrabant de Abrahamo, cultum Soli negante, alibi traditum est. Quæ præterea fabularentur de Patriarchis; de Adamo, non primo homine, sed ab aliis genito, qui fuerit Propheta lunæ, & homines ad eam colendam impulerit, deque agricultura scripserit; de Noacho itidem agricola, sed idolis non credente, ac propterea ab iis infamato, in omnibus suis Scriptis; de Setho etiam ab Adamo, circa cultum lunæ, dissentiente; hæc, inquam, omnia apud Maimonidem plenius ea tradentem poterunt legi.

Duplici ritu Deos colebant, quotidiano, & menstruo. Quotidianum ita describit *Ali Sabid Vaheb*: „ Primum diem consecrant Soli, secundum Lunæ, tertium Marti, quartum Mercurio, quintum Jovi, sextum Belthæ Veneri, septimum Saturno. „ Descriptionem menstrui cultus habemus ab *Muhammede filio Isaaci* MS. quem citat *Hottingerus*. Annum inchoabant a mense Nisan, cujus festos habebant tres primos dies, consecratos cultui Divæ *Beltha*, cujus templa celebrabant, victimasque in iis immolabant. Sexto die ejusdem mensis; taurum Deæ suæ Lunæ mactabant, ac sub vesperam eo epulabantur. Octavus dies erat etiam festus, & noctem ejus diei celebrabant, in honorem septem Deorum, offerebantque agnum *Deo Cæco*, hoc est, Marti. Quindecimus dies sacer erat *Sammaeli*, (quo nomine Thalmudici Angelum mortis appellant) celebrabaturque victimis, & oblationibus variis. Vigesimo conveniebant in Cœnobium Charanæorum, dictum *Cadi*, ubi tres tauros immolabant, unum Saturno, alterum *Marti* Cæco Deo, tertium Lunæ. Mactabant præterea novem agnos, septenos septem Diis seu planetis, unum Deo Geniorum, alterum Deo horarum. Hisce holocausta agnorum & gallorum gallinaceorum adjiciebant. Vigesimo octavo die ibant ad templum, quod est erat in civitate *Saba*, ad certam portam, Charanis *Assarah* dictam, & *Hermæ* Deo suo ingentem taurum, ut & septenos agnos septem Diis, unum Deo Dæmonum, alterum Deo horarum mactabant. Festum celebrabant conviviis, sed nullam pecudum partem eo die adolebant.

Secundum mensem *Iiar* inchoabant festa celebritate, quæ in honorem Sammaelis erat, cui offerebantur victimæ. Secundus dies erat consecratus τῷ *Aben Sahm*, eoque una potabant, manibusque tamariscum, aliosque fructus gerebant.

Tertii mensis dies vigesimus tertius sacer erat *Sammaeli*, quem ajebant esse Deum, qui facit, ut sagittæ volent. *Chamar*, seu Sacerdos facit, ut sagitta duodecies ignē concipiat, dum eam ligno fricat, duodecimaque vice subito in solum concidit, lineaque duo fila admovet;

movet; si incendantur, sacrum Deo acceptum, secus si evenerit, contra Deum iratum putant.

Quartus mensis *Thammuz* peculiare habet festum, quod circa medium celebratur mensem, Vocatur festum *Albukal, lugentium mulierum*. Origo hujus festi ita refertur a *Maimonide*, in libro jam laudato: „Cum Pseudopropheta, nomine *Thammuz*, prædicaret cuidam Regi, ut coleret septem stellas, & signa duodecim, jussit Rex eum gravi morte interfici. Nocte vero mortis ejus convenerunt omnes imagines, ab extremis terræ oris in templum Babylonicum, ad imaginem auream magnam Solis, quæ pendebat inter cœlum & terram. Et prostravit se imago illa in medio templo, & omnes imagines circumquaque, & narravit eis, quidquid contigerat Thammuzo. Imagines vero flebant & lamentabantur per totam noctem. Mane autem avolarunt omnes imagines in sua templa, ad extremas terræ oras. Et consuetum est, ait *Maimonides*, quotannis primo die mensis Thammuz (*Junii*, ratione discrepantis Juliani & Judaici anni habita,) lamentari & flere super Thammuz.„ Mulierum Thammuzum lugentium meminit etiam Ezechiel Propheta, C. VIII. 14. Judæosque eos imitatos indicat. Ejusdem mensis dies vigesimus septimus sacer erat Sammaeli, aliisque Diis ac Dæmonibus, novemque agnos τῷ *Hanan* mactabant.

Quinti mensis, quem cum Syris *Ab* vocant, octo primis diebus, mustum in honorem Deorum suorum exprimunt, idque variis nominibus afficiunt. Præterea recens natum infantem Diis suis immolant, eumque in frusta minutatim concidunt. Dein miscent illam carnem similagineę farinæ, croco, spicis tritici, caryophyllis, conficiuntque placentas instar ficuum, quas in novo furno coquunt, dantque populo, ad congregationem Sammaelis pertinenti, per totum annum. Nulla mulier, nec servus, nec servæ filius, nec furiosus, nec Dæmonio obsessus, eas placentas degustat.

Vide in Ind. Infans immolatus.

Ritus sexti mensis, *Elul* dicti, ab eodem scriptore ita describuntur. Per triduum coquunt aquam, qua se abluant, ut sacra facere pure Sammaeli queant; & in aquam hanc conjiciunt tamariscum, ceram, oleas, aromata &c. Dein ante Solis occasum eam calentem corpori suo, quasi amuletum, affundunt. Eodem die, mactant octo agnos, septem Diis & Sammaeli. Una edunt in suis congregationibus, & quisque septem scyphos vini haurit. Ab unoquoque princeps exigit duas drachmas, thesauro suo inferendas. Vigesimo sexto ejus mensis eunt ad montem quendam, celebraturi festum Solis, Saturni, & Veneris; quibus holocautomata octo pullorum gallinaceorum, totidem gallorum & gallinarum, offerunt. Qui preces Fortunæ fundit, gallum, aut pullum arripit, cujus alas duobus funiculis lineis vincit, eorum extrema igni admovet, & Deæ Fortunæ pullum offert. Si prorsus absumatur, exaudita creditur ejus oratio; sed si ignis funiculorum prius exstinguitur, quam consumtus sit pullus, Dominus Fortunæ, preces oblationes, ac sacrificia respuere existimatur. Die vigesimo septimo & vigesimo octavo habent sua mysteria,

ſteria, in quibus ſacra faciunt Sammaeli Domino maximo, & Geniis, a quibus protegi, & defendi, & negotia ſua ſecundari putant.

Septimus menſis, quem Syri & Sabæi vocant *primum Tiſchri*, medius habet ſacrum Manium, ad quos placandos comburunt varios cibos. Emunt omnis generis cibos ac fructus, ſiccos ac virides, quoſcunque in foro inveniunt; quos variis rationibus ſtruunt, atque incendunt noctu, in honorem mortuorum, cum oſſe coxæ Cameli. Igni etiam infundunt miſtum vinum, quod bibant mortui.

Octavo menſe, qui vocatur *poſterior Tiſchri*, incipiunt jejunare vigeſimo primo die; jejuniumque producunt ad 29. qui eſt ſacer Domino Fortunæ.

Nonus menſis, qui *primus Canun* appellatur, Veneri potiſſimum ſacer eſt. Quarto die tentorium erigunt, quod vocant *lectum Beltha*, ornantque foliis, floribus, fructibus &c. Priusquam offerant ſacrificia pecudum aut avium, dicunt: *Hæc ſacrificia Deæ noſtræ Belthæ conſecremus*. Id feſtum per ſeptiduum celebratur, quo multæ pecudes Diis & Deabus mactantur. Trigeſimo die Sacerdos ſedet in alto tribunali, in quod per novem gradus adſcendit. Deinde arreptam virgam e tamariſco ad omnes porrigit aſtantes, eaque unumquemque ter, quinquies, aut ſepties verberat; quo peracto, orationem ad conventum habet; qua populi conſtantiam in ſacris, multitudinem, ſedes, & excellentiam præ cæteris omnibus gentibus effert. Docet etiam, quæ ſit amplitudo imperii ſui, quæve ejus duratio. Tandem e tribunali deſcendit, & convivantur idolothytis. Hoc die etiam Princeps duas drachmas vectigales ab unoquoque accipit.

Decimus menſis, *alter Canun* dictus, videtur peculiariter Lunæ ſacer, nam vigeſimus quartus dies eſt natalis Domini, hoc eſt, Lunæ; quo tempore ſacra facientes octoginta quadrupedes, totidemque aves urunt. Adolent etiam Diis ac Deabus ramos palmarum *in ſumma* parte tenues.

Undecimo menſe *Sijubat*, per ſeptem dies jejunabant, incipientes a nono, quo jejunium Soli *indicebant*. Ab omni re, ex lacte confecta, & vino abſtinebant; nec ullum hoc menſe Numen orabant, præter Sammaelem & Genios.

Menſe duodecimo *Adar*, jejunabant etiam Lunæ, præſertim vigeſimo octavo die, quo *ſacrorum Præſes* unicuique dabat *hordeaceum* panem, in honorem *Martis*: & Princeps duas drachmas, ærario inſerendas, ab unoquoque poſcebat.

## CAP. V.

### *Alii ritus Sabæorum Levitica legi contrarii.*

Maimonides memorat plurimos alios ritus Leviticæ legi contrarios, additque, *multarum legum Moſaicarum rationes & cauſas ſibi innotuiſſe ex cognitione fidei, rituum & cultus Sabæorum* *

Offerebant tantum panem fermentatum, & res dulces, omneſque oblationes melle inungebant, quod interdicitur Levit. II. 11.

Quodam die carnem ſuillam comedere ſolebant, quod vetitum Lev. XI. 7.

Quaſdam pecudes, quas occidere Ju-

Judæis licuit, interficere Sabæi nefas ducebant; exempli gratia *bovem*, quem colebant propter ingentem ejus in agricultura usum. Ab ovibus etiam interficiendis abstinebant.

Nonnulli Sabæorum Dæmonas, sub hircorum forma colebant, propterea que שעירים *schebirim* eos invocabant. Contra, Levitica lege prohibitum fuit sacra facere לשעירים *lischebirim*, h. e. Dæmonibus sub hircina specie apparentibus Lev. XVII. 7.

Licet sanguinem abominarentur, attamen eum comedebant, quod crederent esse Dæmonum cibum, quibus ea ratione arctius conjungebantur, & familiares evadebant, ut Dæmones ad eos venire, & futura prædicere non dedignarentur. Hoc interdicitur Lev. XVII. 10. 23.

Colebant solem orientem, qua de causa Rabbini docent, in *Gemara*, Abrahamum designasse Occidentem, ut eum respiceret Sanctum Sanctorum, cum in monte *Moriia* Deo sacra fecit. De hac idololatria interpretantur Ezech. VIII. 16. ubi Propheta dicit, se vidisse *viginti quinque viros, dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorantes ad ortum solis.*

*Muhammed ben Isaac* eos solitos esse tonderi novacula, & igne inuri, & mulieres etiam nuptas inter eos ita se totondisse ait. Idem in Levitico diserte prohibetur.

Solebant Sabæi liberos suos recens natos per ignem, quem colebant, traducere, eosque, qui ita traducti non essent, vitales futuros negabant.

Habebant obscœnissimam inferendi consuetudinem descriptam a *Maimonide*, * ad quam putat in Levitica prohibitione respici.

Alia id genus ab eodem narrantur, qui tandem observationes hac de re suas claudit hac animadversione; ad leges quod attinet, quarum rationes & utilitas ab ipso ignorabantur, eam ignorationem ortam inde fuisse, quod inter res, quas audivimus, & quas ipsi oculis nostris vidimus, sit magnum discrimen. Propterea, quæ Sabæorum ritibus dixerat, audituque acceperat, aut lectione scriptorum Sabæorum didicerat, non æque certa sibi ac firma esse fatebatur, ac iis, qui ea observari ac celebrari viderent; † præsertim cum eorum opiniones & sectæ ante mille annos intercidissent, nec ipsa earum superessent nomina.

Atque his de Sabæorum dogmatibus, iis quæ de *Chaldaica Philosophia* dicenda habebamus, finem imponimus.

* Ibid. c. 37.

Ibid. c. 49.

† Vide indicem in voce Sabai.

ZORO-

# ZOROASTRIS
# ET DISCIPULORUM EJUS
# ORACULA.

## PROOEMIUM.

PRæcipuæ Chaldaicæ Philosophiæ reliquiæ continentur oraculis, quę sub nomine *Zoroastris* circumferuntur. Non desunt quidem, qui ea quasi supposititia damnent, dicantque (*a*) a Græculo Pseudo-Christiano conficta, (*b*) forte quia sectatores Prodici Hæretici dictitabant, se arcanos *Zoroastris* libros habere. Verum hoc minus videtur probabile, quoniam sparsim apud plurimos scriptores inveniuntur; & quo minus negligantur, vetat summum pretium, in quo apud Platonicos habita sunt Philosophos. Hinc etiam apparet, non esse annumeranda scriptis, quæ *Porphyrius* Gnosticis tribuit, quasi ab iis sub nomine *Zoroastris* edita; quandoquidem hæc, ut testatur, a Platonicis, inter quos *Amelium* memorat, spuria fuisse demonstratum fuerat.

a Th. Beza.

b Clem. Strom. Lib. I. p. 302.

In Vita Plotini.

Quidam Chaldaica esse negant, quia sæpius Græcum stylum redolent; sed sunt tot in iis duræ ac exoticæ loquutiones, ut barbaricam originem satis prodant. Atque ubi vocabula adhibentur Græcæ Philosophiæ propria, idem possumus de iis dicere, quod *Jamblichus* de libris, qui *Hermæ Trismegisti* nomen præferebant; ut hæc nomen *Zoroastris* præfixum habent: ita iisdem *Zoroastris* doctrinam contineri, licet frequenter Græcanico expressa sit stylo, quia ex Chaldaica lingua, a Græcanicæ Philosophiæ peritis, græce translata est.

*Joan. Picus*, Comes *Mirandulanus*, ut genuina esse ostenderet, ajebat, sibi esse ipsum exemplar Chaldaicum, in epistola ad *Marsil. Ficinum*, ubi narrat se vi quadam aliis rebus abductum, & ad Arabica ac Chaldaica studia impulsum, quibusdam libris hisce linguis conscriptis, qui in suas manus inciderant, non casu, ut *putabat, sed divina studiis ipsius favente providentia*. Hi *Chaldaici libri*, quos thesauros potius vocabat, erant oracula *Aben Ezra Zoroastris* & *Melchioris Magorum*, in quibus, quę in Gręcis sunt corrupta & mutila, emendate & plene legebantur. Ajebat etiam sibi esse explicationem eorundem oraculorum, a sapientibus Chaldęis conscriptam, brevem eam quidem & obscuram, sed mysteriis prægnantem. Erat præterea ei liber de Chaldaica Theologia, illustratus copiosa de Chaldæis, Græcis, & Persis dissertatione. Post hujus Comitis mortem, hi libri inventi sunt a *Ficino*; sed ita detriti, ac difficiles erant lectu, ut nihil ex iis elici posset.

Facilius adducemur, ut credamus, hæc oracula ab homine Græcanicæ Philosophiæ perito fuisse trans-

translata, si in animum revocemus, *Berosum* scripta Chaldæorum, de Astronomia & Philosophia, in Græciam intulisse; & a *Juliano*, filio, Chaldæo Philosopho, theurgica oracula, aliaque ejus scientiæ arcana græcis versibus edita fuisse. Sane si hæc, quæ nobis supersunt, partem non constituunt Chaldaicæ doctrinæ, quam græce ediderat *Berosus*; verisimile est, vel ex titulo, hic esse nonnulla ex theurgicis *Juliani* oraculis, quædam enim sub eo nomine a *Proclo* laudantur. Ad ea, quæ dicit sibi fuisse Comes Mirandulanus, quibus adjectus erat commentarius, & dissertatio de Chaldaica Theologia, quod attinet, conjicere quis possit, ex iis quæ habemus *Plethonis* & *Pselli*; qui præter oracula nobis interpretationem & compendium Chaldaicæ Theologiæ exhibent, hausta esse ab eo scriptore, cujus argumentum & methodum similia, sed copiosiora describit *Picus*.

Inscripta porro hæc sunt *oracula*, non forte metaphorice duntaxat, ad horum divinam excellentiam designandam; sed etiam quia oraculi responsa existimabantur. *Stephanus* testatur μαντεῖον ἔχειν αὐτοὺς παρὰ βαρβάροις, ὡς Δελφοὶ παρ' Ἕλλησι, *oraculum habuisse eos, quod apud barbaros fuit ut Delphense apud Græcos*. Hoc inde confirmari potest, quod Platonici reverenter admodum de iis loquuti fuerint; cum *Proclus* in *Timæum* asserat, Assyriam Theologiam a Deo revelatam fuisse. Idem alibi, citato, quasi divino, uno ex hisce oraculis, quod de Ideis agit; inde a Numine Idearum ὑπόστασιν confirmari, Platonicamque doctrinam a Diis ipsis probatam colligit.

De Urb. in voce Χαλδαῖοι.

Quædam ex hisce oraculis, quæ temporis injuriam effugerunt, primum edita sunt Lutetiæ, a *Ludovico Tiletano* anno 1563. cum commentario *Gemisti Plethonis*, & titulo *Magicorum oraculorum Magorum a Zoroastre oriundorum*. Eadem rursus translata in Latinum sermonem, & edita fuere a *Iacobo Marthamo*, cum commentario *Pselli*, ac tandem ab *Opsopæo* Lutetiæ 1607. ad Sibyllinorum oraculorum calcem.

Verum a *Francisco Patricio* multum aucta fuere *ex Proclo*, *Hermia*, *Simplicio*, *Damascio*, *Synesio*, *Olympiodoro*, *Nicephoro & Arnobio*, adeo, ut excreverint, prout numerat, ad CCCXX. versus. Ea præterea, majoris perspicuitatis causa, ad certa capita redacta, & latinitate donata emisit, an. 1593.

Postea latine edita sunt ab *Othone Heurnio* anno 1619. inscriptaque *Sincera oracula Magica Zoroastris Bactrianæ Regis, & Magorum Principis*; sed dum ea nititur stylo expolire, & meliori latinitate induere, quæ genuine ac sincere tradiderat *Patricius*, ea inquinavit ac corrupit. Temere præterea continuam orationem ex hisce fragmentis, inter se nequaquam connexis, & apud varios scriptores sparsis, efficere studuit.

*Patricius* sane non exiguo labore hæc collegit, sed modorum in versibus minorem rationem habuit; imo & interdum verba ipsa negligentius exscripsit. Nec ulla certa via est, qua, quæ omisit, suppleri queant, qualis esset comparatio eorum cum scriptoribus, ex quibus hausta sunt; nam neque omnes exstant, neque ubique, ut tamen

pro-

| | |
|---|---|
| Ἑὴν δύναμιν κατακλείει ἔργοις, ἀλλὰ Νόῳ. | Suam potentiam includit operibus; sed Mente. |
| Σύμβολα γὰρ πατρικὸς Νόος ἔσπειρεν κατὰ κόσμον, | Symbola enim paterna Mens ſevit per mundum: |
| Ὃς τὰ νοητὰ νοεῖ καὶ ἄφρασα καλλωπίζει. | Qui intelligibilia intelligit, & ineffabilia exornat. |
| Ὁλοφυὴς μερισμὸς, καὶ ἀμέριστος. | Integra partitio & impartibilis: |
| Νῷ μὲν κατέχει τὰ νοητὰ, αἴσθησιν δ᾽ ἐπάγει κόσμοις. | Mente quidem continet intelligibilia, ſenſum vero addit mundis. |
| Νῷ μὲν κατέχει τὰ νοητὰ, ψυχὴν δ᾽ ἐπάγει κόσμοις. | Mente quidem continet intelligibilia, animam vero addit mundis. |
| γ΄. Νοῦς, Νοητὰ, καὶ Νοερά. | III. Mens, Intelligibilia & Intellectualia. |
| Dam. Καὶ τοῦ ἑνὸς ΝΟΥ τοῦ νοητοῦ. | ET unius Mentis intelligibilis: |
| Proc. Οὐ γὰρ ἄνευ Νόος ἐστὶ νοητοῦ, οὐ χωρὶς ὑπάρχει | Non enim ſine intelligibili mens eſt, non eſt ſeorſim. |
| Τὰ μὲν ἐστι νοερὰ καὶ νοητὰ, ὅσα νοοῦντα νοεῖται. | Hæc quidem ſunt intelligibilia & intellectualia, quæcunque intelligentia intelliguntur. |
| Τροφὴ δὲ τῷ νοοῦντι τὸ νοητόν. | Intelligenti alimentũ eſt intelligi(bile. |
| Μάνθανε τὸ νοητὸν ἐπεὶ νόου ἔξω ὑπάρχει. | Diſce intelligibile quoniam extra Mentem exiſtit. |
| Καὶ τοῦ Νοῦ ὃς τὸν ἐμπύριον κόσμον ἄγει. | Et Mentis quæ Empyreum mundum (agit. |
| Νοῦ γὰρ Νοῦς ἐστιν ὁ κόσμου τεχνίτης πυρίου. | Mentis enim Mens eſt ignei mundi artiſex. |
| Οἳ τὸν ὑπερκόσμιον πατρικὸν βυθὸν ἴστε νοοῦντες. | Qui ſupermundanum paternum profundum ſcitis intelligentes. |
| Ἡ νοητὴ πάσης τμήσεως ἀρχή. | (eſt. Intelligibilis õnis ſectionis princeps |
| Ἔστι γάρ τι νοητὸν, ὃ χρή σε νοεῖν νόου ἄνθει. | Eſt enim aliquid intelligibile, quod oportet te intelligere flore mentis. |
| Dam. Ἢ γὰρ ἐπεγκλίνῃς, ὡς Νοῦν κἀκεῖνο νοοῦσα, | Si enim inclines ut mentem, & illud intellexeris, |
| Ὥς τι νοῶν οὐ κεῖνο νοήσεις. | (ligis. Ut aliquid intelligens non illud intel- |
| Ἔστι γὰρ ἀλκῆς | Eſt enim roboris. |
| Ἀμφιφαὴς δύναμις νοεραῖς στράπτουσα τομαῖσι. | Circumquaque lucidi potentia intellectualibus fulgens ſectionibus. |
| Οὐ δὴ χρὴ σφοδρότητι νοεῖν τὸ νοητὸν ἐκεῖνο, | Non ſane oportet vehementia intelligere intelligibile illud. |
| Ἀλλὰ νόου ταναοῦ ταναῇ φλογὶ πάντα μετρούσῃ. | Sed mentis ampla flamma, omnia metiente. |
| Πλὴν τὸ νοητὸν ἐκεῖνο. Χρεὼ δὴ τοῦτο νοῆσαι, | Excepto intelligibili illo. Opus eſt ſane hoc intelligere, |
| Ἢ γὰρ ἐπεγκλίνῃς σὸν νοῦν κἀκεῖνο νοήσεις | (illud intelliges Nam ſi inclinaveris mẽtẽ tuã, etiam |
| Οὐκ ἀτενῶς. | Non intente. |
| Ἀλλ᾽ ἁγνὸν ἐπίστροφον ὄμμα φέροντα | (rentem Sed purum, cõverſibilem oculum, fe- |

| | |
|---|---|
| Σῆς ψυχῆς τεῖναι κενεὸν νόον, εἰς τὸ νοητὸν, | *Anima tua, tendere vacuam mentem in intelligibile,* |
| Ὄφρα μάθῃς τὸ νοητόν. | *Ut cognoscas intelligibile.* |
| Ἐπεὶ ἔξω νόου ὑπάρχει. | *Quoniam est extra mentem.* |
| Τὸν δὲ νοεῖ πᾶς νοῦς θεόν, | *Deum hunc intelligit omnis mens.* |
| Οὐ γὰρ ἄνευ νοός ἐστι νοητοῦ, καὶ τὸ νοητὸν | *Nō enī mēs est sine intelligibili, & intelligibile* |
| Οὐ νοῦ χωρὶς ὑπάρχει. | *Seorsim a mente non est.* |
| Τοῖς δὲ πυρὸς νοεροῦ νοεροῖς πρηστῆρσιν ἅπαντα | *Ignis intellectualis intellectualibus Presteribus omnia.* |
| Εἴκαθε δουλεύοντα, Πατρὸς πειθηνίδι βουλῇ. | *Cedunt servientia, Patris persuasorio consilio.* |
| Καὶ τὸ νοεῖν αἰεί τε μένειν ἀόκνῳ στροφάλιγγι. | *Et intelligere, semperque manere impigra vertigine.* |
| Πηγάς τε καὶ ἀρχὰς δινεῖν, αἰεί τε μένειν ἀόκνῳ στροφάλιγγι. | *Fontes & Principia movere, semperq; manere impigra vertigine.* |
| Ἀλλὰ δ' ὄνομα σεμνὸν ἀκοιμήτῳ στροφάλιγγι. | *Sed nomen venerandum insomni vertigini.* |
| Κόσμοις ἐνθρώσκον, κραιπνὴν διὰ Πατρὸς ἐνιπήν. | *Mundus insiliens celeres ob minas Patris.* |
| Ὑπὸ δύο νόων ἡ ζωογόνος πηγὴ περιέχεται ψυχῶν. | *Sub duabus mentibus vivigenius fons continetur animarum.* |
| Καὶ ὁ ποιητὴς, ὃς αὐτουργῶν τεκτήνατο τὸν κόσμον. | *Et opifex, qui ipse agens mundum fabricatus est.* |
| Ὃς ἐκ Νοῦ ἔκθορε πρῶτος. | *Qui ex Mente exsilivit primus.* |
| Ἑσσάμενος πυρὶ πῦρ, συνδέσμιον ὄφρα κεράσῃ | *Indutus igne ignem, vinculorum ut temperet* |
| Πηγαίους κρατῆρας, ἑοῦ πυρὸς ἄνθος ἐπίσχων. | *Fontanos crateres, sui ignis florem cohibens.* |
| Νοεραῖς ἀστράπτει τομαῖς, ἔρωτος δ' ἐνέπλησε τὰ πάντα. | *Intellectualibus fulget sectionibus, amore vero implevit omnia.* |
| Τὰ ἀτύπωτα τυποῦσθαι. | *Insigurata figurari.* |
| Σμήνεσσιν ἐοικυῖαι φέρονται, ῥηγνύμεναι | *Examinibus similes feruntur, perrumpentes* |
| Κόσμου περὶ σώμασι. | *Per mundi corpora.* |
| Ἃ Νοῦς λέγει, τῷ νοεῖν δήπου λέγει. | *Quæ Mens dicit, intelligendo sane dicit.* |
| Ἡ μὲν γὰρ Δύναμις σὺν ἐκείνοις, Νοῦς δ' ἀπ' ἐκείνου. | *Potentia quidem cum illis, Mens vero ab illo.* |

## δ΄. Ἴυγγες, Ἰδέαι, Ἀρχαί. — IV. Iynges, Ideæ, Principia.

| | |
|---|---|
| Πολλαὶ μὲν αἵδε ἐπεμβαίνουσι φαεινοῖς κόσμοις | *Multa quidem hæ scandunt lucidos mundos* |
| Ἐνθρώσκουσαι καὶ ἐν αἷς ἀκρότητες ἔασι τρεῖς. | *Insilientes, & in quibus summitates sunt tres.* |
| Ὑπόκειται αὐταῖς ἀρχικὸς αὐλών. | *Subiectum illis est principale pratum.* |

| | |
|---|---|
| Ἀρχαὶ αἱ Πατρὸς ἔργα νοήσασαι νοητά. | *Principia, quæ intelligunt Patris opera intelligibilia.* |
| Αἰσθητοῖς ἔργοις καὶ σώμασιν ἀμπεκάλυψεν. | *Sensilibus operibus & corporibus circumdedit.* |
| Διαπόρθμιοι ἑστῶτες φάναι τῷ Πατρὶ καὶ τῇ ὕλῃ. | *Transvectrices stantes dicere Patri & materiæ.* |
| Καὶ τὰ ἐμφανῆ μιμήματα τῶν ἀφανῶν ἐργαζόμεναι. | *Et manifesta imitamina non apparentium facientes.* |
| Καὶ τ' ἀφανῆ εἰς τὴν ἐμφανῆ κοσμοποιΐαν ἐγγράφοντες. | *Et latentia in manifestam mundi generationem inscribentes,* |
| Νοῦς Πατρὸς ἐρροίζησε νοήσας ἀκμᾶτι βουλᾷ | *Mens Patris striduit, intelligens, indefesso consilio,* |
| Παμμόρφους ἰδέας, πηγῆς δ' ἀπὸ μιᾶς ἀποπτᾶσαι | *Omniformes ideas, fonte vero ab uno evolantes* |
| Ἐξέθορον· πατρόθεν γὰρ ἔην βουλή τε τέλος τε. | *Exsilierunt; a Patre enim erat & consilium & finis.* |
| Δι' ὧν συνάπτεται τῷ Πατρὶ, ἄλλην κατ' ἄλλην | *Per quæ conjunguntur Patri, per aliam atque aliam* |
| Ζωὴν ἀπὸ μεριζομένων ὀχετῶν. | *Vitam, a divisis canalibus.* |
| Ἀλλ' ἐμερίσθησαν, νοερῷ πυρὶ μοιρηθεῖσαι, | *Sed divisæ sunt, intellectuali igne sorte nactæ,* |
| Εἰς ἄλλας νοερὰς, κόσμῳ γὰρ ἄναξ πολυμόρφῳ | *In alias intellectuales; mundo enim Rex multiformi* |
| Προὔθηκεν νοερὸν τύπον ἄφθιτον, οὐ κατὰ κόσμον. | *Proposuit intellectualem typum incorruptibilem, non ordine* |
| Ἴχνος ἐπειγόμενος μορφῆς καθ' ὁ κόσμος ἐφάνθη, | *Vestigium properans formæ, prout mundus apparuit* |
| Παντοίαις ἰδέαις κεχαρισμένος, ὧν μία πηγὴ, | *Omnigenis ideis donatus, quarum unus fons,* |
| Ἐξ ἧς ῥοιζοῦνται μεμερισμέναι ἄλλαι, | *Ex quo strident divisæ aliæ,* |
| Ἄπλατοι, ῥηγνύμεναι, κόσμου περὶ σώμασι. | *Immensæ, perrumpentes circa mundi corpora.* |
| Αἳ περὶ κόλπους σμερδαλέους, σμήνεσσιν ἐοικυῖαι, | *Quæ per terribiles sinus, examinibus similes.* |
| Φορέονται τραπεῖσαι, περὶ δ' ἀμφὶ ἄλλυδις ἄλλῃ | *Feruntur conversæ, circumquaque autem alibi alia,* (fonte, |
| Ἔννοιαι νοεραὶ πηγῆς πατρικῆς ἄπο, | *Conceptiones intellectuales a paterno* |
| Πολὺ δραττόμεναι πυρὸς ἄνθος | *Multum decerpentes ignis florē* (ideæ |
| Ἀκοιμήτου Χρόνου. ἀκμὴ ἀρχεγόνου ἰδέας | *Insomnis tēporis. Vigor principigeniæ* |
| Πρώτη Πατρὸς ἔβλυσε, τῆς δὲ αὐτοθαλὴς πηγή. | *Primus Patris scaturiit; hujus autem per se florens fons.* |
| Νοούμεναι Ἴυγγες πατρόθεν νοοῦσι καὶ αὐταὶ | *Intellectæ ideæ a Patre intelligunt & ipsæ,* |
| Βουλαῖς ἀφθέγκτοισι κινούμεναι ὥστε νοῆσαι. | *Consiliis ineffabilibus motæ ut intelligentes.* |

V. He-

| | |
|---|---|
| Ε'. Ἑκάτη, Συνοχεῖς καὶ Τελετάρχαι. | V. Hecate, Synoches & Teletarchæ. |
| Ἐκ αὐτοῦ γὰρ πάντες ἐκθρώσκουσι Ἀμείλικτοί τε κεραυνοί καὶ πρηστηροδόχοι κόλποι | *Ex ipso enim omnia exsiliunt. Implacabilia fulmina, & presterum capaces sinus* |
| Παμφεγγοῦς ἀλκῆς πατρογενοῦς Ἑκάτης. | *Lucidi vigoris patrogenia Hecates.* |
| Καὶ ὑπεζωκὸς πυρὸς ἄνθος, ἠδὲ κραταιὸν | *Et Hypezocus* (succinctus) *ignis flos, & fortis* |
| Πνεῦμα πόλων πυρίων ἐπέκεινα. | *Spiritus Polos trans igneos.* |
| Φρουρεῖν αὖ πρηστῆρσιν ἑοῖς ἀκρότητας ἔδωκεν, | *Custodiendas presteribus suis summitates dedit.* |
| Ἐγκεράσας ἀλκῆς ἴδιον μένος ἐν Συνοχεῦσιν. | *Immiscens vigoris propriam vim in Synochibus.* |
| Ὅπως ἔχῃ κόσμος νοεροὺς Ἀνοχῆας ἀκαμπεῖς. | *Quo mundus habeat intellectuales sustentatores inflexos.* |
| Ὅτι ἐργάτις, ὅτι ἐκδότις ἐστὶ πυρὸς ζωηφόρου. | *Quia operatrix, quia largitrix est ignis vitam.* |
| Ὅτι καὶ ζωογόνον πληροῖ τῆς Ἑκάτης κόλπον. | *Quia vitam ferentem implet Hecata sinum,* |
| Καὶ ἐπιρρέει τοῖς Συνοχεῦσι ἀλκὴν ζείδωρον πυρὸς | *Et influit Synochibus vigorem, qui vitam dat, ignis* |
| Μέγα δυναμένοιο. | *Magna* efficere *valentis.* |
| Ἀλλὰ καὶ φρουροὶ τῶν ἔργων εἰσὶ τοῦ Πατρός. | *Sed & custodes operum sunt Patris,* |
| Ἀφομοιοῖ γὰρ ἑαυτὸν, ἐκεῖνος ἐπειγόμενος | *Assimilat enim seipsum, ille urgens* |
| Τὸν τύπον περιβάλλεσθαι τῶν εἰδώλων. | *Formam induere idolorum.* |
| Οἱ Τελετάρχαι συνειλήπται τοῖς Συνοχεῦσι. | *Teletarchæ comprehensi sunt cum Synochibus.* |
| Τοῖς δὲ πυρὸς νοεροῦ νοεροῖς πρηστῆρσιν ἅπαντα | *His ignis intellectualis intellectualibus presteribus omnia* |
| Εἴκαθε δουλεύοντα | *Cedunt servientia.* |
| Ἀλλὰ καὶ ὑλαίοις ὅσα δουλεύει Συνοχεῦσι. | *Sed & quæcunque materialibus serviunt Synochibus.* |
| Ἑσσαμένη πάντευχον ἀλκὴν φωτὸς κελάδοντος. | *Induti armatum vigorem luminis resonantis.* |
| Ἀλκῇ τριγλώχινι νόον, ψυχήν θ' ὁπλίσαντα. | *Vigore trisulco mentem, animamque armantem.* |
| Παντοῖον σύνθημα βάλλειν φρενί. | *Varium Synthema iniicere animo.* |
| Μηδ' ἐπιφοιτᾷν ἐμπυρίοις σποράδην ὀχετοῖς, | *Neque supervenire empyreis canalibus sparsim,* |
| Ἀλλὰ στιβαρηδόν. | *Sed collectim.* |
| Οἱ δὲ τὰ ἄτομα καὶ αἰσθητὰ δημιουργοῦσι, | *Hi vero individua & sensibilia efficiunt,* |
| Καὶ σωματοειδῆ καὶ κατατεταγμένα εἰς ὕλην. | *Et forma corporea & depressa in materiam.* |

| ϛ. Ψυχὴ, Φύσις. | VI. Anima, Natura. |
|---|---|
| Ὅτι ψυχὴ πῦρ δυνάμει Πατρὸς φαεινὸν, | Quod mens existens ignis splendens, vi Patris (est. |
| Ἀθάνατός τε μένει καὶ ζωῆς δεσπότις ἐστί. | Immortalis manet & vitæ domina |
| Καὶ ἴσχει κόσμου πολλὰ πληρώματα κόλπων. | Et tenet mundi multas plenitudines sinuum. |
| Νοῦ γὰρ μίμημα πέλει, τὸ δὲ τεχθὲν ἔχει τι σώματος, | Mentis enim imitamen est, fabricatum vero habet quid corporis. |
| Μιγνυμένων δ' ὀχετῶν πυρὸς ἀφθίτου ἔργα τελοῦσα, | Mistis vero canalibus ignis incorruptibilis opera efficiens, |
| Μετὰ δὲ πατρικὰς διανοίας, ψυχὴ, ἐγὼ ναίω. | Post vero paternas conceptiones, anima, ego habito, (enim |
| Θερμὴ, ψυχοῦσα τὰ πάντα, κατέθετο γὰρ | Calida, animans omnia, reposuit |
| Νοῦν μὲν ἐνὶ ψυχῇ, ψυχὴν δ' ἐνὶ σώματι ἀργῷ | Mentem in anima, animam vero in corpore inerti. |
| Ἡμέων ἐγκατέθηκε Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. | Nostrum imposuit Pater hominumque, Deorumque. |
| Ἄδδην ἐμψυχοῦσα φάος, πῦρ, αἰθέρα, κόσμους. | Affatim animans lucem, ignem, æthera, mundos, |
| Συνυφίσταται γὰρ τὰ φυσικὰ ἔργα τῷ νοερῷ φέγγει | Coexsistunt enim naturalia opera intellectuali splendori |
| Τοῦ Πατρός. Ψυχὴ γὰρ ἡ κοσμήσασα τὸν μέγαν | Patris. Anima enim est, quæ exornavit magnum (tre. |
| Οὐρανὸν, καὶ κοσμοῦσα μετὰ τοῦ Πατρός. | Cælum, & quæ ornat simul cum Pa- |
| Κέρατα δὲ καὶ αὐτῆς ἐστήρικται ἄνω. | Cornua & ipsius firmata sunt sursum |
| Νώτοις δ' ἀμφὶ θεᾶς φύσις ἄπλετος ἠώρηται. | Humeros vero circum natura immensa Dea attollitur. |
| Ἄρχει δ' αὖ φύσις ἀκαμάτη κόσμων τε καὶ ἔργων, | Præest natura indefessa mundis & operibus, |
| Οὐρανὸς ὄφρα θέει δρόμον ἀΐδιον κατασύρων, | Cælum ut currat cursum æternum trahens, |
| Καὶ ταχὺς ἠέλιος περὶ κέντρον ὅπως ἐθὰς ἔλθῃ. | Et celer Sol circa centrum ut assuetus veniat. |
| Μὴ φύσιν ἐμβλέψῃς, εἱμαρμένον ὄνομα τῆσδε. | Ne inspicias naturam, fatale ejus nomen est. |

| ζ. Κόσμος. | VII. Mundus. |
|---|---|
| Ὁ ποιητὴς ὃς αὐτουργῶν τεκτήνατο κόσμον, | Opifex qui per se operans fabricatus est mundum |
| Καί τις πυρὸς ὄγκος ἦν ἕτερος. Τάδε πάντα | Etiam altera quadam moles ignis erat. Hæc omnia |
| Αὐτουργῶν, ἵνα σῶμα τὸ κοσμικὸν ἐκτολυπευθῇ. | Per se efficiens, ut corpus mundanum absolveretur, |
| Κόσμος ἵν' ἔκδηλος, καὶ μὴ φαίνηται ὑμενώδης. | Mundus ut manifestus fiat, nec videatur membranaceus, |

Totum

| | |
|---|---|
| Τὸν ὅλον κόσμον ἐκ πυρὸς, καὶ ὕδατος, καὶ γῆς. | *Totum mundum ex igne & aqua & terra* |
| Καὶ παντοτρόφου αἰθέρος. | *Et omni-alente aere.* |
| Τ' ἄρρητα καὶ τὰ ῥητὰ συνθέματα τοῦ κόσμου. | *Arcana & ea quæ proferuntur mundi Synthemata.* |
| Ἄλλην κατ' ἄλλην ζωὴν, ἀπὸ μεριζομένων ὀχετῶν | *Aliam juxta aliam vitam ex divisis canalibus.* |
| Ἄνωθεν διήκοντος ἐπὶ τὸ κατ' ἄντικρυ | *Desuper permeantis in oppositum* |
| Διὰ τοῦ κέντρου τῆς γῆς, καὶ πέμπτον μέσον, ἄλλον | *Per centrum terræ & quintum medium, alium* |
| Πυρίοχον, ἔνθα κάτεισι μέχρις ὑλαίων ὀχετῶν | *Igneum, ubi descendit usque ad materiales canales* |
| Ζωοφόρον πῦρ. | *Vitam ferens ignis.* |
| Κέντρῳ ἐπισπέρχων ἑαυτὸν φωτὸς κελάδοντος. | *Stimulo incitans seipsum lumine resonante.* |
| Πηγαῖον ἄλλον ὃς τὸν ἐμπύριον κόσμον ἄγει. | *Fontanum alium, qui empyreum mundum agit.* |
| Κέντρον ἀφ' οὗ πᾶσαι μέχρις ἂν τυχὸν ἴσαι ἔασι. | *Centrum a quo omnes, usque quo forte æquales fuerint.* |
| Σύμβολα γὰρ πατρικὸς Νόος ἔσπειρεν κατὰ κόσμον. | *Symbola enim paterna Mens seminavit per mundum.* |
| Μέσον τῶν πατέρων ἑκάτης κέντρον φορεῖται. | *Medium inter Patres cujusque centrum fertur.* |
| Νοῦ γὰρ μίμημα πέλει, τὸ δὲ τεχθὲν ἔχει τι σώματος. | *Mentis enim imitamen est; quod vero fabrefactum habet aliquid corporis.* |

## ή Οὐρανός. VIII. Cœlum.

| | |
|---|---|
| ΕΠτὰ γὰρ ἐξώγκωσε Πατὴρ στερεώματα κόσμων. | *SEptem enim in moles firmavit Pater firmamenta mundorum.* |
| Τὸν οὐρανὸν κυρτῷ σχήματι περικλείσας. | *Cœlum rotunda figura circumcludens.* |
| Πῆξε δὲ πολὺν ὅμιλον ἀσέρων ἀπλανῶν, | *Finxit multum cœtum astrorum non errantium.* |
| Ζώων δὲ πλανωμένων ὑφέστηκεν ἑπτάδα. | *Animalium vero errantium constituit septenarium numerum.* |
| Γῆν δὲ ἐν μέσῳ τιθεὶς, ὕδωρ δ' ἐν γαίας κόλποις, | *Terram in medio ponens, aquam vero in telluris finibus,* |
| Ἠέρα δ' ἄνωθεν τέτων. | *Atque aerem supra hæc.* |
| Πῆξε δὲ καὶ πολὺν ὅμιλον ἀσέρων ἀπλανῶν, | *Finxit multum cœtum astrorum non errantium.* |
| Μὴ τάσει ἐπιπόνῳ πονηρᾷ. | *Non tensione laboriosa mala.* |
| Πήξει δὲ πλάνην οὐκ ἐχούσῃ φέρεσθαι. | *Sed fixione errorē non habente, ut feratur.* |
| Ἔπηξε δὲ καὶ πολὺν ὅμιλον ἀσέρων ἀπλανῶν, | *Finxitque multum cœtum astrorum non errantium,* |
| Τὸ πῦρ πρὸς τὸ πῦρ ἀναγκάσας. | *Ignem ad ignem cogens,* |
| Πῆξει πλάνην οὐκ ἐχούσῃ φέρεσθαι. | *Fixione errorem non habente, ut feratur,* |

Ἓξ αὐτὰς ὑπέστησεν, ἑβδόμην ἡλίου
Μεσεμβολήσας πῦρ.

*Sex eas constituit, septimam solis*
*Medium jaculans ignem.*

Τὸ ἄτακτον αὐτῶν εὐτάκτοις ἀναρτήσας ζώναις.

*Quod inordinatum in eis bene ordinatis suspendens Zonis.*

Τίκτει γὰρ ἡ θεὰ, ἠέλιόν τε μέγαν καὶ λαμπρὰν σελήνην.

*Parit enim Dea solem magnum & splendidam lunam.*

Αἰθὴρ, ἥλιε, πνεῦμα σελήνης, ἀέρος ἀγοί,
Ἡλιακῶν τε κύκλων, καὶ μηναίων κατὰ ῥοιζῶν,
Κόλπων τε ἀερίων.

*Aether, sol, spiritus lunæ, aeris ductores,*
*Solariumque circulorum & lunarium strepituum,*
*Sinuumque aereorum.*

Αἴθρης μέλος, ἠελίου τε καὶ μήνης ὀχετῶν, ἠδὲ ἀέρος.

*Aetheris cantus, solisque & lunæ canalium & aeris.*

Καὶ πλατὺς ἀὴρ, μηναῖός τε δρόμος, καὶ πόλος ἠελίοιο.

*Et latus aer lunarisque cursus, & polus solis*

Συλλέγει αὐτὸ λαμβάνουσα αἴθρης μέλος,
Ἡλίου τε, Σελήνης τε καὶ ὅσα ἀέρι συνέχονται.

*Colligit illud, accipiens aetheris can- (tum,*
*Solisque, lunæque & quæcunque aere continentur.*

Πῦρ πυρὸς ἐξοχέτευμα, καὶ πυρὸς ταμίας.

*Ignis derivatio ignis, & ignis pen.*

Χαῖται γὰρ εἰς ὀξὺ πεφρικότι φωτὶ φαίνονται,

*Crines enim in acutum nato lumini conspiciuntur,*

Ἔνθα Κρόνος.

*Ubi Saturnus.*

Ἥλιος πάρεδρος ἐποπτεύων πόλον ἁγνόν.

*Sol assessor intuens polum purum.*

Αἰθέριός τε δρόμος, καὶ μήνης ἄπλετος ὁρμὴ,
Ἠέριοί τε ῥοαί.

*Aethereusque cursus & lunæ ingens impetus,*
*Aethereique fluxus.*

Ἠέλιόν τε μέγαν καὶ λαμπρὰν σελήνην.

*Magnumque solem & splendidam lunam.*

## θ. Χρόνος. — IX. Tempus.

Θεὸν ἐγκόσμιον, αἰώνιον, ἀπείρονα,
Νέον καὶ πρεσβύτην, ἑλικοειδῆ,
Καὶ πηγαῖον ἄλλον, ὃς τὸν ἐμπύριον κόσμον ἄγει.

*Deum qui est in mundo, æternum, infinitum,*
*Juvenem & senem, spiræ similem,*
*Et fontanum alium, qui empyreum mundum agit.*

## ι. Ψυχὴ, Σῶμα, Ἄνθρωπος. — X. Anima, Corpus, Homo.

Χρή σε σπεύδειν τὸ φάος καὶ Πατρὸς αὐγάς,
Ἔνθεν ἐπέμφθη σοι ψυχὴ, πολὺν ἑσσαμένη νοῦν.

*Oportet te festinare ad lucem & Patris radios,*
*Unde missa est tibi anima multam induta mentem,*

Ταῦτα Πατὴρ ἐνόησε, βροτὸς δέ οἱ ἐψύχωτο.

*Hæc Pater cogitavit, mortalisque ei animatus.*

Σύμβολα γὰρ πατρικὸς νόος ἔσπειρε ψυχαῖς.

*Symbola enim paterna Mens seminavit in animabus,*

Ἔρωτι βαθεῖ ἀναπλήσας τὴν ψυχήν.

*Amore profundo replens animam.*

Rqu-

| | |
|---|---|
| Κατέθετο γὰρ νοῦν ἐν ψυχῇ, ἐν σώματι δέ | Reposuit enim mentem in anima, in corpore vero |
| Ὑμέας ἐγκατέθηκε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. | Vos deposuit Pater hominumque & Deorum. |
| Ἀσώματα μὲν ἐστι τὰ θεῖα πάντα, | Incorporea quidem sunt divina omnia, |
| Σώματα δ' ἐν αὐτοῖς ὑμῶν ἕνεκεν ἐνδέδεται, | Corpora vero in illis vestri causa sunt alligata, |
| Μὴ δυναμένων κατασχεῖν ἀσωμάτους τῶν σωμάτων, | Cum non possent corpora continere incorporeos, |
| Διὰ τὴν σωματικὴν, εἰς ἣν ἐνεκεντρίσθητε φύσιν. | Ob corpoream, in quam concentrati estis, naturam. |
| Ἐν δὲ θεῷ κεῖνται πυρσοὶ ἕλκουσαι ἀκμαίους. | In Deo iacent faces trahentes validas. |
| Ἐκ πατρόθεν κατιόντες, ἀφ' ὧν ψυχὴ κατιόντων | A Patre descendentes, a quibus descendentibus anima |
| Ἐμπυρίου δρέπεται καρπῶν ψυχότροφον ἄνθος, | Carpit empyrei fructus florem animas alentem. |
| Διὸ καὶ νοήσασαι τὰ ἔργα τοῦ Πατρὸς | Ideoque concipientes opera Patris. |
| Μοίρης εἱμαρμένης τὸ πτερὸν φεύγουσιν ἀναιδές. | Parca fatalis alam impudentem fugiunt. |
| Κἂν γὰρ τήνδε ψυχὴν ἴδῃς ἀποκαταστᾶσαν | Quamvis enim hanc animam videris restitutam, |
| Ἀλλ' ἄλλην ἐνίησι Πατὴρ ἐναρίθμιον εἶναι. | At aliam immittit Pater, ut numerum expleat, |
| Ἦ μάλα δὴ κεῖναι δὲ μακάρταται ἔξοχα πασέων | Certe illa beatissima pra omnibus |
| Ψυχάων ποτὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προχέονται. | Animabus, ad terram e cælo effunduntur. |
| Κεῖναι ὄλβιαί τε, καὶ ἄφατα νήματ' ἔχουσαι, | Illa & beata & ineffabilia stamina habentes, |
| Ὅσσαι ἀπ' αἰγλήεντος, ἄναξ, σέθεν ἠδὲ καὶ αὐτοῦ | Quacunque a lucente, o Rex, te, vel etiam ipso |
| Ἐκ Διὸς ἐξεγένοντο, Μίτου κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης. | Jove sunt progenita, Mithi valida a necessitate, |
| Ἠγείσθω ψυχῆς βάθος ἄμβροτον, ὄμματα δ' ἄρδην | Profunditas anima immortalis ducatur, oculos vero penitus |
| Πάντα ἐκπέτασον ἄνω. | Omnes extende sursum. |
| Μηδὲ κάτω νεύσῃς εἰς τὸν μελαναυγέα κόσμον | Nec deorsum pronus sis in nigricantem mundum, |
| Ὧι βυθὸς αἰὲν ἄπιστος ὑπέστρωταί τε καὶ Ἅδης | Cui profunditas semper infida substrata est & Hades. |
| Ἀμφινεφὴς, ῥυπόων, εἰδωλοχαρὴς, ἀνόητος, | Circumquaque nubilus squallidus, idolis gaudens, amens. |
| Κρημνώδης σκολιὸς, πηρὸν βάθος, αἰὲν ἑλίσσων, | Praceps, tortuosus, cæcum profundum, semper convolvens, |
| Αἰεὶ νυμφεύων ἀφανὲς δέμας, ἀργὸν, ἄπνευμον. | Semper tegens obscurum corpus, iners, & spiritu carens. |

Et

| | |
|---|---|
| Καὶ ὁ μισόφαινὴς κόσμος ϗ τὰ σκολιὰ ῥεῖθρα, | *Et osor lucis mundus & tortuosa fluenta,* |
| Ὑφ' ὧν πολλοὶ κατασύρονται. | *Sub qua multi trahuntur.* |
| Ζήτησον παράδεισον. | *Quære Paradisum.* |
| Δίζεο σὺ ψυχῆς ὀχετὸν, ὅθεν, ἢ τίνι τάξει | *Quære tu animæ canalem, unde aut quo ordine* |
| Σώματι θητεύσας, ἐπὶ τάξιν ἀφ' ἧς ἐῤῥύης. | *Servus factus corporis, in ordinem a quo effluxisti* |
| Αὖθις ἀναστήσεις, ἱερῷ λόγῳ ἔργον ἑνώσας. | *Iterum resurgas, sacro sermoni opus uniens.* |
| Μήτε κάτω νεύσεις, κρημνὸς κατὰ γῆς ὑπόκειται, | *Neque deorsum sis pronus, precipitium terræ subiacet,* |
| Ἑπταπόρυ σύρων κατὰ βαθμίδος, ἣν ὑπὸ δεινῆς | *Septemviam trahens per descensum, sub quo gravis* |
| Ἀνάγκης θρόνος ἐςί. | *Necessitatis thronus est.* |
| Μὴ σὺ αὔξανε τὴν εἱμαρμένην. | *Ne tu auge fatum.* |
| Ψυχὴ ἡ μερόπων θεὸν ἄγξει πῶς ἐς ἑαυτὴν, | *Anima mortalium Deum coget quodammodo in seipsam,* |
| Οὐδὲν θνητὸν ἔχυσα, ὅλη θεόθεν μεμέθυσαι. | *Nihil mortale habens, tota divinitus inebriata est* |
| Ἁρμονίῃ αὐχεῖ γὰρ, ὑφ' ἧ πέλε σῶμα βρότειον. | *Nam resonat harmoniam, sub qua est corpus mortale.* |
| Ἐκτείνας πύρινον νῦν | *Extendens igneam mentem.* |
| Ἔργον ἐπ' εὐσεβίης ῥευςὸν ϗ σῶμα σαώσεις: | *Ad opus pietatis fluxum etiam corpus servabis.* |
| Οὐ τῷ τῆς ὕλης κρημνῷ σκύβαλον καταλείψει | *Nec materia præcipitio retrimentum relinquet.* |
| Ἀλλὰ ϗ εἰδώλῳ μερὶς εἰς τόπον ἀμφιφάοντα. | *Sed idolo etiam pars est, in loco undequaque splendente.* |
| Παντόθεν ἀπλάςῳ ψυχῇ πυρὸς ἡνία τεῖνον. | *Undique anima non ficta ignis habenas tende.* |
| Ἡ πυριθαλπὴς ἔννοια πρωτίςην ἔχει τάξιν. | *Cogitatio igne fota primum habet ordinem.* |
| Τῷ πυρὶ γὰρ βροτὸς ἐμπελάσας θεόθεν φάος ἕξει. | *Mortalis enim igni proximus factus, a Deo lumen habebit.* |
| Δηθύνοντι γὰρ βροτῷ κραιπνοὶ μάκαρες τελέθυσι. | *Immoranti enim mortali celeres beati absolvunt.* |
| Αἱ ποῖναι μερόπων ἄγκτειραι. | *Pœna hominum angores.* |
| Καὶ τὰ κακῆς ὕλης βλαςήματα χρησὰ ϗ ἐσθλά. | *Et mala materia germina utilia & bona.* |
| Ἐλπὶς τρεφέτω σε πυρίοχος ἀγγελικῷ ἐνὶ χώρῳ. | *Spes nutriat te ignea, in regione Angelica.* |
| Ἀλλ' ἐκ εἰσδέχεται κείνης τὸ θέλειν πατρικὸς Νῦς, | *Sed non approbat voluntatem ejus paterna Mens.* |
| Μέχρις ἂν ἐξέλθῃ λήθης, ϗ ῥῆμα λαλήσῃ | *Donec exierit ex oblivione & verbum elocuta fuerit,* |

*Me-*

| | |
|---|---|
| Μνήμην ἐνθεμένη πατρικοῦ συνθήματος ἁγνοῦ. | *Memoriam indens paterni Synthematis puri* |
| Τοῖς δὲ διδακτὸν ἔδωκε φάους γνώρισμα λαβέσθαι. | *His quidem notitiam luminis quæ docetur dedit capere,* |
| Τοὺς δὲ καὶ ὑπνώοντας ἑῆς ἐνεκάρπισεν ἀλκῆς. | *Alios vero vel dormientes participes fecit sui roboris.* |
| Μὴ πνεῦμα μολύνῃς, μήτε βαθύνῃς τὸ ἐπίπεδον, | *Ne spiritum macules, neque deprimas superficiem (piam.* |
| Μὴ ἐξάξῃς, ἵνα μὴ ἐξιοῦσα ἔχῃ τι. | *Ne educas, ne exiens habeat quid-* |
| Βίῃ ὅτι σῶμα λιπόντων ψυχαὶ καθαρώταται. | *Vi corpus relinquentium animæ purissimæ.* |
| Ψυχῆς ἐξωστῆρες ἀνάπνοοι, εὔλυτοί εἰσι. | *Animæ expulsores, respiratores, faciles solutu sunt,* |
| Λαιῆς ἐν λαγόσιν Ἑκάτης ἀρετῆς πέλε πηγή, | *Sinistris in ilibus Hecates virtutis erat fons.* |
| Ἔνδον ὅλη μίμνουσα, τὸ παρθένον οὐ προϊεῖσα. | *Intus totus manans, virgineum non abiiciens.* |
| Ὦ τολμηροτάτης φύσεως ἄνθρωπε τέχνασμα! | *O audacissimæ naturæ homo artificium!* |
| Μὴ τὰ πελώρια μέτρα γαίης ὑπὸ σὴν φρένα βάλλε, | *Neque ingentes mensuras terræ in tuam mentem pone, (ra.* |
| Οὐ γὰρ ἀληθείης φυτὸν ἐνὶ χθονί. | *Non enim veritatis planta est in ter-* |
| Μήτε μέτρει μέτρα ἠελίου, κανόνας συναθροίσας, | *Neque metiaris mensuras solis, collectis regulis,* |
| Ἀιδίῳ βουλῇ φέρεται, οὐχ ἕνεκα σοῖο. | *Æterno consilio fertur, non gratia tui.* |
| Μηναῖον μὲν δρόμημα, καὶ ἀστέριον προπόρευμα, | *Lunæ quidem cursum & astrorum progressum.* |
| Μήνης ῥοῖζον ἔασον, ἀεὶ τρέχει ἔργῳ ἀνάγκης. | *Lunæ,* inquam, *strepitum dimitte, semper currit opere necessitatis.* |
| Ἀστέριον προπόρευμα σέθεν χάριν οὐκ ἐλοχεύθη | *Astrorum progressus tui gratia non est partu editus.* |
| Αἴθερος ὀρνίθων ταρσὸς πλατὺς οὔποτ' ἀληθής. | *Aeria avium lata ala nunquam est vera.* |
| Οὐ θυσιῶν, σπλάγχνων τ' ὄθομαι τάδ' ἀθύρματα πάντα, | *Sacrificia, visceraque non curo, hæc omnia ludibria sunt* |
| Ἐμπορικῆς ἀπάτης στηρίγματα. φεῦγε σὺ ταῦτα | *Mercatoriæ deceptionis fulcra, fuge tu ista* |
| Μέλλων εὐσεβίης ἱερὸν παράδεισον ἀνοίγειν, | *Qui sacrum pietatis Paradisum reclusurus es,* |
| Ἔνθ' ἀρετή, σοφία τε καὶ εὐνομία συνάγονται. | *Ubi virtus, sapientiaque & æquitas congregata sunt.* |
| Σὸν γὰρ ἀγγεῖον θῆρες χθονὸς οἰκήσουσι | *Tuum enim vas bestiæ terræ habitabunt* |
| Αὐτοὺς δὲ χθὼν κατοδύρεται εἰς τέκνα μέχρις. | *Eos terra deflet, usque ad liberos.* |

| ιά. Δαίμονες, Τελεταί. | XI. Dæmones, Sacrificia. |
| --- | --- |
| Ἡ φύσις πείθει εἶναι τοὺς δαίμονας ἁγνούς, | Natura suadet esse Dæmonas puros, |
| Καὶ τὰ κακῆς ὕλης βλαστήματα χρηστὰ ϗ ἐσθλά. | Et mala materiæ germina utilia & bona. |
| Ἀλλὰ ταῦτα ἐν ἀβάτοις σηκοῖς διανοίας ἀνελίττω. | Sed hæc in abditis septis mentis evolve. |
| Πῦρ ἴκελον σκιρτηδὸν ἐπ' ἠέρος οἶδμα τιταίνων. | Ignem similem saltuatim in aeris fluctum extendens, |
| Ἢ ϗ πῦρ ἀτύπωτον, ὅθεν φωνὴν προθέουσαν, | Vel etiam ignem sine figura, atque hinc vocem emanantem, |
| Ἢ φῶς πλούσιον, ἀμφιφαές, ῥοιζαῖον, ἑλιχθέν. | Aut lumen dives, circumquaque radians, streperum, convolutum. |
| Ἀλλὰ ϗ ἵππον ἰδεῖν φωτὸς πλέον ἀστράπτοντα | Sed & equum videre luce magis fulgurantem, |
| Ἢ ϗ παῖδα τεοῖς νώτοις ἐποχούμενον ἵππου, | Aut etiam puerum suis humeris vectum equo, |
| Ἔμπυρον ἢ χρυσῷ πεποικιλμένον ἢ παλίγυμνον. | Ignitum, vel auro distinctum, vel nudum, (humeris. |
| Ἢ ϗ τοξεύοντα ϗ ἑστῶτα ἐπὶ νώτοις. | Vel sagittantem & stantem super |
| Πολλάκις ἢν λέξῃς μοι, ἀθρήσῃς πάντα λέοντα, | Sæpe si mihi dixeris, videbis omnia quasi leonem, |
| Οὔτε γὰρ οὐράνιος κυρτὸς τότε φαίνεται ὄγκος, | Neque enim cœli rotunda moles tunc apparet. |
| Ἀστέρες οὐ λάμπουσι, τὸ μήνης φῶς κεκάλυπται, | Astra non splendent. Lunæ lumen occultatum est, |
| Χθὼν οὐχ ἕστηκε, βλέπεταί τε πάντα κεραυνοῖς. | Terra non stat, videntur omnia fulminibus plena. |
| Μὴ φύσεως καλέσῃς αὐτοπτὸν ἄγαλμα, | Ne naturæ voces ipsum per se conspicuum simulacrum. |
| Οὐ γὰρ χρὴ κείνους σε βλέπειν πρὶν σῶμα τελεσθῇ, | Non enim oportet ab illis cerni; priusquã corpus sacrificiis sit purgatum, |
| Τὰς ψυχὰς θέλγοντες ἀεὶ τελετῶν ἀπάγουσι. | Animas mulcentes semper a Sacris abducunt, |
| Ἐκ δ' ἄρα κόλπων | Sane ex finibus. |
| Γαίης θρώσκουσι χθόνιοι κύνες, οὔποτ' ἀληθὲς | Terræ exiliunt terrestres canes; nunquam verum (monstrantes. |
| Σῆμα βροτῷ ἀνδρὶ δεικνύντες. | Corpus (aut signum σῆμα) mortali |
| Ἐνέργει περὶ τὸν Ἑκατικὸν στρόφαλον. | Operare circa Hecaticum strophalũ. |
| Ὀνόματα βάρβαρα μήποτ' ἀλλάξῃς, | Nomina barbara nũquam mutaveris. |
| Ἔστι γὰρ ὀνόματα παρ' ἑκάστοις θεόσδοτα | Sunt enim nomina apud singulos a Deo data. |
| Δύναμιν ἐν τελεταῖς ἄρρητον ἔχοντα. | Vim in sacris arcanam habentia. |

Quan-

| | |
|---|---|
| Ἡνίκα μὲν βλέψῃς μορφῆς ἄτερ εὐιερὸν πῦρ | Quando videris sine forma sacrum ignem. |
| Λαμπόμενον σκιρτηδὸν ὅλε κατὰ βένθεα κόσμε, | Splendentem saltuatim, per profunditates totius mundi, |
| Κλῦθι πυρὸς φωνήν. | Audi vocem ignis. |
| Ἡνίκα δ' ἐρχόμενον πρόσγειον δαίμον' ἀθρήσῃς | Quando accedentem Dæmonem terrestrem conspexeris, |
| Θύε λίθον Μνίζευριν ἐπαυδῶν. | Sacrifica lapidem, inclamando Mnizurim. |

# JO. CLERICI NOTÆ.

## IN

# ORACULA CHALDAICA.

QUantavis laude, qui hæc oracula collegit, *Franciscus Patricius* dignus sit: duo tamen hic peccata commisit, quibus hactenus medelam invenire non licuit. Primum, scriptores unde ea hausit non indicavit, aut indiligenter, non addito loco, laudavit; deinde, una serie hæc ἀποσπασμάτια, cum distingui deberent, descripsit. Non dissimulandum tamen ante Patricium in fragmenta, eodem modo conservata, scripsisse Plethonem & Psellum; unde integram collectionem ab aliquot seculis interiisse apparet. Hinc fit, ut ex scriptoribus, ex quibus desumta sunt, exponi nequeant, quod utilissimum esset; neque etiam, quibusdam in locis, quæ conjungenda, quæ divellenda, satis intelligere possit lector. Huc accedit tertium incommodum, quod, cum occasio dictorum, & series rerum ignotæ sint, ex vitiosis versibus menda vix tolli queant. Conjecturis enim indulgere, in his Sibyllæ foliis, temerarium prorsus esset; nec collector ipse multum ausus est, seu prudentia ejus fuerit, seu minus accurata linguæ Grecæ cognitio, quam ex multis ejus translationis locis colligere est, si quis adeat *Stanleii*, aut *Patritii* ipsius editionem; multa enim evidentia menda sustulimus, cum nulla ratio esset, ob quam mala translatio sacrosancta haberetur. Ceterum sequentes notulæ unde petitæ sint, ex lectione satis apparebit.

### IN SECTIONEM I.

UBI paterna &c.] Est nomen *Pselli* in margine, sed non extat in eo *Pselli* in hæc oracula commentario, quem editum habemus. Μονὰς, apud Platonicos, dicitur supremum illud Numen, ex quo omnes Dii inferiores processerunt; de quo plurima æquo etiam subtiliora, invenire est apud *Proclum*, in Theologia Platonica passim, & Lib. V. c. 34. p. 320.

1. *Unitas*) *Proclus*, in *Theologia Platonica*, passim Μονάδα, & ἑνάδα summum ac primum principium appellat, ut necesse non sit loca proferre. Vide & *Jamblichum* Sect. VIII. c. 2. *de Myst. Ægypt.*

2. *Duo generat.*) Hoc est *Mentem & Animam*, Νοῦν καὶ ψυχὴν, de quibus *Plotinus* L. IX. Ennead. 2. Hæc cum nihil affine habeant Græcæ mythologiæ, admodum verisimile est, ab iis populis, qui sublimius de Deo philosophabantur, eumque ἀνθρωπόμορφον esse negabant, ad *Platonem* ejusque discipulos manasse.

3. *Dyas*) Mens & Anima, quæ sunt τῆς πατρικῆς τριάδος ὑποστάσεις *primæ Triadis personæ*, ut loquitur *Proclus* loco laudato. Vel etiam hoc nomine intelligendum secundum principium, quod mundum creavit. *Proclus* in eodem opere Lib. V. c. 23. ita de primo Deo loquutus pergit: παρ' αὐτῷ γὰρ ἡ Δυὰς ἵδρυται καθ' ἣν τὰ πάντα γεννᾷ, — καὶ παράγει, καὶ ζωογονεῖ· δεῖ δὴ που καὶ διὰ τῶν ὀνομάτων αὐτῷ τὴν Δυάδα κατὰ τὴν παλαιὰν φήμην ἀνυμνεῖν: *apud eum constituta est Dyas, per quam omnia generat, producit, & vivificat. Oportet ergo, etiam per nomina ei Dyadem, secundum antiquam famam, consecrare.* Deinde, ad hæc verba alludens, addit: νοεραῖς γὰρ ἀστράπτει τομαῖς, καὶ διαιρεῖ τὰ ὅλα καὶ συνάγει καὶ μίαν τάξιν ἄλυτον ἐκ πολλῶν συνίστησι, *intellectualibus fulgurat sectionibus, & universa dividit, & cogit, & unum ordinem indissolubilem ex multis constituit.*

Intel-

*Intellectualibus divisionibus*) De voce νοερὰς dicemus in indice. Τομαὶ hic dicuntur proprietates, quibus una ἑτερότης ab alia distinguitur, seu species diversæ naturarum. Eodem modo sumitur apud *Proclum*, Theol. Plat. Lib. V. c. 3. & alibi. Igitur νοεραὶ τομαὶ sunt διακρίσεως νοερᾶς σύμβολα, ut idem loquitur, seu *symbola intellectualis discriminis* quod est inter duas hasce hypostases. Qua in re situm sit id discrimen, docebit *Plotinus* II.

5. *Toto in mundo*) Vel, *in omni mundo*, hoc est, quolibet. Dubium an hic intelligatur ἡ τῶν νοητῶν πρωτίστη τριὰς *intelligibilium prima Trinitas*, a qua cum omnia manaverint, dici potest ubique splendere; an vero cuique mundo tribuatur sua Trinitas, seu ex intellectualibus, seu ex intelligibilibus; de quibus consulendus *Proclus*, in Theol. Plat. Lib. III. c. 12. & 13. Lib. IV. c. 27.

9. *Sectionis*) Hoc est, generum & specierum, in quæ res, secundum differentias suas, divisæ sunt. Sæpe hanc doctrinam habet *Proclus*, cuius hæc sunt verba Lib. VI. c. 2. μία καὶ συνεχής ἐστιν ἡ τῶν θεῶν πρόοδος, ἄνωθεν ἀπὸ τῶν νοητῶν καὶ κρυφίων ἑνάδων εἰς τὸν ἔσχατον μερισμὸν (ut hic τμῆσιν) τελευτῶσα τῆς θείας αἰτίας: *unus & continuus est Deorum progressus, superne manans, ab intelligibilibus & latentibus unitatibus, in ultimam divinæ causæ partitionem desinens*; hoc est, in infimas species, ut loquuntur Logici.

*Ordo*) Existimabant, ab occultissima unitate intelligibili, hoc est, a summo Deo, per varios gradus proprietatum manasse naturas omnes, adeo, ut minus præstantes præstantioribus subiacerent: Idem: μία σειρὰ καὶ τάξις ἀδιάλυτος ἄνωθεν καθήκει διὰ τὴν τῆς πρωτίστης αἰτίας ἀνυπέρβλητον ἀγαθότητα καὶ τὸ ἑνιαῖον κράτος αὐτῆς: *unica catena & ordo indissolubilis superne descendit, propter eximiam primæ causæ bonitatem, & singularem ejus potentiam*. Vide indicem, in *Osiridis catena*.

7. *In tria enim*) Hoc est, omnium rerum principia triplicia esse, qua de re vide Lib. I. Sect. II. c. 4. & *Proclum* locis laudatis, ac Libro præsertim III.

*Mens Patris*) Dubium an Pater ipse intelligatur, an secunda natura, quæ *Mens* dicitur. Quid significetur voce ἔειπε, *dixit*, docet versus 89. *quæ Mens dicit intelligendo sane dicit*. Nempe, ratio aut mens triplicia esse voluit principia, ex quibus omnia manarent, ut docet v. 8.

9. *In tria enim*) Videtur idem esse oraculum, quod est versu septimo, repetitum a *Franc. Patricio*, quia aliter expressum; seu pauculis aliis conjunctum invenit. Fortasse fuere variæ translationes eorundem oraculorum, nam apud *Synesium*, & alios aliter quædam concepta sunt, atque in *Plethonis & Psolli* collectaneis.

10. *Mente omnia gubernans*) Crediderunt Platonici, summam illam Μονάδα, ex qua omnia fluxerunt, rerum administrationem secundæ Menti potissimum tradidisse, ut habetur in oraculorum versu 26. Socrates in *Philebo* ὑποτίθεται, ut verbis *Procli*, Theol. Lib. V. c. 23. utar, ΝΟΥΝ τὰ πάντα διακοσμεῖν, ὥσπερ οἱ πρὸ αὐτοῦ σοφοί, καὶ τόν τε ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην καὶ πᾶσαν τὴν περιφορὰν διακυβερνᾶν, *statuit a Mente omnia disponi, ut sapientes qui ante eum fuerunt, & solem, & lunam, & universam circumactionem ab eadem regi*.

13. *Triadis corpus*) Forte ὕλην, seu οὐσίαν, *essentiam*, Trinitatis secundæ intelligunt oracula voce δέμας.

*Antequam esset*) Ita vero πρὸ τῆς οὐσίας, *ante ea quæ est*, quasi esset πρὸ τούτων. Vult oraculum, antequam existeret secunda Trias, hoc est, antequam peculiarem haberet ὕπαρξιν, seu ὑπόστασιν diversam ab ὑπάρξει primæ Trinitatis; in prima ὑπάρχειν secundam fuisse, ut effectum in causa, antequam seorsim a causa existat. *Existimabant* Platonici, in prima *causa inferiores* omnes fuisse ab *æterno*, atque *inde* προελθεῖν. Vide vers. 18. & 19. & *Plotinum* Enneade V. Lib. VIII. c. 12. Christiani πλατωνίζοντες dicebant similiter de *Ratione* aut *Verbo*: πρὶν ἐνεργείᾳ γεννηθῆναι, δυνάμει ἦν ἐν τῷ πατρὶ ἀγεννήτως, *priusquam actu generaretur, erat in Patre, ingenita ratione*. Ariani hoc negabant, quod *Verbum* aut *Rationem*, non ex ipsa divina essentia manasse, sed e nihilo prodiisse, volente Patre, censerent; quod damnarunt Nicæni Episcopi, quando eos, qui de *Verbo* dicerent: πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν, *antequam generaretur, non erat*, anathemate percusserunt. Vide *Theodoret*. Lib. I. Hist. Eccles. c. 12.

*Cujus quæ metiuntur*) Verba hæc videntur corrupta, nec a nobis emédari possunt, quia *Damascius*, ex quo hausta sunt, nondum editus est; sine quo coniecturis indulgere, sine temeritate nemini licuerit.

16. *Sacrum primum curriculum*) *Patricius* hosce duos versiculos interpretatus non est, cum verba non sint difficiliora aliis; forte quod nihil faciant ad Sectionis huius titulum, neque enim ad Triadem ullatenus pertinere videntur; sed potius ad multiplices mundos, quibus tamen,

quomo-

quomodo possint accommodari non satis video. Vide Lib. I. sect. 2. cap. 12. & seqq.

18. *Fons fontium*) Hic πηγὴ idem est ac causa, cum efficiens, tum materialis, ut loquuntur. Vult ergo oraculum, summam Monadem esse causam causarum omnium. Sed *fontes* peculiari vocabulo certa quædam principia appellabant, de quibus vide L. I. Sect. II. c. 7. *Proclus* quidem in Philosophia Platonica, πηγαῖον αἴτιον peculiariter vocat τὴν τῶν ψυχῶν πρωτουργὸν αἰτίαν, *precipuam animarum causam*. Lib. V. c. 34. Ceterum *Thom. Gale*, vir eruditus, atque in Platonicorum scriptis versatus, laudat hunc versum integrum p. 299. Notarum in *Jamblichum*, addens πηγὴ ante πηγῶν, ut Deus dicatur *fons omnium fontium* hoc est, in quo desinit omnium causarum enumeratio, quando ab inferioribus ad superiores recensentur: Eo cum perventum est, mens nostra habet πέρας τὸ ἀκρότατον θεωρίας *supremum contemplationis terminum*, ut loquitur *Proclus* Lib. I. c. 3. p. 6.

21. *Tractus prester*) In his versibus haut semel Deus igni confertur, quod Deum sub specie ignis apparere crederent Chaldæi, ut alibi diximus; unde ejus apparitiones voce presteris eleganter exprimuntur. Seneca Lib. V. *Natur. quæst. cap.* 13. *Ventus circumactus & eundem ambiens locum, & se in ipsa vertigine concitans, turbo est: Quæ pugnacior est, & diutius volutatur, inflammatur, & efficit, quem πρηστῆρα Græci vocant. Hic est igneus turbo.* Sane species quædam presteris describitur ab *Ezechiele* Cap. I, 4. ubi, quomodo Gloria Dei sibi conspecta sit, memorat: *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis involvens & splendor in circuitu ejus.* Conf. Exod. IX, 24. & inde ad vers. 12.

*Obscurat*) Legendum nempe, ἀμυδροῖ, non ἀμυδροῖο, ut versus docet & *Proclus*, qui hæc verba profert Theol. Lib. III. c. 19. atque eadem συστολὴν explicat, de naturis divinis a summa Monade procreatis, αἱ ἑνάδες αἱ θεῖαι, inquit, κατὰ βραχὺ προϊοῦσαι, πάντων τῶν ἐγκοσμίων τὸ πλῆθος ἀπογεννῶσι. ἔστιν οὖν ἡ τριὰς αὕτη πηγὴ καὶ αἰτία πάντων, καὶ τὰ ἑξῆς. *Unitates divinæ brevi tempore progressæ omnium in mundo comprehensorum multitudinem genuerunt. Est ergo Trias ipsa, fons & causa omnium, &c.* Vide vers. 25. 74. & 135.

*Ignis florem*) Πυρὸς ἄνθος est flamma. *Homerus*:

Αὐτὰρ ἐπεὶ πυρὸς ἄνθος ἀπέπτατο, παύσατο δὲ φλόξ.

*Deinde cum flos ignis avolasset & ut desiisset flamma.*

Quod imitatus *Lucretius* Lib. I.

— *flammai fulserunt flore coacto.*

Vult ergo oraculum ignem, quo Numen inducum apparet, fulgentiorem esse flamma.

IN SECTIONEM II.

24.

Seipsum rapuit) Hoc est, interprete Plethone, ἑαυτὸν τῶν ἄλλων πάντων ἐξαίρετον ἐποίησε, *se ab omnibus subduxit, & segregem fecit*, quod essentia supremæ illius Unitatis sit plane ἀμέθεκτος, *imparticipabilis*, ut toto Lib. II. Theologiæ suæ multis probat *Proclus*; qui post Parmenidem eam vocat ΤΟ ΕΝ *quod neque est in se ipso, neque in alio* ὅτι ἐν αὐτῷ ἐστιν, ὅτε ἐν ἄλλῳ. Hanc esse Platonicorum mentem certo norunt, qui eam expenderunt, licet omnes eorum ratiocinationes non assequamur; quod ne ipsi quidem, ut fit, præ nimia subtilitate, satis scirent, quid sibi vellent.

25. *Proprium ignem*) Hic πῦρ videtur designare vim procreandi. Nam quemadmodum sol περιλάμπει ignem suum veluti emittit, neque intra se continet: ita Deus summus inferiores Deos, quasi radios, ex se emisit, si Platonicis credimus. Hac enim comparatione utitur *Plotinus Ennead V. Lib. I. c. 6.* Hic igitur Deus vim creaturas procreandi cohibuisse negatur.

26. *Rotatur*) Verbum τροχάζειν hoc in loco videtur e figulina arte desumtum, Deusque sub periti figuli imagine describi.

28. *Quam primam &c.*) Hæc est *Platonis* sententia, qui a primo principio quidquam procreatum esse ἀμέσως negat, excepto secundo principio; cum pleræque gentes id principium, a quo mundus creatus est & regitur, primum existimarent. Hanc sententiam explicat *Numenius* apud *Eusebium* Præp. Lib. XI. c. 18. ubi verba Philosophi ita παραφράζει: ὦ ἄνθρωποι, ὃν τοπάζετε ὑμεῖς Νοῦν, οὐκ ἐστὶ πρῶτος, ἀλλ' ἕτερος πρὸ τούτου Νοῦς πρεσβύτερος καὶ θειότερος: *O homines, ea Mens prima non est, quam conicitis: sed alia Mens ante hanc antiquior & divinior.* Hinc *Proclus Origenem* & alios vituperat; quod existiment ab *Origene* ἀρρήτω illam unitatis supremæ ὑπεροχὴν secundæ Menti tributam. Lib. II. Theol. cap. 4. Vide & *Jamblich.* Sect. VIII. c. 2.

30. *Multum enim solus*) Ita citatur hoc oraculum ab aliis, conjungentibus hunc versum cum 37.

... πολὺ γὰρ μένος ἐκ Πατρὸς ἀλκῆς
Δρεψάμενος νόου ἄνθος ἔχει τὸ νοεῖν πατρι-
κόν τῷ.

31. *Mentis florem*) Ut *ignis flos* flamma dicitur; *vini flos* ejus odor: ita mentis flos erit facultas subtilissima cogitandi, aut intelligendi res mere intelligibiles, aut quid simile. Vide *Portum* in Lex. Dor. in voce ἄνθος.

32. *Opera intelligens enim &c.*) Existimabant Platonici, secundam Mentem omnium rerum exemplaria νοητὰ apud se formare, quibus deinde similes creaturas extra se ederet. Hinc eam ἰδέαν ἰδεῶν vocant. Vide *Philonem* περὶ κοσμοποιίας initio.

*A se genita*) Hoc epitheton proprie principio summo convenit, nam secundum a primo genitum est. Sed cum tribuitur secundo, videtur αὐτογένεθλος significare principium omnis procreationis expers, respectu aliarum inferiorum naturarum: ut a *Proclo* Dii dicuntur αὐτοκίνητοι, quod sint ἀρχαὶ πάσης κινήσεως, *principia omnis motus*. Lib. I. c. 14. *Jamblichus* Sect. VIII. c. 2. Deum secundum, quo superiorem, qui fuit ejus παράδειγμα, agnoscit, vocat αὐτοπάτορα & αὐτογόνον, cujus appellationis hanc profert rationem: ἀπὸ δὲ τοῦ ἑνὸς τούτου ὁ αὐτάρκης θεὸς ἑαυτὸν ἐξέλαμψε, διὸ καὶ αὐτοπάτωρ καὶ αὐτάρκης; *ab hoc uno Deus per se sufficiens sponte emicuit, unde sui pater & sibi sufficiens dicitur*. Hinc intelligere licet, qui fieri possit, ut quidam veteres, Ariani dogmatis insimulati, nec immerito, dicerent: λόγον esse αὐτόθεον, quod viros eruditos fefellit.

34. *Ut omnia maneant*) Videtur hoc velle oraculum, ita omnia a Mente connexa esse & aptata inter se invicem, ut se invicem conservent & tueantur; sed aliquid arcanius dicit versu 35.

35. *Neque omnibus Patris contexta*) Quod potest unum in obscuris hisce placitis fieri, præstabo; nempe lectorem ad *Jamblichum*, hac de re agentem, de Myst. Sect. VI. c. 7. amandabo. Docet quædam esse ἀπόῤῥητα μυστήρια, quæ custodiuntur a Dæmonibus, ne iis revelatis mundi compages diffluerent. Tantum abest, ut quid velit intelligam, ut ne ipsum quidem *Jamblichum* mentem suam potuisse perspicue explicare mihi persuasum sit.

39. *Finis paternæ profunditatis*) Quia scilicet Pater solam Mentem ipse genuit, & in procreando in ea substitit. Vide not. ad v. 29. *Profunditas* autem dicitur natura Patris ignota, ut quæ in profundo maneri latent. *Valentiniani*, qui multa a Platonicis desumserant, βυθὸν quoque inter principia numerabant.

40. *Neque progressus est*) Hoc versu verba contineri *Damascii*, ex quo sequens petitus est, non oraculi, observavit *Tom. Gale* jam laudatus p. 301. Observ. in *Jamblichum*. Ceterum hic, & tres sequentes versus videntur ad primum principium pertinere, quod non progressus est in operando ultra Mentis procreationem.

41. *In adyto*) Significat Dei primi naturam omnibus ignotam esse, neque enim eam cuiquam communem fecisse, ideoque silentio potius colendam, quam temere describendam. Eundem magnifico verborum apparatu ita laudat *Proclus* Lib. II. c. 11. Ὑμνήσωμεν αὐτὸν, οὐχ ὅτι γῆν καὶ οὐρανὸν ὑπέστησε λέγοντες, οὐδ' αὖ ὅτι ψυχὰς καὶ ζώων ἁπάντων γενέσεις, καὶ ταῦτα μὲν γὰρ, ἀλλ' ἐπ' ἐσχάτοις. πρὸ δὲ τούτων ὡς πᾶν μὲν τὸ νοητὸν τῶν θεῶν γένος, πᾶν δὲ τὸ νοερὸν ἐξέφηνε, πάντας δὲ τοὺς ὑπὲρ τὸν κόσμον, καὶ τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ θεοὺς ἅπαντας, καὶ ὡς θεός ἐστι θεῶν ἁπάντων, καὶ ἑνὰς ἑνάδων, καὶ ὡς ἀδύτων ἐπέκεινα τῶν πρώτων, καὶ ὡς πάσης ΣΙΓΗΣ ἀῤῥητότερος, καὶ ὡς πάσης ὑπάρξεως ἀγνωστότερος, ἅγιος ἐν ἁγίοις, τοῖς νοητοῖς ἐναποκεκρυμμένος θεοῖς: *laudemus eum, non dicentes ab eo cælum & terram creata, aut animas, & animalia progenita, nam hæc quidem progenuit, sed inter ultima. Laudemus eum, quod ante hæc omne Deorum intelligibilium, omne intellectualium genus, omnes supra mundum, Deos omnes in mundo creaverit: quippe qui est Deorum omnium Deus, Unitas Unitatum, supra prima impossibilia, omni silentio ineffabilior, omni exsistentia ignotior: sanctus in sanctis, & ipsis intelligibilibus absconditus Diis*.

44. *Symbola*) Intelligit *Pletho* non ideas intelligibilium rerum animis nostris inditas; sed formas potius, vel differentias omnium generum intellexerim, hoc saltem in loco. Alioqui σύμβολα sunt mysticæ imagines, vel mystici ritus, cum apud *Proclum*, tum apud *Jamblichum*.

46. *Integra partitio*) Hoc est, qui integer remansit, & tamen multiplices rerum species procreavit. Nam Platonici vocant species μερικὰς & περιεκτικὰς, & hæc cum crederent ab indivisibilibus Diis originem ducere, non mirum, si ita loquantur, ut videantur sibi contradicere. Vide *Proclum* Lib. VI. cap. 2. & 3. & 6. & alibi.

47. *Sensum addit mundis*.) Mundos animalia esse credebant, quod Deos quos-

dam quasi eorum animas intelligerent, ut ostensum in Chaldaica doctrina. Hos autem Deos omnes processisse putabant a secundo & tertio principiis. Vide *Proclum* Lib. I. cap. 13. p. 37.

### IN SECTIONEM III.

50.

NON enim sine intelligibili) De conjunctione intima Mentis cum primo principio, legendus *Plotinus Enn. V.* Lib. I. cap. 4. qui docet hæc συνυπάρχειν καὶ μὴ ἀπολείπειν ἄλληλα, *coexsistere, neque se invicem relinquere*, & Mentem quidem totam occupatam esse ἐν τῷ νοεῖν τὸ Ὄν, *in contemplando Ente*.

51. *Hæc quidem &c.*) Vide indicem in vocibus Νοερὸς & Νοητός.

52. *Alimentum*) Vide indicem ibid. & *Proclum* Lib. IV. c. 16. ubi ostendit τὸ μὲν τρέφειν νοητῆς εἶναι τελειότητος, *alere esse perfectionis intelligibilis*.

55. *Profunditatem scilis*) Alii etiam pro ἔτι habent ἔστι *sitis*.

57. *Omnis sectionis princeps est*) Omnes species procreavit Natura aliqua intelligibilis, & ad hanc, tanquam ad principium, illæ referuntur.

58. *Flore mentis*) Acutissima intelligendi facultate, quæ vocatur *flamma* mentis v. 64. *Proclus* interpretatur ἀκρότητα τοῦ νοῦ. Lib. I. cap. 3. Idem Lib. V. cap. 33. Patrem vocat ἄνθος τῆς ἀδάμαντος τῆς ὅλων φυλακῆς, *florentem immutabilis custodiæ universi*.

61. *Est enim roboris*) Hic cum essent manifesti versus inter se conjuncti sensu, & male divulsi in lineas, ad quas non pertinebant, eos melius distinguendos judicavimus, *Stanleii* notas sequuti. Potuisset & 70. conjungi cum sequente hoc modo: Ὄφρα μάθῃς τὸ νοητὸν ἐπεὶ νόου ἔξω ὑπάρχει. Sed quia v. 53. hæc verba aliter citantur, intacta reliquimus.

81. *Sub duabus mentibus*) Sub prima & secunda Mente est anima mundi, unde animæ omnes profluxerunt, ut passim docet *Proclus*.

82. *Opifex qui ipse agens*) Hæc omnia de anima mundi intelligenda, quæ mundum procreavit, & rerum συνθέτων, connexionem & symmetriam, tuetur. *Crateres*, animarum fontes conjunguntur cum anima, quod una cum illa particulares animas procreent. Vide *Proclum* Lib. V. cap. 30. initio, ubi περὶ τῆς τῶν ψυχῶν κράσεως, quæ fit ab anima & a Cratere, ut hic v. 86. animam autem mundi a Mente generatam fuisse docebit inter alios *Plotinus II.*

83. *Qui primus ex Mente*) Est tertium principium, quod *Plato* ψυχὴν κόσμου vocat in Timæo.

90. *Potentia*) Quamvis *Psellus* δύναμιν velit esse secundum principium & Νοῦν tertium, ut observatum a *Stanleio* Lib. I. Sect. II. c. 4. attamen Νοῦς a *Plotino* constanter dicitur secundum, & ψυχὴ tertium; & cum ex antecedentibus, tum ex hoc versu apparet Δύναμιν dici tertium, Νοῦν secundum, in hisce oraculis.

### IN SECTIONEM IV.

92.

SUmmitates) Hic ἀκρότητες eadem vocantur, quæ τέρματα, hoc est, summæ quædam naturæ, ex quibus omnes, secundum certos ordines, processerũt; & in quibus tandem, ab infimis ad summa si ascendas, enumerando naturarum varios ordines, desines. Passim ea voce utitur *Proclus*. Ita Cap. XVI. Lib. IV. τριὰς γάρ ἐστιν ἡ νοητὴ, inquit, τῶν νοερῶν ἀκροτήτων, *trias intelligibilis est, summitas intellectualium*. Videntur eadem esse ἀκρότητες, de quibus oraculum.

93. *Principale pratum*) Aut hæc sunt e *Platone* petita, aut *Plato* sua hinc petiit; quippe qui τῆς ἀληθείας πεδίον καὶ λειμῶνα, *campum & pratum veritatis, in Phædro* memoret. Quid sit explicat *Proclus* Lib. IV. cap. 12 & seqq. Atque hoc pacto id definit cap. 15. *facultatem genitricem vitæ, & rationum omnigenarum, & comprehensionem primariarum, vitæ causarum, & varietatis & generationis specierum causam*. Hinc apparet quare dicatur ἀρχικὸς hic αὐλὼν, cum inter principia sit numerandus.

94. *Principia*) Hic intelligunt oracula principia νοερὰ, seu inferiora, quæ in contemplatione τῶν νοητῶν occupantur.

95. *Sensibilibus*) Intelligit Dæmonas, quo materiales creditos ostendit *Stanlejus* Lib. I. Sect. II. cap. 11. & 17. quod docet etiam *Jamblichus* Sect. I. cap. 20. ubi tradit, Dæmonas esse Deorum ministros, in iis administrandis, quæ ad materiam pertinent.

96. *Transvectrices*) Sensus hujus vocis ita expressit *Apuleius*, de Deo Socratis: *Græco nomine Δαίμονας nuncupant inter mortales cælicolasque vectores, hinc precũ, illinc donorũ*.

99. *Indefesso*) Ἀντὶ τοῦ ἀκμῆτι, quæ est vox nihili, scripsimus ἀκμῆτι, quod optime convenit. Verbum ῥοιζέω, quod hic & versu 109. usurpatur, petitum a stridore venti.

100. *Ideas*) Plato ita loquitur de hisce ideis, ut illas videatur facere naturas seorsim existentes, non modo a substantiis individuis, sed etiã a Deo ipso, quam opinionẽ ei tribuit *Aristotel*: Negãt tãen hanc Magistri sui fuisse mentem recentiores Platonici, qui

qui fatentur quidem ideas seorsim a substantiis, sed eas a Deo separatim esse negant, ut observavit *Thom. Gale* ad *Jamblichum* pag. 299. Et *Proclus* quidem, postquam primo in Parmenidem libro, protulit ex Orphæo & oraculis, quæ doctrinam de ideis confirment, addit de Peripateticis verba faciens: μακρὰ χαιρέτωσαν τῶν σοφιστικῶν λόγων [illegible]. φασὶ γὰρ οἱ θεοὶ ἐννοήματα εἶναι τοῦ Πατρὸς, μένειν γὰρ ἐν ταῖς νοήσεσι τοῦ Πατρὸς, καὶ αὐτὰς προερχομένας ἀπὸ τοῦ Πατρὸς πρὸς τὴν τοῦ κόσμου δημιουργίαν: *parum curandi sunt eorum sophistici sermones, perspicue enim Dii dixerunt, ideas esse cogitationes Patris, manent enim in intellectu Patris, & sic progrediuntur a Patre ad mundi creationem*. Verum, licet negare nolim hanc forte fuisse Platonis mentem: attamen non ita facile crediderim *Proclo*, aliisque ejus recentioribus discipulis; qui non tam quærunt, quid *Plato* censuerit, quam quid sentire debuerit, ut rationi consentanea loqueretur, & quasi indubitatum assumunt, ita ejus interpretandam mentem, ut a veritate non recedat. Sed & hoc vitium est plerorumque aliorum interpretum.

117. *Iynges* (*Pletho* interpretatur τὰ νοητὰ εἴδη, *intelligibiles species*: *Psellus* δυνάμεις τινὰς μετὰ τὸν πατρικὸν βυθὸν, *potentias quasdam post paternam profunditatem tribus Triadibus constantes*. Sane quod additur νοεῖν videtur ostendere, hic agi de naturis quibusdam peculiari ἐνεργείᾳ donatis.

## IN SECTIONEM V.

120.

*Implacabilia fulmina*) Ita etiam videntur dici quædam naturæ, seu quidam Dii, de quibus vide Lib. I. Sect. II. c. 6.

*Pinus*) Videntur hac voce designari quædam divinæ hypostases, quæ vim creatoris excipiant. *Proclus* Lib. V. cap. 23. dicit a Creatore ζωογόνους κόλπους [illegible] *vitæ productores sinus existentiam accepisse*.

121. *Hecate*) Vide indicem in hac voce.

124. *Custodiendas*) Hoc velle videtur oraculum, ἀκροτάτας, seu naturas præstantes, quæ in unoquoque genere summæ sunt, esse ignea veluti procella vestitas, qua inferiores naturas submovent. Ad hoc oraculum respicit *Proclus* Theol. Plat. Lib. V. cap. 34. ubi hæc verba occurrunt: ὡς γὰρ τὰ λόγια πρηστηρίῳ φρουρᾷ περιέχεσθαι [illegible] δημιουργικὸν [illegible]. οὕτω δὴ καὶ ὁ Πλάτων φυλακαῖς αὐτὴν περιειλῆφθαι [illegible] τῶν δευτέρων ἀπόλυτον ὑπεροχὴν φρουροῦσι ἐκπλήττει, *ut Oracula dicunt rerum opificem ordinem, procelloso præsidio cingi; sic etiam Plato ait, custodias ipsum circumsistere, qua indeclinabiliter summitatem illius, omnibus secundis naturis exemtam, custodiunt*. Custodia, de qua hic sermo est, videtur esse conservatio naturarum omnium, secundum species suas, cum omnibus, quibus præditæ sunt, proprietatibus.

125. *Synochibus*) *Synoches* videntur esse Numina, quæ cœlis, quibus inferiora *continentur* συνέχοντα, præsunt. *Proclus* Theol. Lib. IV. cap 16. animas, quæ sunt ἐπὶ τῷ τοῦ οὐρανοῦ νώτῳ, supra cœli dorsum, ait esse exemtas primo Synochum deinde addit: πάντα γὰρ συνέχων τῇ [illegible] ἑνὶ τῆς ὑπάρξεως ἀκρότητι, κατὰ τὸ λόγιον, αὐτὸς ἐκτὸς ὑπάρχει *omnia continens unica existentiæ, secundum Oraculum, summitate, ipse totus extra est*. Respicit, ut videtur, ad aliquod oraculum, quod non extat; nam erravit *Portus*, qui λόγιον vertit *celebre dictum*. Paullo post, duos alios Synoches, secundum & tertium constituit, de quibus poterit consuli. Idem Lib. I. cap. 13. ex motu cœlorum probat eos ψυχὰς ἡγεμόνας habere.

126. *Sustentatores inflexos*) Hi Anoches videntur iidem esse ac Synoches. Auctor est *Psellus*, eos vocari a Chaldæis κοσμαγωγοὺς, quod mundum regant. Eosdem ἀζώνους & κοσμαγωγοὺς vocat *Jamblichus* Sect. II. cap. 3. ad quem vide *T. Gale*.

134. *Teletarcha*) *Plato* animas, quæ in Deorum sedem admittuntur, τελεῖσθαι ait τὴν τῶν τελετῶν μακαριωτάτην, *initiari beatissimo omnium sacro*: ideoque Deos, qui Teletis hisce præsunt, earumque auctores sunt, putat *Proclus*, cum bona *Platonis* venia, *Teletarchas* vocari posse, licet summus ille Magister ea voce usus non esset. *Lib. IV. c. 16. Theol.*

## IN SECTIONEM VI.

145.

*Quod*) Hoc ὄνομα non pertinet ad versum, sed ad scriptorem, qui eum citavit. Hic autem voce πῦρ substantiam spiritualem intelligunt, & *Pletho*, & *Psellus*; ac sane in hisce oraculis spiritualis natura passim ignea dicitur.

163. *Ne Naturam inspicias*) Legendum est enim φύσιν non οὔνομα, ita enim legit *Proclus* Lib. V. cap. 33. p. 317. & dicit vocibus φύσις & εἱμαρμένη intelligi Creatorem, seu secundam hypostasin; sed non docet quare eam inspici vetent oracula.

IN SECTIONEM VII.

164.

Ipsi operans) Hac voce videntur uti oracula, quod secunda hypostasis, secundum ea, fecerit ipsa mundum; prima vero non αὐτουργῶς, sed agens per secundam. Hoc verbo eodem sensu uti Proclum in Theologia observavi, licet memoria locum non suppeditet.

IN SECTIONEM VIII.

182.

Septem) Vide Stanleium Lib. I. Sect. II. cap. 12. & seqq.

Firmamenta) Στερεώματα. Videntur Chaldæi usi esse voce רקיע rakiah, quæ ita a LXX. Interp. vertitur, & hoc potest esse indicium hæc chaldaice scripta, quale postea proferemus. Ceterum cœlos, seu mundos dici στερεώματα crediderim, non quod Chaldæi eos solidos esse existimarent, sed quod στερεοῦσι, firment; hoc est, constringant & impediant, quo minus diffluant ea, quæ ambiunt. Eadem de causa Dii horum præsides & Συνοχεῖς & Ἀποχεῖς nuncupati dicuntur. Proclus certe Lib. IX. c. 10. cœlum contendit συνέχειν τὰ ὑπ' αὐτὸ πάντα, καὶ τοῦ συνέχεσθαι αἴτιον, continere omnia quæ sunt sub se, & causam esse cur continua sint. Cicero in 2. de Nat. Deor. de ultimo cœlo ex Stoicorum sententia, qui instar Chaldæorum cœlos inferiores superioribus inclusos credebant: Restat ultimus, & a domiciliis nostris altissimus, omnia cingens & coërcens cœli complexus, qui idem æther vocatur. Iidem, auctore Diogene Laertio in Zenone, seu Lib. VII. Segm. 140. negabant quidquam in mundo esse inane, atque omnia continua esse censebant, τοῦτο γὰρ ἀναγκάζειν τὴν τῶν οὐρανίων πρὸς τὰ ἐπίγεια σύμπνοιαν καὶ συντονίαν.

183. Cœlum) Sequentes versus valde sunt luxati, & repetitionibus inquinati; sed restitui vix queant, cum forte meliores non extent apud eos, ex quibus a Patricio hausti sunt.

190. Fixione) Vox erat Genethliacorum propria. Scholiastes Ptolemæi, apud Jos. Scaligerum, in Manil. p. 32. περὶ τῆς εἰώθασι λέγειν γένεσιν Αἰγύπτιοι κόσμου. καὶ γὰρ ἀρχὴν μίαν οὐκ ἔχει, πολλὰς δὲ. τὰ δὲ μερικὰ, καὶ πολλὰς καὶ μίαν. μίαν μὲν τὴν ἐξ ἀρχῆς καὶ ἐν τῇ γενέσει τῶν ἀστέρων σύγκρασιν, ἣν ὕστερον οἱ ἀστρολόγοι καλοῦσι: Supervacue solent dicere Ægyptii creationem mundi, etenim originem unam non habet, sed multas; ad partes vero quod attinet, & multas & unam. Unam quidem & ab initio & in origine astrorum misturam, quam solent Astrologi vocare πῆξιν.

201. Ætheris cantus) Dubium est, an Chaldæi cantum quendam verum, qui audiri possit, a cœlis, circumvolutionibus suis, editum esse; an vero symmetriam tantum eorum admirabilem se tradere hisce, similibusque vocibus, significarint. Vide v. 257. ubi harmonia metaphorice sumitur, quam significationem hic prætulerim. Consule & Proclum in Theol. Lib. V. c. 36.

IN SECTIONEM IX.

214.

Et sempiternitatem) Platonici duas durationis species esse dicebant, quarum alteram vocatum αἰῶνα αἰώνιον, quæ ἐν ἑνὶ μένει, ut loquitur Plato in Timæo, hoc est successione caret; alteram proprie χρόνον tempus, quod est alterius αἰῶνος εἰκὼ κινητὴ imago mobilis, quia cum successione labitur. Vide Proclum Lib. III. cap. 16. Æternitas videtur hic vocari πηγαῖος χρόνος fontanum tempus, quia est ita proprie dicta πηγή.

IN SECIONEM X.

215.

Oportet te festinare &c.) Vide Sect. II. Lib. I. cap. 10. Ad hunc versum alludere videtur Jamblichus Sect. II. cap. 6. ubi dicit, a Dæmonibus corpus gravari, morbisque affligi, mentem ad materiam trahi, τοὺς δ' ἐπὶ τὸ πῦρ σπεύδοντας κατέχειν περὶ τὸν τῇδε τόπον, eosque, qui festinant ad ignem, retineri circa hunccce locum.

216. Multam induta mentem) Crediderim potius hic legendum ψυχὴν πολλὴν ἑσσαμένη νοῦς, si versus hoc pateretur, animam multam induta mens, nam supra v. 132. & infra 220. νοῦς dicitur esse ἐν ψυχῇ; & apud hos scriptores, id, quod nobis ratiocinatur, νοῦς ut plurimum significat.

218. Symbola) Pletho & Psellus interpretantur τὰς τῶν εἰδῶν εἰκόνας imagines intelligibilium specierum, aut essentiam ipsam mentium, qua ab aliis differunt. Psellus, in libello de Dæmonibus, scribit Euchitas quodam unguento magico, quod describit, conatos esse expellere animo θεῖα σύμβολα, quæ dicit animis nostris non aliter inhærentia, quam sigillum aliquod regium in ædibus, Demonibus terrori esse. Sed quid sint illa Symbola, non docet.

224. Cum non possent) Legendum μὴ δυναμένων, ut referatur ad vocem σωμάτων, quod sensus manifesto postulat, non δυναμένου, ut legit Patricius.

227. *A quibus descendentibus*) Dona varia descendentium Deorum memorat *Jamblichus* Sect. II. cap. 6.

230. *Parca fatalis*) *Plato*, in Timæo, essentiam mentis ait esse ὑπερμοίριον ἐκείνων, *ultra fatum*, & similia affirmat *Jamblichus* Sect. IIX. cap. 7.

231. *Animam redeuntem*) Restitutionem hanc animæ, & reditum in priscas sedes vocant Platonici ἀποκατάστασιν, & ἄνοδον τῆς ψυχῆς. Vide *Jamblichum* Sect. I. cap. 10.

232. *Ut numerum impleat*) videntur credidisse Platonici, una anima ascendente, aliam demitti, ut certus numerus animarum hic versantium semper esset.

233. *Certe &c.*) Hic, & quatuor sequentes versus leguntur apud *Synesium*, de insomniis p. 153. Ed. Petavianæ.

237. *Mithi*) Ita scribimus, non *Mitiμίτω*, est enim pura puta vox Chaldaica, quæ mortem significat. Chaldei מיתא *mitha* mortem vocant, atque oraculorum interpres eam vocem immutatam, nisi quod terminationem Græcam ei addidit, servavit. Vocabula κρατερή ἀνάγκη apud Græcos Poetas passim morti conjunguntur, & in hisce oraculis v. 253. ζωῆς ἀνάγκη mortem denotat. Ceterum notū est, Chaldæos credidisse, per mortem homines ad superiora redire, quod sequentibus verbis hic describitur. Attamen si quis malit Græcam vocem μίτον *filum* hic quærere: & *fatale filum* intelligat, per nos licet.

240. *Ne deorsum pronus sis*) Hi versus extant apud *Synesium de insomniis*, p. 140. Edit. Petavianæ, & cum contineat eundem sensū qui exprimitur v. 51. 52. & 53. haut est absimile vero, eandem sententiam Chaldaicam ab interpretibus Græcis fuisse vario modo expressam. Monet oraculum homines debere ad superiora loca mente tendere, & id facere, quod ad ea loca assequenda postulatur, ne detrudantur in inferiora; Describuntur autem inferi infra terram, quæ fuit etiam opinio non Græcorum modo, sed quoque Judeorum, circa Christi tempora, ut docebit *Josephus* Ant. Jud. Lib. XVIII. cap. 2. Videtur tamen hoc fuisse memorandum inter Græcos & Chaldæos discrimen, quod Chaldæi locum beatitudinis non infra collocarent, ut Græci, sed supra mundum. Hinc infra terram nihil præter horrorem & tenebras esse intelligunt, ut apparet ex hisce versibus.

243. *Idolis gaudens*) Εἰδώλοισι χαίρειν idem esse apud *Homerum* ac *Umbras mortuorum* satis notum est. Credebant Græci, animabus superesse corpus tenue, quod referret pristinum, seu esset eius εἴδωλον *imago*. Chaldæi etiam existimabant, menti adesse semper corporeum ὄχημα vehiculum, quod eorum Philosophiæ Græci interpp. eodem appellarunt nomine. Videntur Judæi & Christiani scriptores, qui Numina Ethnicorum nomine εἰδώλων affecerunt, non tantum respexisse ad eorum imagines, sed ea etiam appellatione usi, quod Ethnici εἰδώλοις κενοῖς, qualia erant pleraque ficta Numina, sacra facerent. Hinc videtur etiam Paulus 1. Cor. VIII. v. 4. dixisse εἴδωλον ἐστι οὐδέν, *idolum* esse *nihil*, hoc est, evanidam umbram. *Philo* Lib. de Monarchia p. 628. Ed. Gen. ait divitias dici εἰδώλα σκιαῖς ἐοικότα καὶ φάσμασιν οὐδενὸς ἐστηκότος ἰσχυρῶ καὶ βεβαίω *idola umbris similia, & spectris, quæ nihil habent solidi neque firmi*.

247. *Paradisum*) Notum est *hanc vocem* esse Persicam, qua significatur locus arboribus consitus. Inde metaphorice dictus est locus, ubi animæ beatæ morantur; qui a Poetis Græcis & Romanis describitur etiam instar paradisi;

— *amœna vireta*

*Fortunatorum nemorum, sedesque beata.*

Forte antiquissimi Græci sub imaginibus, desumtis ex iis, quæ maxime *hac in vita* nobis placent, descripserunt *beatitudinem futuram*, non quod *eam talem putarent, sed* quod non nisi notis coloribus ignota pingere nobis liceat. Saltem Chaldæi Paradisum proprie dictum non intellexerunt, quippe qui sedes beatas supra omnes mundos collocarent. Hinc *Pletho* interpretatur ἀμφιφαῆ τῆς ψυχῆς χῶρον *undequaque splendentem animæ locum*, & *Psellus* πάντα τὸν περὶ Πατέρα χορὸν τῶν θείων δυνάμεων, καὶ τὰ ἔμπυρα κάλλη τῶν δημιουργικῶν πηγῶν, *omnem chorum divinarum potentiarum, qui est circa Patrem, & igneas pulchritudines creatorum fontium*.

248. *Animæ canalem*) Hoc est, quære unde mens tua venerit, ut, postquam servierit corpori per aliquod tempus, eo rursus contendat, unde venit. *Psellus* & *Pletho* ajunt ἱερατικήν, de qua vers. 250. ope rituum quorundam procurari creditam a Chaldæis; & similia apud *Jamblichum* occurrunt. Vide Lib. I. Sect. II. cap. 29.

250. *Sacro sermoni &c.*) *Pletho* intelligit precibus esse conjungendā *operam*, hoc est, τὴν τελετὴν *sacros ritus*. Suspicor hoc in loco esse aliquot verba corrupta, & respici potius conjunctionem mentis cum *Ratione æterna*, de qua *Jamblichus* Sect. X. cap. 6. ubi mentem

mentem ἐκτὸς πάσης ὕλης *extra omnem materiam*, ope Theurgiæ, μόνῳ τῷ ἀϊδίῳ λόγῳ συνηνωμένην, *cum sola æterna Ratione unitam* describit.

252. *Septemnios gradus*) *Pletho* hic respici fatum, quod pendet a septem planetis, & cui subiectum est corpus, atque hoc designari voce *terra*, monerique putat homines, ne nimium corporea curent, putat. Crediderim designari potius Tartara, quæ ab hominibus vitari vult oraculum; ita se gerendo, ut eos se gerere oportet, qui ad ἐμφανῆ locum pervenire cupiunt. Numerus *septenarius* graduum, per quos illuc descendi dicebant, sumitur pro quolibet alio; ut passim fit apud Orientales, qui *septies pro multoties* dicunt.

259. *Corpus servabis*) Quid intelligat oraculum per salutem corporis, satis apparet ex versu sequente. Vide *Stanlejum* Lib. I. Sect. II. c. 10. ubi verba *Pselli*, quibus hoc oraculum explicatur.

260. *Nec materiæ &c.*) Hunc versum hic inseruimus ex *Synesio* de insomniis p. 142. Σκύβαλον est vehiculum animæ, ut ex sequente versu liquet.

261. *Pars est*) Potest hic obiter observari phrasis orientalis. Vide Act. VIII. 21.

261. *Insicta anima*) Hoc est, interprete *Psello*, *figura carenti*. Idem *igneas habenas tendere*, divinis attentum esse explicat.

267. *Spes te nutriat*) Hoc ex versu videntur loquutiones, quibus utitur *Jamblichus* Sect. II. c. 6 mutuatas esse, ubi dicit *conspectum animarum purarum* καὶ ἐν τῇ ἀγγέλων τάξει ἱδρυμένων *in angelorum ordine collocatarum, salutiferum esse & reductorium, spem sacram ostendere* ἐπ' ἐλπίδι ἱερᾷ ἐκφαίνεσθαι, *& dare bona, quorum spem faciunt*.

268 *Non admittit &c.*) Hoc est, non probat, non grata sunt ei animæ desideria, priusquam oblita fuerit terrenorum. Sequentia vocabula clare explicare forte ne ii quidem, qui ea excogitaverunt, possent.

270. *Synthematis*) Hæc vox *tesseram* significat, videturque idem esse ac symbolum, hoc est, ritum sacrum, vel evocationem, certis verbis, iisque mysticis, conceptam designare. Vid. *Jamblich*. Sect. I. cap. 12 & 21.

271. *His quidem &c.*) Hi duo versus laudantur a *Synesio*, Lib. *de Insomniis*, pag. 137. Edit. Petavianæ.

274. *Neque materiæ quisquilias*) *Pletho & Psellus* hunc & sequentem versum explicant de corpore, cui ante fatum valedici nolebant Chaldæi, uti nec Platonici.

275. *Ne educas*) Est hic aliquid corruptum, ut & apud *Plotinum*, ubi hæc verba extant, *Ennead. I. Lib. IX.* initio. *Ficinus* sensum Plotini ne paraphrasi quidem satis audaci expressit.

276. *Vi corpus relinquentium*) Nempe vi aliena. Nam sibi vim inferre vetabant Platonici post Chaldæos, ut apparet ex antecedentibus versibus. Hoc autem dici putat *Psellus*, quod mens, quæ corpus cum dolore deserit, vitam abominetur, & ad superiora libens revolet.

277. *Faciles solutu sunt*) Vocem εὔλυτοι et *Pletho & Psellus* interpretantur *liberas*, nec ab alia potentia coercitas.

278. *In ilibus Hecates*) *Pletho* legit νώτοις & interpretatur *sedem animæ*, & sensum invenit nescio quem. Nempe, qui hic ingenium exercere voluerit, nunquam explicatione carebit; sed nihil debet afferri, quod non auctoritate prisca, eaque perspicua nitatur; alioqui pro Chaldæorum doctrina, nostram Lectori propinabimus. *Psellus* legit *Hecates*. Vide indicem in ea voce.

281. *Neque ingentes mensuras*) Hic versus & sequentes ad 288. plane sunt contrarii doctrinæ Chaldæorum Genethliacorum: sed consentanei iis, quæ *Lucretius* prodidit de Babyloniis, *qui Astrologorum artem convincere tendebant*; & *Strabo* de iis Babyloniæ Sapientibus, qui Genethliacos damnabant, produnt.

288. *Æetherea avium ala*) Hic versus & quatuor sequentes, contra auspicia & sacrificia, ab aliquo Sapientum genere, a vulgaribus opinionibus alieno, manasse videntur. Atque hos quidem cum primum expendere cœpi, pæne suspicabar a Christiano profectos, propter id, quod habetur Ps. L. de sacrificiis, unde videri possit desumtum initium versus 289. *nec sacrificia, nec viscera curo*: Sed cum antecedentes versus, qui omnino ex eadem vena fluxerunt, non sint Christiani; neque hos Christiani esse puto. Deinde videtur hic esse mendum: Est autem similis huic sententiæ Oracul. Sibyll. Lib. III. p. 360. Ed. Amstel. nuperæ.

289. *Nec sacrificia, nec viscera curo*) Pro τ' ὄργια *Psellus* habet τε τομαί. *Et sacrificiorum viscerumque profectiones, hæc omnia ludibria sunt*. Quæ lectio si recta est, ut mihi quidem videtur, Oracula hic aruspicinam reiiciunt, ut in præcedenti versu auguria. Ac sane potuere esse ex Babyloniis Sapientibus nonnulli, qui hæc omnia repudiarent, ut ostendimus ad vers. 281. vix ulli, qui omnia damnarent sacrificia; cum toto Oriente semper omnes populi sacrificiis

crificiis dedititissimi fuerint. Hac de ratione, *Pselli* lectionem Synesianæ, quam sequutus est *Patricius*, prætulerim. *Menander ἐν ἱερείᾳ* de sacris Matris Deum simile judicium tulit *Excerpt. Grotian.* p. 725.

*Ἀλλ᾽ ἔστι τὸ λῆμμα καὶ βίου ταῦτ᾽ ὄργανα*
*Εὑρήματ᾽ ἀνθρώπων ἀναιδῶν Ῥόδη,*
*Εἰς καταγέλωτα τῷ βίῳ πεπλασμένα.*
*Sed ista sunt commenta confidentia*
*Et impudentis ingeni molimina,*
*Ludibria vitæ denique humanæ,*
*Rhode.*

293. *Tuum enim vas*) *Pletho* corpus mortale, quod vermes rodent, interpretatur; *Psellus* vero *vas κρᾶμα dispositionem ex temperatione ortam*, *feras* Dæmones terrestres esse vult.

249. *Deflet*) Legit ita *Psellus*, at alii pro κατοδύρεται habent κατώρυκται *sepultus est*, quod sensu caret. *Psellus* vult significari veluti mugitus inferorum malos, eorumque liberos poscentium.

300. *Convolutum*) Cum agatur de apparitionibus divinis, hoc versu & duobus antecedentibus, videntur oracula monere, qua forma Dii appareant. Conferri hæc possunt cum visione Ezechielis cap. 1. qui ignis *convoluti* etiam meminit. Videndus hac de re *Jamblichus* sect. II. c. 3. & 4.

305. *Leonem*) Hæc verba videntur corrupta, nec tamen sensum *Psellus* illis deesse credidit. Putat oraculum dicere, si inter sacra Λεοντοῦχος (hoc nomen esse Chaldaicum ait signi Zodiaci, quod vulgo *Leo* dicitur) nomen protulisset quis, eum nihil visurum præter leonem. Alii legunt πάντα λέγοντα, & sensum etiam inveniunt; nec mirum, ubi pro arbitrio fingitur. Sequentia suadent legendum hic φλέγοντα, *ardentia*.

306. *Neque enim cœlestis*) *Jamblichus* sect. II. cap. 4. docet splendidissimas eas esse apparitiones, & tantam fulgere lucem, ut aliquando totum cœlum abscondat, neque sol, neque luna, neque terra stare amplius possint; quæ descriptio optime cum hoc oraculo consentit.

309. *Ne natura*) *Pletho* voce *Natura* *Deum* intelligit, cujus verba allata sunt a Stanlejo Libr. I. Sect. II. n. 30. *Facultates* rerum explicat *Psellus*. Ἄγαλμα autem dicitur phasma Dei, Angeli, Archangeli &c. a *Jamblicho*, licet figura id velit carere.

311. *Quando animas mulcentes*) Malos Dæmonas notat, qui avertunt mentem a Sacris, ne per teletas purior facta ad superiora tendat.

313. *Verum corpus*) Alii pro σῶμα legunt σῆμα, & interpretantur, falsa signa a Dæmonibus ostendi. Inter eos *Psellus*.

314. *Hecaticum turbinem*) Vide Lib. I. Sect. II. cap. 29. & indicem nostrum.

315. *Nomina barbara &c.*) Vid II. & indicem in voce *Nomina*.

319. *Per profunda mundi*) Videtur contrarium dicere *Jamblichus*, qui affirmat Sect. II. c. 4. ignem Deorum esse *individuum*, ἄτομον, nam σκιρτηδὸν, *saltuatim*, divisionem aliquam notat. Sed ex metaphoricis vocibus vix quidquam certi elicere licet, nec me intelligere fateor, quæ sequuntur apud eundem scriptorem, quæ tamen ad hoc oraculum alludere videntur; πληροῖ τὰ ἐλάχιστα κόσμου πυρὸς, ἀλλ᾽ ἀσυμπτωτικῶς. Mendosa existimo sed quæ sine MSS. ope sanari nequeant.

321. *Quando conspexeris*) Hunc versum & sequens hemistichium, quod apud *Psellum* occurrebat, *hic addidimus*. Plura oracula hic illic sparsa, apud Proclum præsertim, possent inveniri. Hoc aliud agenti occurrit Theolog. Lib. V. c. 35.

*Καὶ γὰρ δὴ πάντευχος ἐοικὼς εἶναι θεοῖσι.*

*Etenim omnibus armis instructa*
*similis est Deo.*

Ejus scripta in *Platonem* potissimum essent legenda, ea sola de causa, ut excerperentur melius oracula, quam factum a *Patricio*. Alia etiam forte ex *Damascii* opere de principiis etiamnum MS. peti possent. Interea dum hoc aliquis præstet, erimus hoc Catone contenti. Ceterum quid videatur esse *Mnizuris*, in indice diximus.

DE

# DE PHILOSOPHIA ECLECTICA.

## CAP. I.

### *De Potamone secta Eclecticorum Autore.*

P. 21. POtamonis huius non nisi tribus vicibus in tota antiquitate mentionem fieri videas, apud Laertium nempe, in Proœmio ad vitas Philosophorum, tum postea apud Suidam duobus locis, altero, quo de *Potamone* p͂p͂o agit, sed paucis, altero, quo vocem αἱρέσεις explicat, qui posterior tamen ad verbum ex Diogene Laertio desumtus est, ut nihil novæ lucis nobis accendat: quamobrem imperfectam admodum *Potamonis* historiam nobis relinqui necesse est.

*Alexandrinum* eum & Suidas, & Diogenes Laertius appellant, a patria haut dubie illud nomen ducentes, in qua etiam scholæ præfuisse videtur. Præterquam enim, quod ea ætate *Alexandriam* omne genus eruditorum confluerent, summa opportunitate ad studia, quam Ptolemæorum liberalitas comparaverat, invitati, & Bibliotheca inprimis, quæ parem illis temporibus in orbe terrarum nullam haberet; Philosophi certe, qui *Potamonis* vestigiis incesserunt, Alexandriæ maxime illustres extiterunt, continuaque eorum in illa urbe successio reperitur, quemadmodum in sequentibus pluribus
30. ostendetur.

Floruit autem hic *Potamon* paulo ante Diogenis Laertii ætatem, qui diserte *haut ita pridem* (πρὸ ὀλίγυ) Electivam quandam sectam a Potamone Alexandrino introductam esse testatur. Laertium vero sub Severo & forte infra ejus ætatem floruisse, variis argumentis usi, colligunt Viri eruditi. Post Marci Antonini tempora eum vixisse, ex eo certissime constat, quod Epictetum, qui illius Imperatoris ætatem attigit, allegaverit in Epicuro. Jonsius de Script. Hist. Phil. p. 271. sq. conf. Menag. ad Laert. p. 6, 1.

Ea igitur ætate nova adhuc videbatur exculta a *Potamone Eclectica* philosophia, & πρὸ ὀλίγυ inventa. Ast antiquiorem, quam ex illis Laertii verbis suspiceris, *Potamonem* facit Suidas, qui ante Augustum, & post eum, vixisse *Potamonem* testatur: γεγονὼς πρὸ Αὐγούστου καὶ μετ' αὐτόν. Atqui a fine vitæ Augusti usque ad ætatem Severi, cuius tempore vulgo Laertius floruisse creditur, anni effluxere CLXXIX, neque adeo illo tempore tam nova videri poterat *Electiva philosophia* a *Potamone* invecta, ut πρὸ ὀλίγυ orta dici queat, si Augusti quidem ævo ea orta fuit. Præterea scrupulum movet, quod *Potamon* ille *ante Augustum, & post eum* floruisse Suidæ dicatur: nisi dicas, a Suida non tam ætatem, qua floruit, quam qua vixit *Potamon*, spectari; nam sane toto ævo Augusteo, & post etiam, floruisse *Potamonem* philosophiæ laude, hominis fere superare ingenium & felicitatem videtur. Parum igitur abest, quin persuadere mihi patiar, liberaliter nimis indicatam a Suida *Potamonis* ætatem, emendationem Critici passam esse,

se, qui cum apud Suidam legeret πρὸ Ἀυγίσε, margini suæ al. levit μετ' αὐτὸν, quæ voces postea in textum admissæ, ut sæpe factum observamus, & cum reliquis conjunctæ fuerunt. Qua ratione melius forte se tueri poterit, quod Laertius ait, *haud ita pridem* philosophiam illam introductam fuisse.

*Scripta Potamonis* nonnulla commemorantur. Quorum præcipuum fuisse videtur allegata Diogeni Laertio στοιχείωσις. Est vero στοιχείωσις, ut bene Hesychius interpretatur, διατύπωσις vel πρώτη μάθησις, h. e. *lineamenta*, vel *prima institutio*. Quo libro nullum est dubium, præceptorum philosophiæ ex variis sectis decerptorum collectionem eum exhibuisse. Ut nihil fortassis ad ejus philosophiam penitius cognoscendam desiderari possit, si modo illi operi ad nostram ætatem pertingere licuisset.

Aliud opus ejus Suidas commemorat, εἰς πλάτωνος πολιτείας ὑπόμνημα, *Commentarium in Platonis de Republica librum:* unde Platonis inprimis eum delectatum doctrina fuisse non immerito colligas.

Fuere autem preter istum *Potamones* alii duo. Unus Rhetor Mitylenæus, Lesbonactis filius, qui Tiberii ætate floruit, & de quo apud Strabonem, Hesychium Milesium & Suidam nonnulla habemus. Alter ex Porphyrii fuit æqualibus, atque inter alios Viros illustres ejus ætatis ab eo censetur in *vita Plotini*. Strab. L. XIII. p. 919. D.

## CAP. II.

*Electiva Philosophia quid sit, & quid Potamoni occasionem dederit schola Eclectica constituenda.*

Eclectica philosophia, quam *electivam* interpretantur Lipsius atque Vossius, quæ sit, ipsum nomen affatim prodit. Clarius vero explicat ex Christianorum Philosophis Clemens Alexandrinus, qui ex hac ipsa, ut suo loco dicemus, de qua agimus, *Potamonis* Alexandrini schola prodiisse videtur. Is ubi multis in laudem philosophiæ esset exspatiatus, in *philosophiam* se omnia ista dixisse ait non Stoicam, nec Platonicam aut Epicuream, & Aristotelicam, sed quæcunque ab his sectis recte dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hocque totum electum (τοῦτο σύμπαν τὸ ἐκλεκτικὸν) philosophiam se *appellare ait:* quasi ne nomine quidem philosophiæ dignum censeret studium eorum, qui superstitiose in unius verba magistri jurare non dubitant. Et sane circa illa tempora rectius sapere incipientes haut pauci, non amplius in nomine sectæ ac magistri, ut olim factum gloriam quærebant, sed veritatem, ubicunque, lateret investigare incipiebant. Galenum certe a parente admonitum esse, ne cui se sectæ addiceret, sed omnes discendo, ac judicando de omnibus laudem quæreret, ab ipso relatum habemus: idque a se observatum esse diligenter, alibi gloriatur. Imo & inter medicos suos post ἐπισυνθετικὸς peculiare genus agnoscit ἐκλεκτὸν, vel ἐκλεκτικῶν, ut apud eum Viri eruditi legendum monent, in quibus

De Philos. Stoic. L. I. Vossius de sect. Phil. cap. ult. Strom. I. p. 288. B. π. τῶν ἀμαρτ. καὶ πα-θημ. τ. ψυχ. In introd.

bus Archigenem Apamea Syrum retulit, cujus Suidas etiam meminit, eumque sub Traiano Romæ Medicinam exercuisse docet, Philippo patre ortum, Agathini discipulum, multorumque librorum autorem, LXIII annos qui vixerit. Imo & Quintilianus gloriæ sibi ducit, quod se quidem neminis sectæ, velut quadam superstitione imbutus, addixerit. Institut. III, 19.

Hinc facile patet, *Sectæ* nomine, proprie loquendo, venire non posse genus philosophorum, qui *Potamonis* vestigiis insistentes, ex singulis sectis, ut loquitur post Diogenem Laertium Suidas, quæ placerent, tantum seligebant. Suid. Ἀρχ. Vt neque hic, neque ille audiendus sit, *sectam* facientes *Eclecticam*, quod sibi ipsi contradicere accuratius rem expendentibus apparebit. Imo non obscure illis refragatur tacitus antiquitatis consensus, quæ adeo sectam non agnoscebat *Eclecticorum*, ut ne quidem in Philosophis censeret, qui id genus philosophandi sequerentur, eo, quod sine *secta* philosopharentur. Vt bene enim ὁ πάνυ Casaubonus monet, *veterum sapientiæ magistrorum fatalis ille error omnium, si paucos excipias, fuit, ut de nomine sectæ, non de studio sapientiæ philosophos censerent. Vt mirum non sit, qui neque Zenoni, neque Epicuro, ne Platoni quidem aut Aristoteli sacramento dixisset, eum pro philosopho non fuisse habitum*. In Dionem Diatr. I. Quod ut Dioni Chrysostomo contigisse ægre fert Casaubonus, ita in causa fuisse videtur inter alia, cur minus claritatis *Potamon* consecutus fuerit, neque qui eius vestigia legerunt, æque peculiaris generis philosophorum splendore inclaruerint, ac illi, qui certum quendam magistrum sequerentur. Nisi quod qui Athenis vestigia eius legebant, Platonicorum nomine aliquanto plus celebritatis obtinuerint, cum Platonis doctrinæ fere in eorum philosophia prædominarentur. Quemadmodum & alii, prout vel Platonis, vel Pythagoræ, vel aliorum præcepta, in illa philosophiæ eorum miscela, ut cuiusvis ingenium ferret, prævalerent, in eorum fere sectis, utut a *sectandi* studio longissime recedere cuperent, censiti fuere.

In eo vero doctissimo Vossio, eumque secuto Ægidio Menagio assensum præbere non possum, quod putant Latinis *miscelliones* dictos *Eclecticos* fuisse, nixi interpretatione eius vocis a Festo suppeditata: *Miscelliones appellantur, qui non certæ sunt sententiæ, sed variorum, mixtorumque iudiciorum sunt*. Sane, quod bene observatum est Vossio, cum Græcum nomen ἐκλεκτικῶν delectum significet cum iudicio, Latina vox potius incertitudinem sententiæ, & confusionem iudiciorum, ac meram ἀκρισίαν notat. Equidem eo propendere vir magnus videtur, ut existimet a sectariis Philosophis convitii loco id nominis Eclecticis datum fuisse. *Existimo*, inquit, *ab iis, qui certæ se sectæ addixissent, miscelliones vocantos, quasi qui nullo iudicio, vel parvo pravoque, miscerent varia placita, ut imperitus coquus iura solet*. At nihil est apud Festum, quod vocem hanc ad philosophiæ studiosos referendam esse doceat: quin potius in genere homines incertæ sententiæ & confusorum iudiciorum ea significare videtur.

Quid

Quid vero occasionem dederit *Potamoni* novum illud sequendi philosophandi genus, operæ pretium est investigare. Eam partim invalescentes Scepticismi Pyrrhonii vires, partim Epicureorum in religionem, saniorem que de Deo & rebus sacris philosophiam scommata videntur suppeditavisse. Sane enim Scepticorum quidem ἀκαταληψίαν, & iactatam in rebus omnibus incertitudinem nihil magis commendare poterat imperitioribus, quam instituta placitorum philosophicorum inter se invicem collatio, quorum perpetuum bellum non posset non ridiculam reddere a dogmaticis iactatam certitudinem; quemadmodum nostra ætate eius rei cum magna ingenii laude periculum fecere ex Gallis Motthæus Vayerus in variis opusculis Scepticis, ex Anglis vero Josephus Glanuill in Scepticismo, ex collatis philosophorum, quæ hodie regnant, sententiis defenso. Paratior igitur ad Scepticismum retundendum nulla extitit via, quam ut veterum Philosophorum sententiæ & opiniones accurate inspicerentur, fundamenta atque principia, in quibus consentirent, dignoscerentur, clarius dicta obscurioribus præferrentur, atque adeo, in quibus certitudo obtineri possit, ostenderetur: reliqua vel inutilia, vel non satis certa seponerentur, vel saltem, ut magis probabile adoptaretur, quod certis fundamentis, in quibus omnes consentirent, maxime conveniens videretur. Qua via *Ammonium Saccam*, qui ex hac *Eclectica* schola fuit, in conciliando inprimis Platone atque Aristotele, quorum philosophia principatum eius ætate tenebat, incessisse, suo loco uberius ostendetur.

Sic igitur Scepticismi nervos incidere schola *Eclectica* conata fuit. Sed neque minus fortiter Epicureismo cornua obvertit. Cum enim quidquid in Poetarum fabulis, quidquid in religione vulgi, quidquid in Philosophorum libris absurde dictum de Diis inveniri posset, rebusque divinis, in rem suam impie verteret improbus Epicureorum grex, ab *Eclecticis* hisce philosophis inprimis exculta ratio *fuit*, arcanum atque reconditum *sensum* in fabulis huiusmodi, atque figmentis, quæ absurda non videri non possint menti non plane desperatæ, si ad litteram accipiantur, investigandi. Mysticarum vero huiusmodi interpretationum, auctores quæ habeant scholæ Eclecticæ apud Alexandrinos *pullos*, *Amelium* nempe, Numenium, & reliquos, dici non potest, quam ampla existat seges apud Proclum in commentariis ad Platonica scripta ut taceam earundem apud Porphyrium, Iamblichum, & ceteros philosophos Alexandrinos, quorum hodie scripta terimus exempla.

Sed neque illud dissimulandum, *Christianos* quoque hoc studium in Potamone, eiusque exemplum secutis philosophis, inprimis accendisse, & auxisse. Cum enim illis nihil facilius esset, quam fœdos & absurdos redarguere cultus, quibus misere hactenus decepti mortales, in omne genus spurcitiæ atque erroris sese immersissent, nulla alia supererat elabendi via, quam in allegorias ut verterent, quæ alia nulla ratione possent tueri. Sane

vide-

videas huic sectæ addictos philosophos, tum de rebus divinis, tum de moribus, quam accommodatissime ad religionis Christianæ indolem, & sæpe ipsis virorum divinorum verbis ratiocinari. Quod multis exemplis ex Porphyrio Iamblicho, & Proclo demonstrari posset, nisi chartæ angustiæ & temporis id nunc vetarent, ea vero etiam cuivis hæc scripta evolventi sponte sua sese offerrent.

Hæc eo facilius adducebantur, quod crassi essent, & non dissimulandi in omnibus philosophorum sectis errores, ut unum aliquem magistrum sequentes non posset satisfacere illis, qui veritatem ingenue simplicem atque nudam quærerent. Neque parum ad studium suum omnia probandi profuisse hisce Philosophis videntur ipsius Platonis, cuius præcipua apud illos autoritas erat, crebræ hortationes: *Omnino non tam quis dixerit, sed quam recte dicatur, considerandum esse* monentis. (Charmid. T.II. ed. Serran. p. 161.) Sic in Gorgia ille: *O lepidum caput, me enim rhetorico more conaris refellere, quemadmodum ii, qui in foro versantur, & adversarium conantur convincere. Ibi enim alii alios se convincere arbitrantur, cum earum rerum, quarum fidem facere volunt, multos & celebres testes produxerint: Adversarius contra aut unum tantum, aut nullum in medium produxerit. Verum hac probationis ratio nullius est momenti ad veritatem. Sæpe numero enim falsorum testimoniorum præiudiciis & multitudine quidem ipsa, & autoritate testium, qui aliquid esse videantur, potest quis convinci.* Et paulo post subiungit: *Ego, quamvis unus sim, tibi nequaquam assentiar. Non enim me rationibus cogis, sed falsis testibus plurimis adversus me prolatis conaris me e veritatis possessione, tanquam ex hereditate depellere: Ego autem, nisi teipsum testem unicum produxero mihi, in his, de quibus loquor, assentientem, nihil pretio aliquo dignum a me confectum esse arbitror; quod ad eas quidem res attinet, de quibus est sermo noster neque etiam quidquam te promoturum existimo, nisi ego solus testimonium perhibeam, hos autem omnes secure prætermittas.* (T.I.p.347.) Similiter in Protagora consentaneum esse existimat, ut *sepositis poetarum autoritatibus, de veritate, & ipsis, mutuis disputationibus experimentum capiant* philosophiæ operam navantes. Et in Critone, (T.I.p.46.) *nulli unquam suorum alii se credere potuisse* aiebat, *quam rationi, quam quidem a se animo perpensam, atque examinatam, optimam comperiatur.* Imo neque Aristoteles quem post Platonem magni faciebat schola Eclectica, (Ethic. I. 4.) aliud ipsi suadebat. *Vniversum autem*, inquit, *optimum fortasse fuerit considerare, atque examinare, quomodo se res habeat. Tametsi hac pervestigatio difficilis sit, atque ardua, cum notiones rerum antea a viris, qui in pretio apud nos sunt, acceperimus. Fortasse autem præstiterit, ideoque necesse etiam fuerit, veritatis tuendæ causa, etiam ea quæ maxime familiaria nobis sunt, tollere, Philosophi quidem si esse velimus. Cum enim & viri illi, (a quibus opiniones preconceptas accepimus,) & veritas in pretio nobis sit, religio tamen postulat, veritatem ut preferamus.* Tantum igitur abest, ut Philosophorum cen-

censu excludat Aristoteles, qui certæ sectæ nomen non dedere, quod factum a nonnullis supra querebatur Casaubonus, ut solos eos vere philosophari agnoscat.

## CAP. III.

*De jis qui post Potamonem electivam philosophiam coluere.*

Nolim sectatores *Potamonis* quærere, qui sectam habere non potuit, ut qui solam rationem ducem atque magistram agnosci vellet, atque ea præmonstrante ex omnibus Philosophorum placitis decerpi ea, quæ illi maxime placuissent. Quæ verior videtur causa, cur sectatores non habuerit *Potamon*, quam quæ Casaubono allegata fuit, genii nempe in libellis *Potamonis* defectus. Nisi sectatores eius vocare velis, qui vel viva eius institutione usi, vel exemplo excitati, vel ex lectione scriptorum eius, ad idem iter ingrediendum excitati fuere, atque eo sensu eum sectatores habuisse defendas. Quod autem ὁ πάνυ Casaubonus putat, Potamonem *Dionis* inprimis exemplo motum, eam philosophandi viam instituisse, quæ sapientiæ candidatos necessitate alieno arbitrio serviendi solutos in libertatem assereret: id parum probabile videtur. Licet enim concesserimus supra, post Augusti ætatem probabilius floruisse Potamonem: Iunior tamen Dione non est statuendus, qui Traiani ætate maxime floruit. Et si coævos cum maxime statuamus viros, probabile tamen non est Ægyptio Philosopho Dionis scripta ita innotuisse, ut inde exemplum petere potuerit. Maxime cum ut Sophista potius, quam ut Philosophus Dion hac sua libertate sit usus.

In his primas tulisse videtur Ammonius; Saccas cognomento; quod mercibus ex portu Alexandrino comportandis victum sibi quæsivisset. Is Alexandriæ docuit, & circa Imp. Commodi tempora floruit inprimis, ut aliquem ex *Polemonis* audire discipulis potuerit, cuius scripta tum quidem apud Alexandrinos minime obsoleta eum legisse in dubium vocari nequit. Eum Hierocles *divinitus edoctum* appellari prædicat, „ eiusque *sapientiam* orbi illuxisse dicit, *dum alii* sua sponte contendendi studio atque vesaniæ se addicentes, alii præoccupata opinione atque imperitia subacti, oppositis sibi invicem Philosophorum, Aristotelis maxime, & Platonis, sententiis, omnia turbarent. Hunc vero primum æstu quodam raptum ad *philosophiæ veritatem*, multorumque *opiniones*, qui magnum dedecus philosophiæ attulerant, contemnentem, utramque sectam probe calluisse, & in concordiam adduxisse, & a contentionibus liberam Philosophiam tradidisse omnibus suis auditoribus. „ Hoc tantum vero opus perfecit, „ veterum Philosophorum opinionibus perpurgatis, & resectis quæ utrinque excreverant nugis, in præcipuis quibusque, & maxime necessariis dogmatibus concordem esse Aristotelis & Platonis sententiam demonstrans. „

Quemadmodum vero Cristianus erat Ammonius, eamque professionem, ut contra Porphyrium affirmat Eusebius, ad extremum usque vitæ retinuit, ita hancce philosophandi viam Christianis pariter ac pa-

Ammian. Marc. L. ... Suid. v. Ωριγεν.

de Provid. ap. Photium. n. 214. p. 549.

Hist. Ecc. VI, 19.

ac pagania monstravit, Ex paganis illustres maxime fuere, Plotinus, Herennius atque Origenes, qui inde ex condiscipulatu coniunctim cum Plotino & Herennio vixit, ab altero Adamantio meritis & erroribus in Ecclesia tam celebri distinguendus, si eruditissimorum virorum, H. Valesii & P. Dan. Huetii standum iudicio. Hisce, paganis licet, iuxta cum philosophia sua Ammonius religionis Christianae arcana sub silentii religione communicavit, ut affirmatum P. Labbeo, & Lucae Holstenio: Sed cum illi Porphyrii nitantur testimonio, ex eo quidem perperam hoc colligi monendum est. Nihil enim aliud dicit Porphyrius, quam constituisse inter se olim Erennium, Origenem & Plotinum, ne Ammonii dogmata ederent, quae audita ab eo tanquam inprimis purgata, (quod erat Eclecticorum,) probaverant. Et Plotinum quidem stetisse promissis, familiariter quidem nonnullos excipientem, salutantes: instituta vero Ammonii secreta, integraque servantem. Erennium autem primum pacta soluisse, Erennium vero anticipantem deinde secutum Origenem esse. Quae non tam ad Cristianas doctrinas, quam philosophiae praecepta pertinere quis est, qui non videat? Verum de singulis illis Ammonii discipulis tribus verbis agendum.

Labbe de script. Eccl. T. I. p. 5 & Holsten. de vit. & script. Porphyr. p. 28.

*Plotini* quidem vitam & scripta prolixe delineatam nobis dedit ex discipulis eius Porphyrius, qui docet, a tertio decimo Severi Imperatoris anno, usque ad annum secundum Claudii eum vixisse, ab anno XXVIII aetatis philosophiae operam navasse, & postquam aliorum Philosophorum Alexandrinorum doctrina animo eius satisfacere non potuisset, annos XI Ammonium audivisse. Hinc porro ex Indorum quoque & Persarum doctrina decerpere voluisse, quae ornandae & perficiendae philosophiae inservirent, ideoque anno aetatis XXXIX exercitui, quem Imperator Gordianus in Persas ducebat, se adiunxisse, eo tamen Imperatore in finibus Mesopotamiae interemto Antiochiam evasisse Plotinum, postea, XL iam natum aetatis annos, Romam venisse. Ibi Eclecticam Philosophiam ita docuisse, ut non ex Platone tantum atque Aristotele delectum institueret. Verum & latentia dogmata Stoicorum Peripateticis miscerent, ut in libris etiam fecit. Legebantur vero in scholis eius Commentaria Severi, Cronii, Numenii, Gaii, Attici, Platonicorum; item Peripateticorum Aspasii, Alexandri, Adrasti, & quotque forte oblati essent. Familiares vero & discipulos habuit praecipuos, quos imitatores vocat Porphyrius, & a reliqua auditorum turba distinguit, *Amelium*, Tuscum, qui *Amerius* dici malebat, *Paulinum*, Scythopoliten, *Eustochium*, Alexandrinum, *Zothicum*, *Zethum*, Arabem, *Castricum*, *Firmum*, *Marcellum* item *Orontium*, *Sabinillum*, & *Rogatianum*, Senatores Romanos, *Serapionem*, Alexandrinum, & denique *Porphyrium*, Tyrium, *Malchum*, patria lingua dictum, quem etiam scriptis suis emendandis praefecit, de cuius vita & scriptis, quorum haut pauca hodie extant, luculentam habemus Lucae Holstenii dissertationem. Scripta Plotini in sex Enneadas a Porphyrio digesta, Marsilius Ficinus edidit Graece & Latine Basileae MDXXC.

Porph. p. 9

ib. p. 6.

De

De *Herennio* vix alibi mentionem invenias, quam apud Porphyrium, ex quo iam retulimus, ut in contubernio vixerit Plotini, primusque pactum de non edendis Ammonii magistri doctrinis violaverit.

Ad *Origenem* igitur veniendum. De quo, quis sit, a viris eruditis fuit dubitatum. Vt vero breves heic simus, de eo quidem dubitari nequit in Ammonii Saccæ discipulis Origenem Adamantium quoque fuisse, qui inter Cristianos insigne nomen sibi comparavit, id enim diserta Porphyrii, Eusebii, Nicephori & Suidæ loca clarius testantur, quam ut in dubium vocari amplius possit. Neque est, cur scrupulum moveat Baronio, quod Ammonio ætate fere suppar, & aliorum ipse institutioni ante XXX ætatis annum præfectus fuerit Origenes Adamantius, unde probabile non sit in discipulis Ammonii eum fuisse. (ad an. 234) Nam hisce sæpe temporibus grandes natu viri scholas Philosophorum frequentabant. Vidimusque paulo ante natum annos ad minimum XXXVI in Ammonii schola Plotinum adhuc fuisse, alia enim allegare exempla iam nolumus. Sed illa intricatior quæstio est, an solus Adamantius Origenes, an alius præter eum, Ammonium audiverit, & quis sit, qui in Plotini atque Herennii contubernio vixit. Henricus Valesius, in annotationibus ad Eusebii Historiam, geminum Origenem Ammonio operam ad audiendum dedisse scribit, alterum Adamantium, alterum Plotini contubernalem, toties in vita Plotini memora, tum, quem etiam esse censet, cuius mentio extat in fragmento ex Longini libro de fine, quod allegatæ Plotini vitæ Porphyrius intexuit. Argumenta Valesii potiora sunt ista: Adamantium Origenem, Ammonii auditorem, multam ex scriptis apud posteros gloriam fuisse consecutum a Porphyrio traditum est: At Origenem alterum, Plotini sodalem, nihil præter libellum de Dæmonibus scriptum reliquisse, docent allegati Porphyrius atque Longinus. Imperantibus præterea Gallo & Volusiano, Origenem Adamantium extremum clausisse diem prodit Eusebius. *Origenem vero alterum* sub Gallieno librum quendam scripsisse in eadem Plotini vita Porphyrius scriptum reliquit. Quibus duobus Valesii argumentis tertium addit eruditissimus Suessionensium præsul. Origenem nempe Adamantium sibi, valde adolescenti, cognitum aliquando *fuisse tra*dit Porphyrius, quod non dixisset profecto, si diuturna sibi cum illo & constans intercessisset necessitudo. (Huetius Origenian. L. I. c. I. §. 7.) Origenis autem alterius Romæ condiscipulum & æqualem fuisse Porphyrium memoriæ prodidit Eunapius. Neque imperante Philippo iter Romam suscepisse Adamantium statui potest, tam longam enim peregrinationem silentio prætermissurum fuisse Hieronymum & Eusebium credibile non est. At Origenem alterum ad Plotinum Romæ tum in scholis publice disserentem accessisse, autor est Porphyrius.

Ex hisce *Plotini* discipulis *Porphyrius* iam porro discipulum habuit *Theodorum* Asinensem, ut ex Damascio iam observatum Lucæ Holstenio, & *Iamblichum* Chalcidensem, ex Cœlesyria qui Constan- (Vit. Isid. ap. Phot. cod. 242. p. 1051. de vit. & scr. Porph. c. VI.)

tini

tini & Iuliani maxime ætate floruit: qui *magnus Philosophus*, (μέγας φιλόσοφος) Eustathio, Philosophus maximi nominis, (φιλόσοφος ὀνομαστότατος) item, *admirandus* & *divinissimus* doctor (θαυμάσιος & διδάσκαλος [illegible]τατος) Eunapio dicitur, a quo luculenter descriptam habemus in reliquis philosophorum vitis eius historiam. *Divinus Iamblichus* (θεῖος Ἰάμβλιχος) Proclo passim appellatur. Quanta fuerit Imperatoris Iuliani, eruditissimi Principis, de hoc philosopho existimatio, scriptæ ad eum epistolæ loquuntur, in quibus *optimum Iamblichum*, καλὸν Ἰάμβλιχον, & ἄνδρα τηλικοῦτον, *tantum virum*, imo *commune orbis terrarum emolumentum* κοινὸν ἁπάσης τῆς οἰκουμένης ὄφελος appellat, imo ei *tanquam patrio Deo* vota a se persoluta dicit. Is Ægyptiam & Pythagoream philosophiam inprimis diligenter tractavit, atque instituto ex ea iuxta ac Platonica delectu, Philosophiam Eclecticam magis ornatam reddere conatus est. Scripta eius sequentia inprimis commemorantur: I. est de vita Pythagoræ, quod post editionem Arcerii innumeris mendis commaculatum, egregie emendatum nuper vir eruditissimus Ludolphus Kusterus edidit. II. Adhortationes ad philosophiam, pari infelicitate ab Arcerio in lucem protractæ. III. De communi mathematica scientia, quod edere Samuel Tennulius parabat, fatis, ut puto, ne staret promissis, præpeditus. IV. In Nicomachi Geraseni Arithmeticam introductio, quem una cum libro de fato Daventriæ anno 1667. publici iuris fecit modo laudatus Tennulius. V. Liber de mysteriis Ægyptiorum, qui postquam latine iterata vice in lucem prodiisset, Venetiis ex officina Aldi Manutii cura Marsilii Ficini A. 1497. fol. tum postea Romæ Nicolao Scutellio curante in 4to, & postremo Lugduni A. 1549. & nostrorum temporum felicitate Græcum quoque textum a Thoma Gale eruditis notis illustratum videre licuit. Denique VI. Collectio Pythagoricorum dogmatum, cuius Syrianus in meteora Aristotelis meminit, & quem nuspiam apparere Samuel Tennulius ait. Nescio an fuerit in *omnibus illis Iamblichi scriptis*, quæ simul in lucem se producturum promiserat Lucas Holstenius, eo vero ordine se editurum pollicitus fuerat Galeus, quo ab autore ipso erant digesta. Discipulos habuit hic Iamblichus maxime illustres, in quibus porro scholæ Eclecticæ fuit conservata successio: *Sopatrum* Syrum, in aula Constantini primum amplissimis honoribus auctum, post capite mulctatum, ut Eunapio relatum & Sozomeno, *Ædesium*, & *Eustathium* Cappadoces, cuius posterioris coniux *Sosipatra*, Chaldaicæ sapientiæ mysteriis initiata, eruditione virum quoque superasse dicitur, & *Theodorum* atque *Euphrasium*, Græcos, quos quidem omnes recenset Eunapius.

In his *Ædesii* inprimis illustris fama fuit, clarissimique ex eius schola viri prodierunt. Nam ut taceam sociam eum operam *Sosipatra* præbuisse, in instituendis apud Pergama, quos ex Eustathio perpererat liberis, in quibus illustris adeo extitit *Antoninus*, qui Alexandriæ usque ad Theodosii tempora Eclecticam Philosophiam professus est:

Eust. Il. B' f. 211.

in Plat. Theol. L. 1. c. 2. 3.

ad Iambl. Introd. p. 59. la.

vita Porphyr. c. 1.

vit. Ædes. p. 36. sq. H. E. l. 7.

vid. Eunap. Ædes. pag. 56. sqq.

Eunap. Ædes. p. 67. ib. p. 75. sq.

est: *Crysanthius* quoque Sardianus, *Priscus* Thesprotius, *Eusebius* Myndius, & *Maximus* in eius schola profecere. Imo Imperatorem *Iulianum*, partim ipse instituit *Ædesius*, partim discipuli eius, initio quidem *Chrysanthius*, & *Eusebius*, postea vero *Maximus*, cui quod præcipue a *Proaresio* sibi esset commendatus, unice fere postremo ille Imperator adhæsit: eumque magis, quod istis Iamblichi discipulis adhæsisset, quam quod ipse a Iamblicho fuisset institutus, Iamblichi vocari discipulum a Gregorio Nazianzeno ego quidem existimem. Ceterum quid in illa disciplina profecerit Iulianus, Oratio in *Regem solem* loquitur, tota Eclecticæ philosophiæ indolem spirans, adeo referta & mysticis fabularum explicationibus, & sublimibus philosophiæ Ægyptiæ, Chaldaicæ, Pythagoreæ, & Platonicæ doctrinis.

id vit. Maximo p. 83. 84.

Eunap. in Maximo p. 85. sq.

A *Chrysanthio*, *Iamblichi* philosophia, h. e. Eclectica, imbutum se fuisse fatetur *Eunapius*, eis temporibus, quibus ob varium genus magicarum superstitionum, (eis enim indulgere illi Philosophi inde a Iamblicho inprimis cœperant,) non satis tuto illi vacare per edicta Imperatorum liceret. Vidit autem *Eunapius* iuvenis ipsum quoque *Proaresium* LXXXVII annorum senem, *Maximum* vero iam senem etiam audivit. *Chrysanthium* tamen constanter secutus, eum præcipuum in hoc genere philosophiæ præceptorem habuit. Floruisse autem *Eunapium* post Theodosii tempora, ex ipso colligas licet in vita *Ædesii*, ubi de Theodosii Imperio, tanquam re præterita,

vit. Ædes. p. 36. it. vita Chrysanth. p. 186.

vi. Proær. & Maxim.

p. 76.

loquitur, & quidem non nuper præterita: quæ Canobicis templis contigisse refert, facta esse inquiens, Θεοδοσίε μὲν τότε βασιλεύοντος, *regnante quidem tum temporis Theodosio*. Post hæc tempora Eclectici apud Alexandrinos floruere *Syrianus*, de quo mox plura, Hierocles, Plutarcho apud Athenienses philosophanti coævus, de quo cur plura hic addamus, non est, postea, quæ luculenter Jonsius, Pearsonus, & Dacerius nuper commentati fuere: & *Olympiodorus*, Hieroclis coætaneus & in Procli præceptoribus clarus, qui paulo post plura de eo dicendi occasionem nobis suppeditabit, videri interea de rebus eius potest Ionsius. Ab ea vero ætate Eclecticæ scholæ propagines in urbe Atheniensium inprimis radices egisse observantur.

de script. hist. Ph. III. 16.

Sane enim, quæ Platonicorum recentiorum apud *Athenas* nonnullis est schola, nihil aliud est, quam Eclecticæ scholæ, apud Alexandrinos potissimum florentis, ramus. Certe *Syrianus*, patria Alexandrinus, non Gazæus, ut perperam affirmatum a Ionsio, eam in patria philosophiam excoluit, secumque Athenas attulit, imo inter optimos fuit Iamblichi discipulos & sectatores, iudice *Isidoro*, qui ei propterea maxime adhæsit, ut ex Damascio refert Suidas. Imo eius quoque præceptorem *Plutarchum*, Nestorii filium, inter *Iamblichi* discipulos refer Lucas Holstenius, quod tamen unde acceperit, nescio. Mihi quidem *Pyrianus* in Platonis inprimis philosophia præeunte *Plutarcho*, qui eam Athenis docebat, uberiores profectus cepisse videtur, eam vero *Pyrianus*, cum

de script. III. 16.

v. Συρ.

v. Πλουτ.

de vit. & script. Porphyr. p. 16.

Orphei

Orphei & Pythagoræ philosophia inprimis componebat, imo & ex Chaldaicis Oraculis diligentius, quam antea factum, petiisse, quæ ad sublimiorem sapientiam spectarent. Sane inter ceteros eius libros a Suida recensitos, consensus Orphei, Pythagoræ & Platonis, item de Orphei Theologia, & de oraculis libri X inveniuntur. Quos tamen eosdem *Syriano* adscriptos libros Proclo alibi tribuit idem Suidas, Syriani discipulo. Quæ ita conciliandа esse patet, quod ex Syriani ore præcipua omnia, quæ libri illi complecterentur, *Proclus* excepisset, quemadmodum id de libris X in oracula testatur Marinus in vita Procli c.25. & de commentariis in Theologiam Orphei cap. 27. Sed neque Aristotelis doctrinas neglexisse *Syrianum*, ex commentario eius in Metaphysicam Aristotelis colligi potest, qui Venetiis editus est latine ex versione Hieronymi Bagolini, & Græce occurrit in variis Bibliothecis Italiæ, & a Luca Holstenio Bibliothecæ Joanneæ apud Hamburgenses fuit illata. Fragmenta eius librorum insignia a Proclo passim scriptis suis intexta leguntur. In discipulis *Syriani* a Damascio laudatur *Hermias* Alexandrinus, cuius uxor *Ædesia*, cognata Syriani, philosophiæ studiis etiam incubuit. Idem Damascius cum Suida & Marino Domninum *Syrum* quoque in discipulis *Syriani* censent; quibus postremo *Proclus*, denique etiam, Lycius accedit.

v. Ἡρακλ.

ibric. rale- m. in oc l.c. II.

Photi 54.

Procli, 5.

Hic *Proclus* natus est, ut accurate annos eius computavit, vir. cl. Io. Alb. Fabricius A.C. 412. d. 8. Februarii, mortuus CXXIV post Julianum τὸν παραβάτην annis, adeoque A.C. 487. Inter discipulos *Syriani* maxime illustris fuit, quamvis & *Plutarchum* perbrevi tempore audiverit, quippe qui non diu, postquam Athenas *Proclus* venisset vitam finiverit, imo & *Olympiodorum* Alexandriæ audivit, imbibendæ peripateticæ philosophiæ causa ut in vita Procli Marinus refert. Forte quod in delectu suo reliquis præferret Aristotelem hic Eclecticus, nam alias Platonem quoque eum admiratum fuisse discimus ex Isidori Pelusiotæ ad eum epistola, que est Libri II^di CCXIV. idque loquuntur plurima eius in Dialogos Platonicos, Phædonem, Gorgiam, Philebum, Alcibiadem primum commentaria, quæ in membranis adhuc latere docet Labbeus, in libello de Græcis Platonis & Aristotelis commentatoribus, ubi & eius commentariorum in Meteorologica Aristotelis, ab eo iuvene scriptorum mentionem fecit. Sed omnia tamen *Syriano* se debere professus est Proclus, quamvis & alios audivisset, eique in schola Atheniensi successit. Adeo vero in *eclectica* illa philosophandi ratione profecit, ut non Ethnicorum tantum philosophorum, sive Græcorum, sive Barbarorum, sententias diligenter compilaverit, Pythagoræ, & Platonis inprimis, Orphei item & Chaldaicorum oraculorum: sed etiam Christianorum, quos tamen peculiari scripto impugnavit, cogitata expresserit & sectatus sit: quod disertis verbis proditum veteri scriptori apud Suidam, qui Dionysii Areopagitę θεωρήμασι eum usum esse testatur, ἱστέον, inquit, ὅς τινες τῶν ἔξω σοφῶν, καὶ μάλιστα Πρόκλος θεωρήμασι πολ-

c. 10 vit. Procl.

leg. Marini n Pro. 6.

v. Are- nae.

συλλέξεις τοῦ μακαρίου Διονυσίου χρῆται, καὶ αὐταῖς ταῖς δὲ ἐκείνου λέξεσι. Sciendum autem est, quosdam ex profanis sapientibus, praecipue vero Proclum, saepe theorematis B. Dionysii, & interdum nudis ejusdem verbis usos esse. Verum ea de re, in Eclectica schola observata peculiari capite mox plura.

De vita Pyth. c. VII. p. 26. De Procli huius scriptis, quorum haut pauca ad nostram aetatem venere, legi merentur, quae ad calcem vitae eius, a Marino conscriptae, commentatus est, paulo ante laudatus vir eruditiss. Joannes Alb. Fabricius: qui & in prolegomenis ad idem opus de aetate, gente, magistris, & successoribus Procli egit ex instituto. De virtutibus vero eius, & rebus gestis prolixus est, *Marinus* in vita modo allegata, & a laudato viro eruditissimo integritati suae restituta.

*Procli* auditores innumeri fuisse dicuntur, ex quibus praecipui commemorantur *Hermias*, Procli apud *Arianum* condiscipuli, filii duo, *Heliodorus* & *Ammonius*, *Plutarchi* item filius, *Hierius*, tum porro *Asclepiodotus*, *Zenodotus*, *Severianus*, *Ulpianus* Gazaeus. In his tamen maxime celebrantur, *Marinus*, vitae Procli autor, qui magistro suo in schola Atheniensi successit. Is Flavia Neapoli, urbe Phot. p. 361. Samariae, prope montem Garizim ortus fuit, indolemque Eclectici philosophi retinuit, nam iuxta eum Platonis philosophia, quam inprimis excolere solebant eius scholae viri, aliorum quoque philosophorum doctrinas coniungebat, atque eo spectasse Ζητήματα φιλοσόφων, *Quaestiones philosophorum*, quarum apud Suidam mentio extat, dubitare nolim. Eodem spectant electi loci Commentariorum Syriani in Orphica carmina, quae Proclus ipsi roganti annotaverat, ut ipse refert in vita Procli, imo & *Isidorum* discipulum suum Aristotelica philosophia imbuisse dicitur Damascio & Suida. p. 46 Quae enim in Platonis Philebum & Parmenidem commentatus fuit, & testibus iisdem ea nunc taceo. Illum quidem in *sublimiori* philosophia maximos profectus non fecisse, tam ex dictis *eius*, quam ex scriptis colligi *posse* Damascius apud Photium *ait*: *En verba eius*: πλὴν Μαρίνου ἐξ ὧν διελέγετο καὶ ἐξ ὧν ἔγραψεν (ὀλίγα δὲ ταῦτά ἐστι,) δῆλος ἦν οὐ βαθεῖαν αὔλακα τῶν νοημάτων καρπούμενος, ἐξ ὧν τὰ σοφὰ βλαστάνει θεάματα τῆς τῶν ὄντων φύσεως. Nihilominus in schola & cathedra Atheniensi Proclo successit *Marinus*, plura de eo paulo ante *laudatus cl.* Fabricius collegit ad vitam *Procli* prolegomenis. Discipulos Marinus varios habuit, ex quibus commemoratur *Agapius* apud Suidam.

pag. Post *Marinum* scholae principatus ad *Hegiam* delatus fuit, quem tamen ille cum respueret, scholae praeesse *Isidorus* coepit, ipsius *Procli*, & post eum *Marini* auditor. Eum in disciplinis philosophicis se exercuisse, & sacrorum valde studiosum fuisse ex Damascio, ut credere par est, tradit *Suidas*. Eidem videtur vita philosophus, scientia vero non satis excultus, in Dialecticis inexercitatus magis, quam hebes. Eius nullum commemoratur scriptum, ex quo de indole ipsius philosophiae coniecturam facere liceat.

*Isidoro* denique in hac schola successit

cessit *Damascius*, Damascenus, eius & *Asclepiodoti*, qui Proclum audiverat discipulus, ut ex ipso *Damascio* apud Photium colligitur. Hic Imperatoris Justiniani aevo floruit, ut apud Suidam. Eum vero, cur Στωικὸν philosophum Suidas faciat, non patet, ut fere suspicio sit ἐκλεκτικὸς pro Στωικὸς apud eum substituendum esse. Sane id & praeceptores ejus nobis persuadent, & ὑπομνήματα in Platonem, quorum apud Suidam mentio, cujus philosophiam inprimis ornare & perficere *Eclectici* satagebant. Imo & ex fragmentis historiae ejus philosophicae, quae apud Photium habemus, illi generi philosophiae eum addictum fuisse, facile colligas. Cujus indolem eum etiam in libro περὶ ἀρχῶν expressisse dubitare nolim, quem in variis bibliothecis obvium, in lucem publicam protrahere in Gallia viros eruditos voluisse fama fuit. Ὁμιληταὶ h. e. ut vertit Interpres Suidae *familiares*, quod forte *discipulos* rectius interpreteris, *Simplicium* habuit, & *Eulalium*, *Phrygas* ambo: quos proinde in Eclecticis censendos omni iure existimem.

Quamvis vero hac ratione successio scholae Eclecticae inde a *Proclo*, per *Marinum* eiusque discipulos fuerit continuata. Illustres tamen alii quoque *Procli* discipuli fuere, atque ipsi quoque auditores habuere, nominis celebritate conspicuos. Quem supra enim in *Procli* discipulis commemoravimus *Ammonium*, Hermiae filium, *Simplicius*, audivit, & *Asclepius Trallianus* ut observatum Jonsio, quamvis unde id ipse acceperit, mihi non satis constet. Apud Suidam, ut modo observatum, *Simplicius Damascii* ὁμιλητὴς vocatur. Et sane Eclecticum eius studium, ut passim probant eruditi ad Aristotelem commentarii; ita allegasse sufficiat, posita in conciliandis veterum Philosophorum de principiis rerum sententiis quas sibi invicem in I. ἀκροασ. φυσ. opposuerat Aristoteles, opera. Sed & *Ioannem Philoponum* inter *Ammonii* discipulos refert Jonsius, eamque in rem Leontium in libro de Sectis allegat.

## CAP. IV.

### De Christianis Eclecticam Philosophiam sequentibus.

Ipsum *Ammonium* Saccam, insigne Eclecticae philosophiae fulcrum, Christianum fuisse supra monitum fuit. At jam ante eum hocce philosophandi genus Christianis Patribus placuisse existimem. Sane diserte id sese secutum esse *Clemens Alexandrinus* fatetur. Is enim neque Stoicam, nec Platonicam & Epicuream, aut Aristotelicam doctrinam philosophiae nomine dignatur. Sed quaecunque ab his sectis recte dicta sunt, quae docent iustitiam cum pia scientia, hocque totum (τοῦτο σύμπαν τὸ ἐκλεκτικὸν) philosophiam appellat. Virum igitur, patria Alexandrinum, vel saltem, si, ut visum nonnullis, Atheniensis fuit, Alexandriae diu versatum, & in Alexandrina Christianorum schola catechetam, quam in ea urbe didicerat, & quam unice sese amplecti ait, philosophiam in schola sua docuisse, dubium non est. Sane enim Christianae fidei articulos prius tradere haud solebat, quam philosophiae praeceptis ani-

Marginalia: Cod. 242. — Libr. Procl. ad vit. Procli p. 10. — Script. hist. ph. p. 302. — Lib. v. — Strom. I. p. 288.

animos refractarios ad eos recipiendos præparasset. Quemadmodum enim terram prius rigant agricolæ, deinde semen iniiciunt, ita etiam se fatetur eo, quod bibi potest ex Græcorum scriptis, id, quod esset in auditoribus suis terrestre, prius irrigare, ut suscipiat spirituale semen, quod deiicitur, & id facile possit alere.

Strom. I. p. 27[?].

At ab *Alexandrino Clemente*, qui versus seculi II. exitum floruit, Ammonio Saccæ suppar ætate, ut cum eo commercia illi fuisse non sit vero absimile, altius, forsan adscendere possis. Si *Clementem* ætate præcessit, ejusque preceptor fuit *Pantænus*, quod acriter tamen nuper in notis ad fragmentum Philippi Sidetæ impugnavit H. Dodvvellus, coætaneos esse Pantænum atque Clementem contendens. Hoc certum est, Dodvvellus Pantænum neque ipse neget antecessorem Clementis in schola Alexandrina extitisse. Philosophum vero eum fuisse, unanimis veterum consensus nos dubitare haut sinit. Eum quidem Stoica inprimis philosophia animum imbuisse tradit Eusebius, forte quod eorum doctrinas, maxime ad mores hominum spectantes, ut Hieronymo observatum, propius ad disciplinæ Christianæ severitatem accedere animadverteret. Neque tamen Eusebius in dogmatibus Stoicorum unice eum acquievisse docet, verum contrarium potius innuit, dum ab institutione Stoicorum eum impetum tantum, & quasi initia philosophandi cepisse, ait, ἀπὸ φιλοσόφου ἀγωγῆς τῶν καλουμένων Στωϊκῶν ὁρμώμενον. Non mirum igitur, a philosophiæ genere, quod primum adamare cœperat, & quod, delectu ex aliorum philosophorum scriptis habito, magis magisque exornavit: cum quibusdam notatum fuisse. Sane enim ita fieri solebat, ut Eclecticorum philosophorum Aristoteli alius, alius Platoni, alius Stoicis primas deferret, ex reliquis vero supplere, quæ deessent atque perficere laboraret. Unde fieri potuit, ut *Damascius* quoque a Suida inter *Stoicos censitus fuerit*, quem tamen in successione *Eclecticorum* Atheniensi *locum* sibi postulare, in *dubium vocari* nequit.

H. E. V, 10.

Comm. in Ies. XI.

*Origenem* Adamantium inter Ammonii Saccæ discipulos fuisse iam alia occasione fuit ostensum, qui *Eclectica* scholæ indolem non tantum in scriptis suis ubique expressit, verum & in omnes discipulos, suos, *quorum vasta sane fuit multitudo, transfudit*. Huius ille philosophiæ sacris haut dubie a Clemente Alexandrino primum initiatus fuit, in cuius schola rudimenta philosophiæ didicit. Hocque magis præparato animo ad scholam Ammonii Saccæ se contulit, qua de re cum supra pluribus iam fuerit actum, nihil nunc addo. *Ipse* vero deinceps semper *Eclecticæ* scholæ indolem sectatus fuit, quod testatur ex discipuli eius maxime illustris Gregorius Thaumaturgus, qui ita se ait cum condiscipulis suis ab Origene ad philosophiam institutum fuisse, ut omnia, quotquot extant, veterum tum Philosophorum, tum Poetarum scripta colligentes, nihil omnino reiicerent, nihilque repudiarent, præter ea, quæ impiorum ho-

Huet. Origen. l. [illegible]

Orat. Paneg. ad Origen. p. 69. ... de p. 12.

hominum essent, & profanorum. Cetera omnia evolvi, legique sic oportere, ut nec genus ullum, nec liber, sermone præferatur, neque contra reiiciatur sive Græcus, sive Barbarus, sed omnes audiantur. Similiterque Porphyrius testis est, Origenem Pythagoricorum scriptis delectatum fuisse, & Stoicorum quoque adhibuisse libros. Unde merito illustris Huetius concludit, non tam Platonicum vel Pythagoricum, quam *Potamonicum* dici Origenem debere. Post *Origenem* vero non ejus discipulos tantum, sed plerosque Patres omnes Eclecticam hancce philosophandi rationem amplexos videas. Quam ut pluribus commendat loco allegato Gregorius Thaumaturgus, ita seculo a C. N. IV. in ea commendanda solicitus est Lactantius: *Quare oportet*, inquit, *in ea re maxime, in qua vitæ ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio, ac propriis sensibus niti ad investigandam, & perpendendam veritatem, quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt, quia si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est tanquam lux & claritas solis: quia ut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere, idest veritatem quærere omnibus sit innatum, sapientiam sibi adimunt, qui sine illo judicio, inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito, non putant, fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur: aut illi desipuerint, quia majores nominantur.*

vit. Plotin.

Origen. l. c. ex. §. IV.

Div. Instit. L. II. c. 8.

## CAP. V.

### *Eclecticorum philosophandi methodus & doctrina.*

PRæcipuum in Schola Eclectica fuisse *doctrina Logica* studium, & κριτηρίον veritatis, credere par est, cum peculiare id fuerit huic sectæ, ut omnibus aliis usu atque institutione recepta sub examen revocaret.

Cumque primum studium *Eclecticorum* fuerit, conciliare, quæ in speciem tantum sibi adversari viderentur Philosophorum sententias, quemadmodum eorum illustrissimos quosvis in eo studio occupatos fuisse vidimus supra: ita nullum dubium est, magnam doctrinæ *de interpretatione* eis curam fuisse: Veroque est simile, hac parte Aristotelis inprimis & Stoæ præcepta, quæ in vocibus maxime solebat ἀμφιβολογεῖν, eos secutos fuisse. Imo & alias, ut Gregorius Thaumaturgus, *Eclectica* philosophia innutritus, ait, multa ceu illustria per se, & honesta, sub speciosis *vocibus* in aures nostras tanquam vera se insinuare solent, quæ prava & falsa cum sint, suffragium tamen a nobis ferunt veritatis, cum postmodum vitiosa & nulla fide digna deprehendantur, veritatem incassum simulantia. Alia contra honesta prorsus ac minime fallentia, sed probabilibus verbis non expressa, paradoxa, & omnino

Or. Paneg. in Origen. p. 63.

nino incredibilia per se visa, pro falsis reiici, immeritoque per contumeliam explodi solent, quæ postea considerantibus atque investigantibus accuratius, omnium verissima, omnique exceptione maiora esse appareat. Hanc ob causam in Origenis schola Gregorius partem animæ suæ, quæ circa voces sermonemque judicium exercet, secundum rationem eruditam fuisse ait: non secundum Rhetorum artem, si quid Græcanicum aut Barbarum voci insit, sed secundum artem omnibus hominibus apprime necessariam, si quidem omnibus, de quacunque re sermo instituatur, curæ sit ac studio non decipi.

Verum cum non ex verbis tantum perturbatio existat mentem in veritate cognoscenda impediens, sed res ipsæ quoque veniant diiudicandæ; de κριτηρίοις veritatis dispicere præcipua fuit Eclecticorum cura. Ea igitur duo, testibus Laertio & Suida in institutione sua agnovit Potamon: τὸ μὲν ὑφ' οὗ γίγνεται ἡ κρίσις· τοῦτ' ἔστι τὸ ἡγεμονικόν, h. e. *unum illud a quo judicium peragitur, atque id ipsum esse mentem, vel rationem*, quam ἡγεμονικὸν vocat. Qui quicquid clare distincte atq; evidenter repræsentatur, id verum esse oportere censebat. Alterum κριτήριον esse dicebat, *per quod judicium fiat*, id est certissimum visum, (τὸ δὲ δι' οὗ, οἷον τὴν ἀκριβεστάτην τῶν φαντασιῶν) per quod non video, quid intelligi possit aliud, nisi clara impressio in mentem per sensus facta: quæ si ἀκριβεστάτη sit, quod iudicare mentis est, in dubium amplius vocari nequeat.

Laert. l. I. & Suida v. Π. In rerum naturalium scientia *Potamonem* quidem rerum universarum duo tradidisse *principia* constat, *patiens* alterum, quod est materia, alterum *agens*, quod ποιοῦν vel causam effectricem vocabat. *Affectiones* vero corporum naturalium duas agnoscebat, *qualitatem & locum*. De singulis enim rebus naturalibus quæri, *ex quo* sint, quod ad materiam spectat, & *a quo sint*, quod spectat ad causam effectricem, & *quomodo* se habeant, id est, quæ sint eorum qualitates, & in *quo sint*, hoc est quis sit locus eorum.

In moralibus *finem*, ad quem omnia referantur vitam dicebat *esse* omni virtute perfectam, *non tamen* absque bonis corporis, bonisque externis, quæ quidem virtuti conveniant. Hinc quatuor virtutes cardinales, temperantiam, justitiam, prudentiam & fortitudinem, variis gradibus ejus asseclæ distinguebant, vel ut *Physicas* enim illas virtutes spectabant in corpore, eiusque apta temperie, vel ut *Ethicas atque politicas*, quales sint in viro honesto, vel ut *purgativas*, quales sint eius, qui animo per philosophiam defæcato, ad sublimiora contendat, vel ut *Theoreticas*, quales sint animi in contemplatione beati, quibus alii *Theurgicas* addunt, quibus miracula patrarent; Et *divinas* denique, quibus plane fors humana excederetur. De quibus pluribus ex Jamblicho, Plotino, Porphyrio, Hierocle, Marino, Simplicio & reliquis dicere poteramus, nisi & temporis angustiis nunc excluderemur, & operam illam jam ita pridem occupasset, vir eruditiss. Jo. Alb. Fabricius in P. III. prolegomenorum ad Marini vitam Procli.

Ceterum mox doctrinam Ecclecticæ scholæ omni ex parte cohærens conficere facile haud fuerit

Cum

Cum enim cuivis librum in hac schola fuerit ad quoscunque liberet fontes exspatiari, atque inde derivare, quæ maxime ad palatum essent, non facile *Eclecticum* cum *Eclectico ita* consentientem invenias, ut doctrina eorum *σύστημα* inde consti-queat. Prædominatur tamen fere in doctrina eorum Platonica & Pythagoræa sapientia, cui Ægyptiaca quædam & Chaldaica, imo etiam Christiana haut pauca admista fuere. Sane ex Christianis fontibus permanarunt, pleraque Iamblichi, Porphyrii, Procli dogmata, ea præsertim, quæ de sensuum fuga, affectuum *περιαιρέσει* & crucifixione, mentis elevatione in Deum adeo luculenter disseruerunt. Huic vero veterum, & ex parte Christianorum opinionum farragini luxuriantia ingenii commenta admiscuerunt, unde passim sibi ipsis *Eclecticos* hosce contradicere videas.

## CAP. VI.

*Quid Christianis hoc philosophiæ genus commendaverit. Quid commodi item & noxæ ab eo sint passi.*

Vidimus ipsos Christianos philosophiam *Eclecticam* inde a natalibus fere suis cupidissime esse amplexos. Quid vero eam tantopere illis commendaverit, jam dispiciendum. Hoc igitur primo non dubitem mature eos animadvertisse, nullam sectam esse philosophorum, quæ conciliari ex toto cum religionis Christianæ mysteriis valeret. Animos tamen hominum Christianæ religionis sacris conciliare studebant, sanioris philosophiæ ab ipsis paganis excultæ principia insinuando. Quod Clementem Alexandrinum inprimis, & Origenem diligenter esse conatos, observavimus. Hinc quas ex uno alioque philosophorum derivare non diceret veritates, ex omnibus conquisivere, ut ita, prout Clemens aiebat, *terram prepararent bono Evangelii semini recipiendo*. L. I. Str. c. 18. Egregie Eclecticorum Christianorum mentem explicavit Lactantius, *Docemus*, inquit, *nullam sectam fuisse tam deviam, nec philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa, defendunt, aliorum etiam vera, subvertunt; non tantum elapsa illis veritas est, quam se quærere simulabant; sed ipsi eam potissimum suo vitio perdiderunt. Quod si extitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos, per sectasque diffusam colligeret in unum, ac redigeret in corpus, IS PROFECTO NON DISSENTIRET A NOBIS. Sed hoc nemo facere nisi veri peritus ac sciens potest. Verum autem non nisi ejus scire est, qui sit doctus a Deo. Nemo enim potest aliter repudiare, quæ falsa sunt, eligere ac probare, quæ vera; sed si vel casu id efficeret, certissime philosopharetur; & quamvis non posset divinis testimoniis illa defendere, tamen ipsa se veritas illustraret suo lumine. Quare incredibilis est error illorum, qui, cum aliquam sectam probaverint, eique se addixerint, ceteras condemnant, tanquam falsas & inanes*, &c. Instit. VII. 7.

Quemadmodum vero stabiliendæ religionis, a qua ex principiis concessis aliis persuadendum aliquando, iis tum adjumenti attulisse hanc philosophandi rationem dubium non

est; ita diffiteri tamen etiam non possumus, incaute nimis admissas in doctrinæ Christianæ corpus quam plurimas philosophorum sententias, haut parum simplicitati Christianæ detrimenti attulisse. ... confusasque Platonicas, Aristotelicasque, & Pythagoreas notiones cum doctrinis Christi & Apostolorum vario generi erroris in Ecclesia origines dedisse. Quod ex historia hæresium non tantum, sed etiam patrum privatis sententiis demonstrari posset, si modus disserendo adhibendus non esset, resque aliunde liquido non constaret, quis nescit enim Marcionitarum de materiali natura in se mala, Valentinianorum Æonas, Origenis errores plerosque tale initium habuisse, ut alia innumera taceamus.

In primis veros allegoriæ, quas non in Poetarum tantum figmentis consectabantur Eclectici, sed in philosophorum quoque scriptis, quemadmodum eius rei specimen in Timæo Platonico, Proclus dedit, ita placuere Christianis, ut in scripturis quoque interpretandis eas imitandas censerent. Hacque ex parte Judæos quoque in Ægypto habitantes, & Therapeutarum nomine Philoni celebratos, imitatores habuere *Eclectici*, inter quos illud allegoriarum studium maxime floruisse ex Philone Eusebius refert. Totos nimirum, ille ait, dies in meditatione philosophiæ traducere solitum ipsis fuisse, & in præceptis sapientiæ, sibi traditis allegorice explicandis, quippe qui verba esse existimarent signa rerum abditarum, quæ allegoriarum ope sint eruendæ. Ipsasque adeo scripturas figurate eos per allegorias explicasse. Universam quippe legem viris illis animali similem esse videri, & corpus quidem esse ipsa verba: animam autem delitescentem & occultum sensum, qui aspectari non possit. Ipsos vero hos Judæos, si non primum acceperunt ab Eclecticis, in Ægypto prodeuntibus, illam interpretandi rationem, saltem ipsis præeuntibus ulterius excoluisse, vero non est absimile. Philonem saltem Judæum, qui circa Potamonis tempora floruit, & hancce interpretandi scripturas rationem cum *philosophia* in primis Platonica coniunxit, in patria sua, urbe Alexandrina, cum eius scholæ philosophis commercia habuisse, dubitare vix licet. Ex Christianis vero eam interpretandi viam Origenes inprimis amplexus fuit, quam ex Eclectica schola in Ecclesiam studia protrusisse, *ostensum est*. *Eum* vero reliquis patribus eius interpretandi rationis exemplum fere dedisse, notius est, quam ut pluribus heic probari debeat.

## CAP. VII.

*Quam multa Eclectici Pagani ex Christianis Sacris in sua Scripta derivarint & qua de causa.*

INde ab *Ammonii Sacca* temporibus, Christianis qui initiatus erat sacris, multa ex disciplina Christianorum Eclecticos philosophos reliquis sapientiæ suæ placitis adtexuisse, jam alia occasione monuimus. Sane negantur, qui quas in horum philosophorum scriptis inveniunt præclaras

claras doctrinas, de *morte* philosophica, corporis & sensuum fuga, de cura animi item & de mentis cultu, ex eorum ingenio profecta putant; a Christianis vero in usus suos versa fuisse. Hoc certum est, ipsius scripturæ φράσιν adeo exacte referre, pleraque illa, quæ de talibus illi philosophi habent, ut ex illis fontibus ea derivata esse dubitari vix possit.

Id vero æmulatione factum Religionis Christianæ manifestum est, ne quidquam scilicet deesse Philosophiæ videretur eorum, quibus illa sese maxime hominum animis commendare deprehenderetur. Sane enim ea doctrinæ morum indoctissimis quoque hominibus in religione Christianæ puritas deprehendebatur, & innocentia, ut non posset non animos eorum ducere, & convincere conscientiam. Neque sane alios facile in ornandis spoliis hujuscemodi philosophia diligentiores reperias, quam qui infensissimo erant adversus Christianos animo. Certe Julianus, Porphyrius, & Proclus, quos peculiaribus scriptis Christianissimum impugnasse notum est, diligentissimos fuisse imitanda doctrinæ morum & institutis eorum fuisse, scripta ipsorum loquuntur.

Eadem de causa factum puto, cur *Theurgia* sive sublimi patrandi admiranda virtuti tantum ab eis impensum operæ fuerit. Ut haberent scilicet, quod Christi & Apostolorum miraculis opponerent, a quibus Christianæ religioni tantum accessisse auctoritatis intelligerent. Et sane eo animo Pythagoræ vitam Jamblichum & Porphyrium scripsisse, ut Christo philosophum opponerent, jampridem observatum Rev. Episcopo VVigorniensi in Ep. ad celeb. virum Rich. Bentlejum. Eandem causam impulisse Porphyrium puto, ut Plotini, & Marinum, ut Procli vitam scriberet. Ususque eam in rem maxime historia Apollonii Tyanensis, a Philostrato conscripta, fuit Eclecticus Hierocles, ut ex Lactantio notum, ipsiusque Hieroclis fragmentis, quæ ex φιλαλήθει ejus libro adversus Hieroclem inserta servavit Eusebius,

# INDEX I.

# AUTORES

## QUI DE VITIS ET DOCTRINA VETERUM PHILOSOPHORUM * COMMENTATI FUERE.

D*amastes* Sigeensis, (fuit autem Sigeum Troadis promontorium), Dioxippi filius, Hellanici discipulus, de Sophistis scripsit. (*Suid.*) vixit ante bellum Peloponnesiacum. (*Dionys. Halic. de Thucyd. charactere.*)

*Xenophon* philosophus, primus de vitis philosophorum scripsit, autore *Suida*, apologiam Socratis forte & memorabilia respiciente. (Imo potius Suidæ, & Laertii, quem sequitur Suidas, verba aliter explicanda: *Et historiam super philosophos* primus scripsit. adde Jonsium de Script. Hist. Philos. l. 7. p. 37.)

*Anaximander* Junior, Milesius, Xenophontis æqualis, vixit enim tempore Artaxerxis Mnemonis, scripsit explicationem symbolorum Pythagoræ. (*Suid. ead.*)

*Theopompus* Chius, discipulorum Isocratis excellentissimus (*Dionys. Halic. ep. ad Pomp.*) scripsit tempore Artaxerxis Ochi, Persarum Regis, & Philippi, Regis Macedonum, scripsit librum contra instituta & exercitationes Platonis. (*Athenæus* Deipnos. XI. 15.)

*Timæus* Locrus, Pythagoræus, vitam Pythagoræ scripsit. (*Suid.*)

*Speusippus* de philosophis scripsit librum unicum (*Laert.* IV. IX. 23.)

*Xenocrates*, philosophus de vitis libros scripsit. (*Laert.* L. IV.)

*Theophrastus* de sapientibus scripsit. (*Laert.* L. V.)

*Aristoxenus*, Tarentinus, Aristotelis discipulus, *de vitis clarorum virorum* scripsit, in quibus Pythagoras, Archytas, Socrates, Plato fuere. [*Plutarch.* L. quod non possit suav. vivi sec. Epicur. *Hieron.* præf. libri de scriptor. illust. Eccl.]

*Heraclides* Ponticus, Speusippi & Aristotelis auditor, de *Pythagoreis* scripsit, itemque *vitas*. Quorum scriptorum ultimum a Diogene Laertio l. V. quidem inter libros physicos refertur, Vossius tamen de Historicis Græcis l. 9 H stori ci argumenti eos fuisse ex eo concludit, quod Eutocius in Archim. Heraclidis vitam Archimedis alleget. [conf. & Jons. l. 17. p. 91.]

*Dicæarchus* Messenius, Aristotelis discipulus, (Athen. Deipnos. XI. 2.) *Vitas* scripsit (Laert. L. III. vita Platon. f. 40.)

*Clearchus* Solensis, Aristotelis discipulus, vitas scripsit. (*Athenæus* Deipnos. VI. 6.) Hujus operis librum primum, secundum & quartum allegat Athenæus (Deipnos. VI. 6 IV. 40. XIV. 10. HV. 8. HII. 2, 3, 5.) & ex eo desumta sunt, quæ de Pythagora habet Agellius Lib. IV. c. 11.

*Phænias*, Eresius, Aristotelis *discipulus*, de Socraticis scripsit. (*Laert. in Aristipp.* VI. 8.)

*Epicurus* Vitarum libros IV. *scripsit.* (Laert. X.) quos tamen non de vitis virorum illustrium egisse, sed morum præcepta continuisse, ad vitæ tranquillitatem pertinentia, existimat Gassendus.

*Apollodorus* cognomine Cepotyrannus, Epicuri discipulus, vitam ejus concinnavit (*Laert.* X. 2)

*Bardesanes*, Babylonius, qui floruit tempore Alexandri Severi, de Brachmanibus & *Samaneis*, Indorum philosophis, *quos Gymnosophistas* Græci vocant, est *commentatus*. (*Porphyr.* de abstin. L. IV. *Hieron.* L. II. adv. Jovin.)

*Idomeneus* Lampsacenus, Epicuri discipulus, de Socraticis scripsit (*Laert.* II. 20.

*Antigonus*, Carystius, Ptolemæi Lagi ætate floruit, & Philadelphi, vitas scripsit. [Laert. IV. 17.] Specialim commemorantur vita Polemonis, [*Athen.* II. 6. Laert. IV. 17.] Menedemi, (*Laert.* II. 136. 143. Athen. X. 15.) Dionysii Metathemeni, Stoici (*Athenæus* X. 10.) Lyconis, (*Athen.* XII. 12. *Laert.* V 67.) Zenonis, (*Laert.* III. 66. *Athen.* VIII. 7. XII. 2.) Pyrrhonis, (Laert. IX. 62.) Timonis Laert. IX. 110. 111.)

*Callimachus* Cyrenæus, Poeta, Ptolemæi Philadelphi ætate floruit, indicem consignavit eorum, qui in quocunque genere doctrinæ excelluissent, scriptorumque ab iis editorum. [Athen. Deipn. VI. 10. XIII. 6. XIV. 13.]

*Neanthes* Cyzicenus, Rhetor, Philisci Milesii, Rhetoris, discipulus, qui & Isocratem audivit, de viris illustribus scripsit, citatus Stephano, [v. ...] Clementi Alexandrino, (Strom. I. p. 302.) Laertio I. 99. III. 25. VIII. 72. IX. 4.] Porphyrio, (vit. Pythag.) (Jamblicho vita Pyth. c. 31.) Hesychio Milesio. (in ...)

*Hermip*

* Hoc Scriptorum ... licet longe plenius a Jo: Jonsio nostro tractatum habeamus: ... tamen Stanlejo relinquenda esse duximus.

*Hermippus* Smyrnæus, circa tempora Ptolemæi Evergetæ librum de vitis scripsit, (Laert. I. 72. 101. 117. &c. ex his citantur vitæ Pythagoræ (Laert. VIII. 10.) Aristotelis, (Laert. V. 1.) *Theophrasti*, (Laert. II. 55. & aliorum ap. Laert. passim.

*Sphærus* Ptolemæi Evergetæ ætate Zenonis Cittici & Cleanthis discipulus, de [illegible] Eretriacis, de Lycurgo item & Socrate [illegible], (Laert. VII. 179.)

*Chrysippus*, philosophus, de vitis scripsit, [Laert. VII. 121. 182. Plut. de Stoic. repugnant.] ejusque fortassis operis pars fuit, qua de antiquis *Physiologis* [Laert. VII. 187.] est commentatus.

*Sotion* successiones philosophorum scripsit, quo opere, referente Eunapio, [præf. libri de Vit. Sophist.] vitas eorum recensuit, eo, quo sibi invicem successerunt, ordine. Operis hujus librum XXIII. Laertius citat [I. 1. 6.]

*Heraclides*, Serapionis filius, sub Ptolemæo Philometore vixit, successionem philosophorum haud dubie scripsit libris VI. quod opus idem fortassis est, cum ejusdem epitome Sotionis, uterque operis titulus apud Laertium invenitur. [I. V. 64. V. 79. VIII. 53. IX. 1.] Apud quem etiam ejusdem epitome Vitarum Satyri citatur [VIII. 40. IX. 26.]

*Apollodorus*, Atheniensis, Asclepiadæ filius, sub Ptolemæo Evergeta floruit, Aristarchi Grammatici & Panætii Stoici discipulus, [*Suid.*] scripsit [illegible] [Laert. VII. 181.] nisi tamen alterum hoc opus cum priore sit idem.

*Clitomachus*, Carneadis discipulus, circa CLXII. Olympiadem floruit, scripsitque de sectis [*Laert.* IV. 67.]

*Alexander* Cornelius, cognomento Polyhistor, CLXXIII Olymp. floruit, & de successionibus scripsit. [*Laert.* II. 19. 106. & passim.]

*Damis* Assyrius, vitam scripsit Apollonii Tyanensis. [*Philostr.* Vit. Apollon. I. 3. *Euseb.* adv. Hierocl. c. 18.]

*Maximus* [illegible], Damidis æqualis, ejusdem Apollonii vitam scripsit. [*Philostr.* & *Euseb.* II. cc.]

*Mœragenes* Libros IV. de vita ejusd. Apollonii scripsit, quem tamen perstringit autorem *Philostrat.* I. c.

*Plutarchus* sub Trajano & Hadriano floruit, de placitis philosophorum egit libris V. hodie superstitibus.

*Diogenes* Laertius, vel ut Tzetzes Chil. III. c. 61. appellatur, *Diogenianus*, cujus X. de Vitis philosophorum libri prostant, ex quibus plurima mutuo accepisse Sopatrum Photius cod. CLXI. Vixit igitur Diogenes ante Constantini M. opera, qui capite Sopatrum mulctavit. Trajano tamen posterior fuit, Plutarchi & Sexti Empirici meminit, ut & Saturnini, Sexti discipuli. Unde sub Antonino Pio, vel paulo post eum vixisse colligit *Vossius* de natur. & con. Rhetor. c. 9.

*Lucianus* Samosatensis, temporibus Aurelii & Commodi Impp. Vitam Demonactis, ejus ætatis philosophi, scripsit.

*Philostratus* a temporibus Severi usque ad Philippum floruit. (*Suid.*) Scripsit vitam Apollonii Tyanensis, libris octo, [illegible] extantibus, omnia complexus, quæ [illegible] Damide & Maximo in litteras fuerant relata.

*Philostratus*, prioris avunculus & socer, qui sub Macrino & Heliogabalo vixit, & vitas Sophistarum digessit.

*Porphyrius* sub Galieno ad Probum usque vixit, & [illegible] usque ad tempora Platonis perduxit. (Eunap. procem.) Meminit ejus Theodoritus (Ther. Serm. IV & XII) & *Suidas* (v. [illegible], sub titulo *Vita Philosophorum*.) Librum ejus operis tertium Suidas allegavit, extatque pars ejus, quæ vitam Pythagoræ complectitur, a Conr. Rittershusio primum, postea a Luca Holstenio edita.

*Sotericbus* sub Diocletiano vixit, vitamque scripsit Apollonii Tyanensis. *Suid.*

*Jamblichus* Juliani Imperatoris præceptor, vitam Pythagoræ scripsit, a Joanne Arcerio editam.

*Eunapius* sub Valentiniano, Valente & Gratiano vixit, Sophista egregius, Medicus, & Historicus, Chrysanthii motus precibus vitas scripsit Philosophorum & Sophistarum, quæ ad nostram ætatem pervenerunt.

*Marinus* Neapolitanus, Philosophus & Rhetor, Procli discipulus, Zenonis & Anastasii temporibus floruit, vitamque Procli, magistri & antecessoris sui in schola, metrice pariter ac in soluta oratione scripsit. Extat hodie oratione soluta.

*Hesychius* illustris, Milesius, nomenclatorem vel indicem scripsit virorum eruditione præstantium.

*Damascius*, Damasco in Syria ortus, sub Justiniano vixit, Stoicus fuit, Simplicii condiscipulus*, & Eulalii, Phrygum philosophicam scripsit historiam. (*Suid.* [illegible].)

## INCERTÆ ÆTATIS SCRIPTORES.

*Amphicrates* Librum de viris illustribus scripsit,

* [illegible] est apud Suidam [illegible]. quod Stanlejus vertit discipulum; sed condiscipulum Simplicii Damascium Photius facit Cod. [illegible].

# INDEX II.

## AUTORUM EMENDATORUM EXPLICATORUM ET NOTATORUM IN HIST. CHALDAICÆ ET GRÆCÆ PHILOS.

# INDEX III.

## NOMINA REGIONUM, URBIUM, POPULORUM, MONTIUM; IN HACCE HISTORIA OBVIA EXPLICATA.



Bœotia

## B

*Boeotia* Græciæ regio inter *Atticam* & *Phocidem*, a mari *Ægeo* ad *Isthmum Corinthium* pertinens.

*Brachmanes* Pythag. vit. c. 5.

*Branchidæ*, urbs in qua Apollinis templum, ad littus Milesium, inter *Posideum* & urbem Miletum.

*Byzantium* Thraciæ urbs in *Bosphori* sita ingressu, e regione Chalcedonis: a Constantino Mancta, a qua Constantinopolis appellata est.

## C

*Caria* Asiæ regio, limites habet versus septentrionem *Joniam*, versus orientem *Lyciam*, versus occidentem *mare Carpathium*, versus meridiem *mare Rhodium*. Præcipuæ urbes ejus sunt *Miletus*, *Myndus*, *Halicarnassus*, *Gnidus*.

*Catana* vit. Pythag. c. 10.

*Chalcedon* Bithyniæ urbs, e regione *Byzantii*, in Ponti Euxini faucibus, quam eo quod a *Byzantio* milliari haut longius distaret, (felciori sede) *Coecorum oppidum* olim dictam memorat Plinius Hist. Nat. V. cap. ult.

*Chene* obscurissimus pagus, vel Octææ (f. Achajæ) vel Laconicæ, cujus nullus quod sciam Geographorum meminit.

*Chios* Insula & urbs Joniæ, a Lesbo distans stadiis CCCC. ambitus ejus est stadiorum nongentorum.

*Cilicia* Asiæ provincia celebris, a *Cilice*, filio Rheæ, dicta, *Pamphiliam* ab occidente, *Syriam* vero ab oriente spectans, a septentrione *Taurum* montem, & a meridie mare Cilicium.

*Cirrha* urbs Phocidis maritima, in sinu Corinthio, ad radices montis Parnassi, e regione *Sicyones*. *Delphis* distans stadiis LX. Delphis Cirrham defertur Phliscus fluvius. Estque *Cirrha* portus *Delphorum*, [Phocis vero] Locridi est contermina.

*Clazomenæ* Ionica in *Lydia* civitas, ad Chersonesum Erythrensem sita, Erythris vicina, illæ enim in Chersoneso sunt, Clazomenæ extra eum, in faucibus Isthmi.

*Gnidus* Dorica Asiæ civitas, ad mare, *Triopia* olim dicta. Versus septentrionem spectat sinum *Ceramicum*, versus austrum mare *Rhodium*.

*Cnossus* Cretæ civitas.

*Corcyra* Jonii maris insula, e regione *Epiri*, XII. milliarium intervallo.

*Corinthus* illustrissima urbs ad Peloponnesi isthmum, in qua populare obtinuit imperium.

*Cos* Carpathii maris insula, & civitas ejusdem nominis in ea, e regione *Termerii Myndiorum* promontorii. Doribus Asiæ obnoxia fuit,

*Cos Meropidis* appellata, quod a Meropibus olim esset habitata. Hippocrate cive ea insula inclaruit. vid. vit. Heraclit. c. 3.

*Cranon* Thessaliæ urbs, Macedoniæ contermina, a *Gyrtone* C. stadiis distans.

*Creta* Insula in ostiis maris Ægæi, inter Rhodum & Peloponnesum, natalibus & sacerdotibus, ut & legibus Minois celebris, easque ob causas a multis Philosophorum frequentata.

*Crotona* vid. Pythag. vit. 10.

*Cyclades*, maris Ægæi insulæ, ita appellatæ, quod Delum undiquaque quasi circulo ambiant. Numerus earum & ordo juxta Strabonem est iste. *Helena*, *Ceos*, *Cythnus*, *Seriphus*, *Melus*, *Siphnus*, *Cimolus*, *Prepesinthus*, *Olearus*, *Naxus*, *Parus*, *Syrus*, *Myconus*, *Tenus*, *Andrus*, *Gyarus*.

*Cyprus* Carpathii maris insula, inter Syriam & Ciliciam.

*Cyrene* Africæ urbs, Cyrenaicæ metropolis, cujus urbes præterea sunt *Apollonia*, *Barce*, *Teuchira*, & *Berenice*.

*Cythera* Ægæi maris insula, e regione *Malea*, quod Laconicæ est promontorium, a quo XL. stadiis distat, *Boæ* directe opposita.

*Cyzicus* insula & urbs Mysiæ in Asia, ad Propontidem sita, in Æsopi fluvii ostiis. LXX. post Romam condita annis, eodem tempore, quo condita est *Miletus*.

## D

*Delium* Boeotiæ oppidulum, versus mare in *Tanagra* territorio e regione *Chalcidis in Euboea*. In hac urbe *Apollinis* fuit templum.

*Delos* maris Ægæi insula, Cycladum præcipua, in qua urbs & templum Apollinis. *Andro* distat milliaribus XV. totidemque *Mycono*, ab *Euboea* vero milliaribus XXX. versus occidentem.

*Delphi Phocidis* in *Achaja* urbs, in radicibus montis Parnassi, versus meridiem, templo & oraculo Apollinis celebris, LX. a mari stadiis distans,

## E

*Elea* magnæ Græciæ urbs. Xenoph. c. 1.

*Elis*. Regio in partibus Peloponnesi occidentalibus, promontorio *Araxo* versus septentriones contermina, & a *Messeniaca* parte, quæ mare respicit, flumine *Neda* divisa. Urbium præcipua ejusdem est nominis, a mari CXX. ab Olympia CCC. fere stadiis distans.

*Ephesus* maritima Joniæ civitas ab Amazonibus condita XL. post Trojam captam annis. Inprimis celebrata est Dianæ templo, ab Herostrato cremato, postquam annis steterat CCCLXXXV.

*Epidaurus Argia* in Peloponneso urbs, ad mare sita in intimo sinus Saronii recessu.

*Eressus Lesbi* urbs inter *Pyrrhæum* & *Sigrium* promontorium.

*Eretria*

*Eretria* maritima urbs Euboeæ inter Chalcidem & *Gerestum*, *Oropo* in Attica opposita, Chalcide XX. milliaribus orientem versus, dissita.

*Euboea* magna Græciæ insula, Atticæ continenti opposita, *Boeotiæque*, & *Locridis*, a *Sunio* usque ad Thessaliam porrecta. Longitudo ejus CL. milliarium esse dicitur. Urbes præcipuæ *Chalcis* sunt, *Carystus*, & *Eretria*.

G

*Galatæ*. Galli in Asia.

H

*Hellas* initio urbis Thessaliæ nomen fuit, inter Pharsalum & Melitæam, nomine ducto ab *Hellene*, filio *Deucalionis*. Thucyd. L. I. Stephan. de urb. Unde Eustathius in Homero ubique *Hellada* de ea Thessaliæ urbe, *Hellenas* vero Thessalos interpretatur. Postea nomen illud toti illi tractui datum fuit, qui a *Sunio* promontorio ad *Acarnaniam* usque, & *Athamantas* versus orientem, *Thessaliam* vero versus septentriones, ad sinum *Maliacum*. Hæc Ptolemæi est *Hellas*, qui excludit Thessaliam, quæ primum nomen illud Græcis dedit, ex *Hellade* ductum. Tertio latiore significatu *Hellas* includit *Thessaliam* & *Peloponnesum*, & plerasque maris Ægæi insulas, atque ea Strabonis est. *Hellas* denique alio sensu præter regiones nominatas *Asiam minorem* quoque complectitur, & *Africani* littoris partes quasdam, omnesque, ut verbo complectar, a Græcis occupatas regiones, quo sensu autoribus recentioribus sæpe solet venire.

*Heraclea Ponti*, Bithyniæ urbs *Mariandynorum*, qui Ponti Euxini sunt accolæ, metropolis. vid. Xenoph.

*Himera* vid. Pythag. vitam c. 10.

*Hyperborei*, Scythiæ populus, a montibus Hyperboreis ita dictus.

I

*Imbrus* Ægæi maris insula, non longe distans a Thraciæ Chersoneso, Lemno vero dissita millibus passuum XXII.

*Jonia* Asiæ regio, ad mare Ægæum, a Græcis inhabitata, a *Posidio* Mileti promontorio, parte australi, ad *Phocæam* usque & ostia fluvii Hermi, versus septentrionem porrecta. Urbes ejus præcipuæ *Miletus* & Ephesus.

L

*Lacedæmon*, Laconiæ metropolis, in littore occidentali fluvii Eurotæ sita, in radicibus Taygeti montis, ad quem situm, aeris insalubritas in hac urbe refertur. Pyth.

*Lampsacum* Mysiæ civitas ad Hellespontum, & *Granici* fluvii ostia, versus septentrionem *Parium*, versus meridiem *Abydum* spectans.

*Larissa*, duæ ejus nominis urbes in *Thessalia* fuere.

*Lebedus* maritima Joniæ urbs *Colophonem* versus austrum, & *Teon* versus septentrionem spectans, utrinque distans stadiis CXX.

*Lesbos* Ægæi maris insula, e regione *Æolidis* in Asia, æquali fere intervallo *Lemno*, *Tenedo*, & *Chio* distans, stadiis scilicet D aliquanto minus a remotissima Insularum illarum. Urbes ejus *Mitylene* & *Methymna*. Promontoria versus septentrionem *Sigrium*, versus austrum *Malea*.

*Lindus* una urbium primariarum trium *Rhodi* insulæ. Quam dextram habent ex urbe *Rhodiorum* versus austrum navigantes.

*Locri* Italiæ populus Vid. Pythag. vit. c. 10.

*Lydia* Asiæ regio, *Jonia* versus occidentem, *Phrygia* magnæ versus orientem vicina.

M

*Magna Græcia*: Ovid. Fast. IV. vers. 64. seqq.

Itala nam tellus Græcia major erat.
Venerat Evander plena cum classe suorum,
Venerat Alcides, Grajus uterque genus.
Hospes Aventinis armentum pavit in herbis
Claviger: & tanto est Albula pota Deo.
Dux quoque Neritius. Testes Læstrygones extant:
Et quod adhuc Circes nomina littus habet.
Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi
Stabant: Argolicæ quod posuere manus.
Venerat Atrides, fatis agitatus Halesus,
A quo se dictam terra Falisca putat.
Adjice Trojanæ suasorem Antenora pacis:
Et generum Oenidem, Appule Daune, tuum.
Serus ab Iliacis, & post Antenora, flammis
Attulit Æneas in loca nostra Deos.
Hujus erat Solymus Phrygia comes exul ab Ida:
A quo Sulmonis mœnia nomen habent.

Quamvis vero Ovidius Magnam Græciam totam Italiam interpretetur: magis tamen caute Plinius loquitur, qui Italiæ tantum quotam partem Magnam Græciam vocat (Hist. Nat. III. 4.) & Athenæus [L. VII.] qui omnem fere Italiam eo nomine complectitur. Neque fortassis aliter accipiendus est Festus, quam de parte majore, quando dicit: *Major Græcia dicta est Italia, quod eam Siculi quondam obtinuerunt: vel quod in ea multa magnaque civitates fuere, ex Græcia profectæ*. Et Servius (ad Æneid. I.) *Italia perfectè i. e. magna Græcia est appellata, quia a Tarento usque ad Cumas omnes civitates Græci condiderunt*. Et magis diserte Seneca (consol. ad Helviam c. 6.) *Totum Italiæ latus, quod infero mari alluitur, major Græcia fuit*. Atque ita fere a Geographis repræsentari solet, ut Siciliam tamen addant. (adde Cluver. L. IV. Ital. c. 16.

*Mantinea* Arcadiæ in Peloponneso urbs, *Argiam*, *Tegeam*, *Methydrium*, & *Orchomenum*

*num* vicinas habens, neque longe a *Megalopoli* distans.

*Marathon* Atticæ urbs, e regione Eretriæ Euboicæ inter *Rhamnunta*, & *Brauronem*, *Athenis* decem, totidemque *Carysto* in Euboea miliaribus distans.

*Media* maxima Asiæ provincia, versus occidentem *Armeniæ majori*, versus orientem *Parthiæ* & *Hyrcaniæ* contigua, a parte septentrionali versus mare *Caspium*, a parte australi autem versus *Assyriam* & *Susianam* procurrens.

*Megara* urbs in finibus *Atticæ* & *Eleusinis* a mari XVIII. stadiis dissita.

*Memphis* Ægypti urbs, ab *Osiride* exstructa, in *Delta* supremo angulo, e regione *Babylonis*.

*Metapontum* vid. vitam Pythag. c. 10.

*Miletus* urbs *Cariæ* Ionica, extrema in partibus australibus, *Posideo* proxima, XII. stadiis ab ostiis *Mæandri* dissita. Conditor ejus *Miletus* fuit, *Apollinis* filius.

*Mitylene Lesbi* metropolis, inter *Methymnam* & *Maleam* media, a *Malea* distans stadiis LXX. a *Canis* CXX. Commendatur Ciceroni ea urbs, (orat. 2. de Leg. agr. c. 16.) tanquam & natura, & situ, & descriptione ædificiorum, & pulchritudine imprimis nobilis, cujusque agri jucundi & fertiles.

*Munychia* Atticæ promontorium, quod cum *Piræo* navibus Atheniensibus stationem præbebat, tres commodissimos portus complectens. In parte occidentali ad *Kiphisi* fluvii ostia *Piræus* est, in orientali *Sunium* promontorium.

O

*Oeta*, Thessaliæ urbs, a monte *Oeta*.

*Olympia* locus in Elide, cum templo, Jovi dicato, in ripa Alphei fluvii, LXXX. stadiorum a mari intervallo. Ludi eo loco celebrabantur *Olympici*.

P

*Parnes* Atticæ mons.

*Paros* una ex *Cycladibus* in mari *Ægeo*.

*Peloponnesus* Græciæ peninsula, intra isthmum Corinthium, varias complexa provincias, quarum præcipuæ sunt, *Achaja Elis*, *Messenia*, *Laconica*, *Argia*, Urbes potiores sunt: *Messena*, *Corinthus*, *Tegea*, *Lacedæmon*, *Argos*.

*Phœnicia*, Syriæ provincia, mari proxima, urbes ejus celeberrimæ tres, *Tripolis*, *Byblus*, *Tyrus*, *Sidon*. Phœnicii nauticæ & Arithmeticæ inventores fuerunt: mercatura egregii, sed callidi, dolosi, & furaces, ut in proverbium quoque abierint: *Phœnicum more*. Unde de Zenone Polemo dixit, venisse eum, sapientiam furto subducturum *Dorico* & *Phœnicum more*, non *Phœnicio*, amictu ut vertimus in Zen. c. II.

*Phlegandros* Insula ab occidentali parte Insulæ Ii, exigua admodum, ut patet ex dictis a Solone c. 2.

*Piræus* urbs & portus Atticæ, Atheniensium navale, medium inter *Pegas* & *Sunium*, Athenis XL. stadiis distans. (Strab. L. IX. 391.

*Pisa* Peloponnesi urbs, ad fluvium *Alpheum*, & montem *Pisaum*.

*Posidonia*, (Pæstum Latinis,) urbs maritima Lucaniæ in Italia, inter *Salernum* ab occidente, *Veliam* ab oriente, a *Doribus* & *Sybaritis* condita.

*Priene* maritima Cariæ in Ionia urbs, inter *Mæandri*, & *Mycalen* montem

*Pylus* Messeniæ urbs, in *Coryphasio* promontorio, *Methone* distans stadiis C

R

*Rhegium* vid. Pythag. c. 10.

*Salamis* insula in sinu Saronico *Peloponnesum* inter & Atticam: *Atticæ* vicina atque *Æginæ*.

*Samus* vel *Same* Cephalleniæ insulæ urbs, quam Ithacam ex partibus *Sami* navigantes prætervehuntur. Hinc ortus Ancæus est, qui primus coloniam in insula *Samo* condidit, quam a *Same* appellavit. vid. vit. Pythag. cap. 1.

*Samus* Ionia insula cum urbe nominis ejusdem. DC. stadiorum ambitu continetur, ejusque promontorium *Posideum* vix VII. stadiis a terra continenti distat. Urbs *Samus* in parte insulæ australi est sita, ad mare: *Melamphylos* olim dicta juxta Strabonem, vel *Melamphyllos* juxta Jamblichum vid. Pythag. vit. c. 1.

*Sardes* Lydiæ metropolis in radicibus Tmoli, ad fluvium Pactolum.

*Scepsis* Troadis in Asia urbs, infra *Corylum*, quæ pars est Idæ montis maxime excelsi, unde *Scamander* derivatur.

*Sicinus* Insula, *Melo* non multum distans: occidentalis *Io*, obscura, nec ullius existimationis, ut patet ex dictis a Solone c. 2. & Aristophane in nubibus Act. I sc. 2.

*Sicyon* Peloponnesi urbs, regni *Sicyonii* metropolis, inter Corinthum & Achajam, C. stadiis a Phliunte distans.

*Sinope* maritima Paphlagoniæ urbs.

*Sparta* eadem quæ Lacedæmon.

*Stagira* Thraciæ urbs, in sinu *Strymonio*, inter *Argilum* & *Acanthum*, vid. Aristot. c. 1.

*Sunium* Atticæ promontorium cum urbe ejusdem nominis, inter *Saronicum* sinum & mare versus *Euboeam*.

*Sybaris* vid. Pythag. c. 10.

*Syrus* Ægei maris insula, Cycladum una, *Delo*

*Delo* distans milliaribus XX. versus septentrionem; Hinc *Syrius* dicitur incola, quemadmodum vicissim a *Syria* est *Syrus*, id quod non observarunt *Clementis Alexandrini*, *Theodoreti*, *Diogenis Laertii* & aliorum interpretes, qui Φερεκύδην Σύρον, *Pherecydem Syrum* vertunt: multo vero minus illi attenderunt, qui litteras ex Syria in Græciam deductas probant argumento eo quod *Pherecydes Syrius*, Pythagoræ magister, primus Philosophorum extiterit.

T

Tænarus Laconiæ in Peloponneso promontorium; *Laconicum* sinum a *Messenio* dividens.

*Tarentum* vit. Pythag. c. 10.

*Tauromenium* vit. Pyth. c. 10.

*Taygetus* Laconicæ mons, fluvium *Eurotam*; & *Spartam* urbem, quæ urbs parum erat salubris, ob montem imminentem.

*Thebæ* Bæotiæ urbs, ad Asopum & *Ismenum* fluvios, condita a Cadmo.

*Thyatira* Lydiæ urbs, ad Lycum fluvium inter Sardes & Pergamum.

*Troas* Asiæ minoris regio, ad littus maris Ægei inter *Æolida* & *Hellespontum*, in qua urbs ejusdem nominis.

# INDEX IV.

## PHILOSOPHORUM, QUORUM VITA, SCRIPTA; DOCTRINÆ; FATA EX INSTITUTO IN HOC OPERE RECENSENTUR.

# INDEX V.

## PHILOSOPHORUM QUORUM MENTIO IN HISTORIA PHILOSOPHIÆ GRÆCÆ ET CHALDAICÆ OCCURRIT. *



Ba

* Philosophorum vitæ ex instituto exponuntur, quorum nomina litteris, quas curres vulgo vocant, hic repræsentantur.

Mar

# INDEX VI. RERUM MEMORABILIUM.

Mega-

---

# INDEX VII.

## PHILOLOGICUS AD HISTORIAM *PHILOSOPHIÆ* ORIENTALIS.

A

# JOANNE CLERICO

adornatus.

A



AER

*AER* ab Assyriis cultus *P. XIII. Sect. II. c. XXXVI. XXXIX.* Videtur hoc Assyriis tributum, quod Persæ negarent Deos, esse humanæ formæ, statuis carerent, ac sub dio quasi aeri sacra facerent, (Vide vocem *Cœlum*) unde Græci collegerunt, ab iis aerem coli. Idem erga Judæos commiserunt, a quibus nubes & cœlum, simili de ratione, adorari crediderunt. Vide *Joann. Seldenum* de *D. S. Synt. 2. Cap.* ...

Ætherei mundi quales, secundum Chaldæos. *P. XIII. S. II. c. XIV.*

Æviternæ res, secundum Chaldæos; *P. XIII. S. II. c. III.* & *IV.* & *seqq.*

*Ali* & *aleto* quid in spiritualibus naturis, *ad vers. 52. Or.*

*Alilath*, Assyria Dea, *P. XIII. S. II. c. XXXVII.* Vide Selden. de *D. S. Synt. 2. c. II.*

Altaria non fuisse apud Persas. *P. XIV. c. VIII.* Vide *Statua*.

*Amilicti*, qui apud Chaldæos. *P. XIII. Sect. II. c. VI.*

ΑΝΑΓΩΓΟΣ dicebatur Dæmon, qui credebatur mentem ex corpore ἀνάγειν, *ad superiora ducere*, de quo, *Stanlejus P. XIII. Sect. II. c. IX.* quasi ex *Oraculis Zoroastris* quæ tamen nihil huiusmodi habent. Fuit nihilominus doctrina Orientalium, si Platonicis credimus. *Jamblichus Sect. VIII. cap. VIII.* ait, ubi agitur de Diis, doceri τίνες τέ εἰσιν ἀναγωγοὶ καὶ κατὰ ποίας αὐτῶν δυνάμεις *qui sint Dii reductores, secundum quas ipsorum potentias & quomodo fatum solvant*; hoc est, ut apparet ex toto Capite, qua ratione animas corpore liberent. Ostendere nititur, qui Dii, qui demittunt animas in corpora, possint sine mutatione eas rursus e corporibus educere; atque inter alia hoc habet: ἀπὸ τῆς πρώτης καθόδου ἐπὶ τούτῳ κατέπεμψεν ὁ Θεὸς τὰς ψυχὰς, ἵνα πάλιν εἰς αὐτὸν ἐπανέλθωσιν. οὔτε οὖν μεταβολή τις γίνεται διὰ τῆς τοιαύτης ἀναγωγῆς, οὔτε μάχονται αἱ κάθοδοι τῶν ψυχῶν καὶ αἱ ἄνοδοι: *a primo descensu propterea demisit Deus animas, ut rursus in ipsum revertantur; neque igitur mutatio aliqua fit, per ejusmodi reductionem, neque pugnant descensus animarum.* De adscensu & Dæmone ψυχοπομπῷ legi etiam potest Plato in *Phædone*. *Petr. Dan. Huetius in Origenianis*, non Origenem modo, sed & veteres Judæos & Christianos similia sensisse ostendit. *Proclus* Theol. *L. VI. c. XXII.* *constituit Triadem unam* ζωογόνων Θεῶν, Deorum, qui animas in corpora demittunt, eosque *Cererem, Junonem & Dianam* vocat: alteram ἀναγωγῶν *reductoriorum*, quæ *Mercurio, Venere* & *Apolline* constat, quo in re observandum, eum, more Platonico, Chaldaicis Diis nomina Græca imponere.

*Angeli*, quo ordine a Chaldeis collocati. *P. XIII. Sect. II. cap. IX.*

*ANIMA* hostiæ sola a Diis, secundum Persas, petebatur. *P. XIV. c. IIX.* Dubium autem est, an voce *anima* intellexerint vitam, an sanguinem. Hoc crediderim potius, quod sanguis eo in loco remaneret, ubi sacra fecerant; neque enim *Herodotus* aut *Strabo* ablatum dicunt, & *Strabo* etiam, si fonti sacra facerent, in scrobem effusum testatur, *L. XV. p. 504. Edit. Gen.* Sic etiam apud Hebreos Sanguis *anima* dicitur, & in honorem Dei totus effundebatur. *Gen. IX, 4. Levit. XVII, 14.*

Anima mundi, cum *Cratere*, animarum singularum procreatrix. *ad Orac. v. 82.* Vide *Potentia*.

Animæ restitutio. *ad Orac. v. 238.*

*ANIMI*, qui & unde, secundum Chaldæos *P. XIII. S. II. c. X.* quæ eorum conditiones. *Ibid.* *Observatu digna sunt* Pausaniæ, *viri infinitæ lectionis & diligentissimi, verba Messeniacor. IV. p. 277.* Ἐγὼ δὲ Χαλδαίους καὶ Ἰνδῶν μάγους πρώτους οἶδα εἰπόντας ὡς ἀθάνατός ἐστιν ἀνθρώπου ψυχή. Καὶ σφίσιν καὶ Ἑλλήνων ἄλλοι τε ἐπείσθησαν, καὶ οὐχ ἥκιστα Πλάτων ὁ Ἀρίστωνος: Ego Chaldeos & Indorum Magos primos scio dixisse, immortalem esse hominum mentem. Illis autem assenserunt, cum alii Græci, tum potissimum Plato, Aristonis filius.

Animorum fons. *P. XIII. Sect. II. c. VII.* Sic vocabant Platonici aut Numen peculiari *virtute* prædictum, aut divinam potentiam inhærentem summo Numini, (neque enim satis clare loquuntur,) cujus erat animas procreare. Hanc potentiam interdum *Craterem* vocant: συνεργοῦντα τῷ Δημιουργῷ, inquit *Proclus*, τὰς ψυχὰς ὁ πολυύμνητος κρατὴρ, *gignit, una cum Deo creatore, animas laudatissimus Crater. Theol. Lib. V. c. XXX.*

ὁ Ἅπαξ ἐπέκεινα, *semel ulterior*, secundum Chaldeos quis. *P. XIII. S. II. c. VI.*

Apotelesmatum discrimen. *P. XIII. Sect. II. c. XXII.*

Aquæ *Sacra*, apud Persas. *P. XIV. c. IX.*

Arabes ab antiquis temporibus eruditi. *P. XV. c. II.* *erant, ut auctor est* Cicero, *augurorum & auspiciorum peritissimi. Lib. I. de Divin. c. XLI.* Phryges, & Pisidæ & Cilices & *ARABUM* natio avium significationibus plurimum obtemperant: & c. XLII. Arabes autem & Phryges & Cilices, quod pastu pecudum maxime utuntur, campos & montes hyeme & æstate peragrantes, propterea facilius cantus avium & volatus notaverunt.

*Arabia*, quam late pateat hoc nomen. *P. XV. Procemium.*

*ARABIA* videtur dicta ἀπὸ τοῦ ערב *ereb*, *mistura*, propter varias gentes, qui illuc confluxerunt; unde non satis mihi constat: quare nolit Arabes proprie dici Nabatæos Petræ incolas *Stanlejus P. XV.* Vide specimen Hist. Arabum,

---

# INDEX VII.

## PHILOLOGICUS AD HISTORIAM *PHILOSOPHIÆ* ORIENTALIS.

## A
## JOANNE CLERICO
## adornatus.

A

potest iden
& sepultus
de Græc o
& constan
Græci ser
temere ea
rerum opi
vocibu
a Per
circu
CXXXI.Vi

nas Græco

edidit ob
Nat. Lib
DCCXX
laterculi
qui mini-
LXXX.annorum,
num esse Nabo-
post mortem
osum observationes
Epigenis ætas non
Augusti scripsit, an
Nabonossarei, cum
sic annus Augustorum
de Beroso observat popularis
, posito priori calculo,
ab Alexandro, Syriæ Regi libros
a Beroso fuisse dicatos; an-
Antiochi, qui *Soter* dicebatur,
ut Alexandro Berosus potuerit
quod testantur *Tatianus* atque *Syn-*
ita male subduxerit calculos *G. Vossius*; qui
annorum numero, credidit fore, ut in
a Seleuco Antiochi quem Antiochū *Deum*
nominabant, tempora incideret Berosus. At-
ita locum *Traiani* recitavit *Eusebius*, ut
eundem Berosum revera in Antiochi Dei tempus
contulerit. Neque refragabitur *Plinius*, si secundū
quosdam codices, legamus apud eum 490. annos,
pro 480. sic enim scripsisset Berosus anno, a morte
66. Antiochi Dei tertio. Vide *Marsham.*
XVII. p. 474. Edit. Lond. & *Dodvvellum*,
ad Diss. Cyprianicas. §. 24.
a Dæmonibus infestata quare *P. XIII.*
Videtur hæc Chaldæorum opinio na-
, quod animadvertissent, bruta inter-
motibus agitari, & veluti sponta-
perire. Constat certe ex *Matth. IIX, 31.*
a Cristo petiisse invadendorum porco-
rum, eosque in lacum præcipites egisse.
quare dicatur Pater. Ad Or. v. 39.

C.

*OPUS.* Festiva historia de victoria hujus
Dei ex igne reportata. *P. XIII. S. II. c. XXX-*
*ejus*, quasi *Rufini* verba recitans,
pro Ca-

nerum, quæ procreavit; sed ita mentem suam expresserint, quasi eas ideas seorsim esse crederent; unde posteri decepti, tot Numinum esse dixerint ordines, quot illi idearum esse intellexerant. Platonici sane existimarunt, in hisce Chaldaicis oraculis doctrinam Platonis de ideis contineri, ut observavit *Stanleius P. XIII. S. II. c. V.* Plato autem & Platonici ideas abstractas a secunda Triadis persona, quam δημιουργὸν vocabant, formatas fuisse docuerunt, qua de re inter alios legi potest *Philo* περὶ τῆς κοσμοποιΐας, ipso initio. Ita loquitur p. 3. Ed. Gen. Græco Lat. *βουληθεὶς γὰρ ὁ θεὸς τὸν ὁρατὸν κόσμον τουτονὶ δημιουργῆσαι, προεξετύπου τὸν νοητόν, ἵνα χρώμενος ἀσωμάτῳ καὶ θεοειδεστάτῳ παραδείγματι, τὸν σωματικὸν ἀπεργάσηται, πρεσβυτέρου νεώτερον ἀπεικόνισμα, τοσαῦτα περιέξοντα αἰσθητὰ γένη, ὅσα περ ἐν ἐκείνῳ νοητά: cum vellet* Deus *visibilem mundum facere, prius formavit intelligibilem, ut incorporeo & Dei simillimo exemplari usus, faceret corporeum, antiquioris imaginem recentiorem, tot complectentem genera sensilia, quot sunt in illo intelligibilia.* Pagina etiam quinta, dicit Rationem divinam esse *ὑπερ... ἀστέρα* ΠΗΓΗΝ *τῶν αἰσθητῶν ἀστέρων, supra cœlestem stellam fontem stellarum sensilium.* Vide & Procli Plat. Theol. V. c. XXXII.

*FORMA* si qua appareret, voci non erat credendum, secundum Chaldæos. *P. XIII. S. II. c. XXX.* Persæ sane, qui videntur propago Chaldæorum, negabant Deos fuisse ἀνθρωποφυεῖς. Sed huc facit præsertim, quod exstat *Deut. IV, 15. 16. Non vidistis aliquam similitudinem in die, quo loquutus est vobis Dominus in Horeb, de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, &c.*

G

*GENETHLIACUS*: Ita dicebatur a Græcis, qui e nascendi momento vitæ eventus prædiceret. Observandum, *Strabonem* dicere de Chaldæis. L. XVI. p. 509. *προσποιοῦνται δέ τινες καὶ γενεθλιαλογεῖν, οὓς οὐ καταδέχονται οἱ ἕτεροι: profitentur quidam e natalibus futura prædicere, quos non probant alii.* Omnes pæne alii scriptores Chaldæis universe hanc divinationem tribuunt, adeo, ut *Chaldæus* & *Genethliacus* unum idemque fit. Vide orationem *Favorini* apud *Gellium Lib. XIV. c. I.* Chaldæos egregie refutantis. Sed in notis ad Oracula, Chaldæorum artem ab aliis Sapientibus confutatam ostendimus, ad v. 383.

Græci Astronomia præstantiores Chaldæis *P. XIII. S. II. cap. XVII.*

*GRÆCI* a *Stanleio*, saltem ii, de quibus *Eusebius* Præp. Ev. Lib. IV. cap. V. loquitur, existimantur Zoroastrem sequuti. Hic tamen de Chaldæis nihil habet eo in loco, & laudat tantum τὴν Ἑλληνικὴν θεολογίαν ἐξυμνούντων. At hæc non fuit vulgaris Græcorum Theologia, neque adeo Poetarum, sed aliquot tantum Philosophorum; nempe *Pythagoreorum & Platonicorum*, qui eam ex Oriente in Græciam attulisse censebantur. Vide initium *Versuum aureorum*, & ad id *Hieroclem*. *Proclus* quoque Barbaram Philosophiam, seu Theologiam eandem e Græcanicam existimat, mutatis nominibus. *Theol. Lib. VI. c. II.* in loco, qui affertur ad vocem *Hecate*.

H

HArmonia cælorum quæ ad Or. v. 201. Haruspicina Chaldæis nota. *P. XIII. S. II. cap. XXIII.*

*HEBRÆI* junguntur Chaldæis, in Oraculo allato *P. XIII. S. II. c. L.* & utrique dicuntur αὐτογενέθλως σεβάζοντες Θεὸν ἁγνῶς. Quare hoc conveniat Hebræis notum est, ad Chaldæos quod attinet, *crediderim* ad eorum *Teletas* alludi, quæ Ægyptiacis puriores erant, hac de ratione. Nimirum Ægyptii, aliæque Gentes credebantur invocare terrestres Dæmonas, unde & minis eos terrebant, (nam id Dæmonum genus timidum esse censebatur,) sed Chaldæi, qui solos ὑπερκοσμίους Θεοὺς colebant, ab ejusmodi minis abstinebant. Jamblichus hoc docet *Sect. VI. cap. VII.* παρὰ Χαλδαίοις τοῖς διακεκριμένον ἀφοσιοῦσι τὸν καθαρὸν πρὸς μόνους τοὺς θεοὺς λόγον, οὐδαμοῦ ἀπειλὴ λέγεται &c. *Apud Chaldæos, apud quos distincta est pura ad solos Deos oratio, nullibi proferuntur minæ.* Sed hoc forte neque apud omnes Chaldæos, neque semper obtinuit. Ceterum notatu dignissimum est hoc Oraculum, quod neque a Judæo, neque a Christiano, neque etiam ab Ethnico e vulgo fingi potuit.

*HECATE*, Media inter geminos Cosmagogos, *P. XIII. S. II. cap. VI. & VII.* Non videtur verosimile, Chaldæos veteres, linguæ Græcæ & opinionum Græcarum ignaros, Numen hic Græcum (de quo vide *Vossium* Theol. Gent. *Lib. II. cap. XXIX.*) divinis Naturis, quibus nulla Græca nomina imposita, immiscuisse. Crediderim potius eos, qui Græce hæc verterunt, cum invenirent nomen Chaldaicum, *Græcum Hecate*, & quædam forte similia de Numine Chaldaico dicerentur iis, quæ de Hecata apud Græcos dicebantur, voce mere Græca esse usos, ad exprimendam Chaldaicam. Forte Chaldæi vocabant hoc numen חדא *chada*, quod unum significat. Vide *Ada*. Atque hæc cum dudum scripsissem, non leviter in sententia hac confirmatus sum, lectis hisce *Procli* verbis, quæ exstant *Lib. VI. cap. XI.* Theol. Plat. Postquam *Cap. X.* de Trinitate δημιουργικῇ egit, loquitur *Cap. XI.* de Trinitate ζωογόνῳ, atque, hanc constare tribus Unitatibus, quarum primam Dianam virginem, secundam Proserpinam, tertiam Minervam virginem vocant οἱ μὲν τῶν Θεολόγων ἀρχαῖοι *Græca-*

*Græcanicæ Theologiæ principes*; deinde subdit: τὰ μέγα τοῖς βαρβάροις τὰ αὐτὰ δὲ ἑτέρων ὀνομάτων δεδήλωται, *apud barbaros eadem diversis nominibus significantur*: τὴν μὲν γὰρ πρωτίστην ἑνάδα ... *primam enim Unitatem illi vocant Hecatem, secundam Animam, tertiam Virtutem*. Verum hoc in hisce observandum, ordinem hujus Trinitatis non [illegible] eundem, qui a *Psello* describitur, quod forte ex variis sententiis, aut alterutrius non satis fida memoria fluxit. Ceterum mendum est in *Psello* ad Oracula p. 96. ubi dicit de Hecate: ἐν δεξιᾷ μὲν αὐτῆς ἔχειν τὴν πηγὴν τῶν ἀρετῶν. Legendum est, ut apparet ex pagina sequente, ἐν ἀριστερᾷ. In hoc negotio, ubi agitur de ordine, quem inter Deos constituebant Chaldæi, sermo est de dextra & sinistra, quod hi Scriptores videantur respicere ad aliquod *Schema*, tabulæ illitum, in quo nomina Deorum ordine Chaldaico erant disposita; adeo, ut ad sinistram nominis *Hecates* esset *Fons virtutum*, ad dextram *Fons animarum*.

*Hecaticus* Strophalus quid. P. XIII. S. II. *cap.* XXIX. De eo vide *Joann. Seldenum* de D. S. *Synt.* I. *cap.* II. *p.* 34. Ed. Lond. ann. 1617.

*Hhartumim* unde dicti P. XIII. *Sect.* II. *cap.* X. *Verisimiliora de significatu hujus vocis scripsimus ad Gen.* XLI, 8.

*HOMERUS*, qui antiquissimus Græcorum Scriptorum, creditur a Græculis disciplinarum auctor, cum contra quidquid est in eo allusionum ad [illegible], eam ante [illegible] notas [illegible] perperam voluere quidam Grammatici, quorum meminit *Eustathius* in Iliad. A. v. 907. p. 162. Edit. Rom. *Homerum* occasionem dedisse Mathematicis dicendi, planetis suas esse domos, eo quod dixisset, a Vulcano domum unicuique Deorum factam esse. Ceterum de duodecim dierum mora, apud Æthiopas, vide eundem, p. 128. Male quoque deducit vocem ἀποτέλεσμα ex Homerico versu, ubi, Poeta, verba de augurio faciens, utitur verbo τελέει. Vide p. 900. & *Stanlejum* P. XIII. S. II. *cap.* XIX.

I.

*IDeæ*, an seorsim existant. *ad Or. v.* 100.

Idola, umbræ, & imagines falsorum Deorum, *ad Or. v.* 243

*IDOLOLATRIA* antiquissima est cultus Angelorum, quibus paullatim cultus æqualis aut frequentior, quam summo Deo exhibitus est; constitutis etiam statuis, quibus inesse, & unde vota audire existimabantur. Hominum mentes iis admistæ sunt, & apud Gentes plurimas mentem hominis fato functi miscuerunt cum summi Dei notione, eique adeo summi Numinis cultum præbuerunt. Nam cultus ille, qui *supremus* vulgo dicitur, situs est primum in animi opinione, qua credimus Naturam, quam colimus, omnium summam esse; secundo in ejus opinionis consectariis, quorum præcipuum est, quod eam potissimum colamus, quippe quæ sola nos possit in omnibus pro arbitrio iuvare; tertio in earum animi opinionum professione externa, cum in verbis, tum in ritibus posita. Hæc de idololatria paucis, quod vulgo res sit non satis nota, Vide voces *Astra & Belus*.

*IGNIS* a Chaldæis cultus (*P.* XIII; *Sect.* II. *cap.* XXXIX.) non quasi Deus sed quasi Dei Symbolum, seu imago, ut ex eorum Theologia satis apparet. P. XIII. S. II. c. XXXIX. Ignis sacra facientibus, saltuatim per cœlum profundum apparens, Symbolum Numinis præsentis P. XIII. S. II. c. XXX. Talis erat ignis, qui in monte Sinai apparuit, ut colligere est ex *Exod.* XIX. & XX. ubi dicuntur fuisse *faces & fulgetra*. Faces Heb. dicunt לפידים *lapidim*, quæ vox videtur significare ea in loco exhalationes sulfureas quæ σκιρτῶσιν, ut loquitur Oraculum, per cœli profunda micabant. *Hac de re consulendus vir eruditissimus* Thom. Hyde *in Historia Persarum, quos negat igni divinum cultum tribuisse*.

Ignis Symbolum Numinis apud Chaldæos: P. XIII, S. II, *cap.* I. & ab eo emanans, *ib. c.* II.

*Ignis* vis procreandi in Deo. *ad Or. v.* 25.

Incorporea quæ P. XIII. *Sect.* II. *cap.* III. & IV.

*INFANS* immolatus dicitur a Sabæis, & carnes ejus mistæ placentis. p. 313. Simile quid *Psellus*, in Libro de Operatione Dæmonum, tribuit *Euchitis* Babyloniis, Manichæorum prosapiæ, nisi quod ritus differunt. Sed similiora de Gnosticis tradit *Epiphanius Hær.* XXVI. *p.* 87. Ed. Petavianæ. Erant quoque hi in Babylonia plurimi, ut ex *Epiphanio* liquet.

*Inferi*, ubi secundum Chaldæos. *ad Or.* 140.

Intellectuales res, quæ sint Chaldæis. P. XIII. S. II. *c.* IV. Vide Νοερὰ.

Intelligibiles res, quæ sint Chaldæis. P. XIII. S. II. *c.* IV. Vide in Indice Νοητὰ.

*JOBUS* a *Stanlejo* haud procul ab antiquissimorum Sabæorum ætate vixisse dicitur. P. XV. *cap.* I. Sed consulendus *H. Grotius* in *Præf.* ad Jobum, ubi eum a Scriptore distinguit.

*JUPITER*, secundum *Stanlejum*, vocatur a Paulo verus Deus, eo quod dixerit Apostolus, Athenis se eum Deum nunciare, cujus *Aratus* scripserat humanum genus esse prosapiam; & quem Δία vocat P. XIII. S. II. *cap.* XXXII. Sed observandum vocis *Jupiter* non esse simplicem significationem, sed ex duabus mistam. Poetæ enim

*fessiones diversas*. Chaldæi nempe antiquis saltem temporibus Astrologi tantum fuisse videntur; Magi vero Sacrorum Antistites, seu rituum præsides. Vide ad vocem *Genethliacus*. Scanlejus *omisit notare* 1. *Magos oportuisse ex Matris cum Filio concubitu progenitos esse, si Græcorum & Latinorum quamplurimis Scriptoribus credimus; quorum loca congessit Ægi*dius Menagius *in Præf.* Diogenis Laertii: 2. *locum* Ciceronis *de Divin. Lib. I. cap. XLI ubi*, divinant, *inquit*, & augurantur Magi, qui congregantur in fano commentandi causa, atque inter sese colloquendi: 3. *morem Magorum in sepeliendo*. Cicero *Tuscul. Quæst. Lib. I. cap. XLV.* Persæ cera circumlitos condunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora. *MAGORUM* mos est, non humare corpora suorum, nisi a feris sint ante laniata.

*MARCUS* fuit Monachus Mesopotamenus, qui, auctore *Psello*, de Dæm. (*p.* 52.) cum Myftes & inspector diabolicorum phantasmatum fuisset, ea quidem, tanquam vana & falsa, flocci fecit & abjuravit, Palinodiamque canens veris fidei Christianæ placitis subscripsit, quæ a *Psello* audita & percepta edidicit studiose. Ea quæ de Dæmonibus dicit, licet a *Psello*, quæ fuit ejus eruditio, ornatius sint prolata, non debent suspecta esse; quod nihil pæne habeant, quod aliunde, ex scriptis Ethnicorum comprobari nequeat. Sunt quidem multa valde affinia iis, quæ in Evangeliis de Dæmonibus habentur: sed, [illegible], & quæ phrasibus N. T. non exiguam lucem interdum affundant, nedum inde hausta esse queant; ut in Notis satis ostendit *Gaulminus*.

*Marmaridius* Babylonius *P. XIII. Sect.* I. *cap. V.*

*MARS* a Babyloniis cultus fuit, si credimus *Chronico Alexandrino* (*P.* XIII. *S.* II. *c.* XXXVIII.) Verum nihil inde pæne colligi potest, an velit stellam quę Ἄρης dicebatur Græcis, an Thracem hominem, aut ejus mentem, quæ illi planetæ præesse credebatur. Si posteriora, sunt sane [illegible] quæ dicit; *sin planetam ipsum* a Babyloniis [illegible], possunt [illegible] esse. Vide *Ger. Joann. Vossium* de Idol. Gentil. *Lib.* I. *cap.* XVI. Ut vanitatem Græcorum de Orientalium opinionibus loquentium videas, audi Scholiastem *Apollonii* ad III. *Arg. v.* 1375. ubi de planeta Martis: Περιγένης, ait, ἐν τῷ περὶ τῆς Χαλδαϊκῆς (ita legendum vidit I. *Rutgers.* Var. Lect. *Lib. V. c. VI.*) τῶν Μαθηματικῶν &c. λέγων προσαγορεύεσθαι ὑπὸ Ἑλλήνων Ἄρεα, ὑπὸ δὲ Χαλδαίων Ἡρακλέα: *Perigenes in libro de Chaldaica regionis aut Secta Mathematicis, ait qui vocatur a Græcis Martis, eum Herculis planetam a Chaldæis dici*. Quasi Hercules Tyrius, aut Thebanus notus Babyloniis fuerit! Potest fieri tamen, ut Chaldæi Mathematici in Græcia viventes voce *Herculis* usi sint; sed quidquid posteriores Græcis noti dicebant, ideo non fuit veterum Babyloniorum opinio, aut loquendi ratio.

*Martis* Planetæ præses Deus Assyriis cultus. *P. XIII. Sect. II. cap. XXXVI. Vide* Azizus.

*MATERIA* dicitur odisse lucem a Chaldæis *P. XIII. cap. XVII. S. II.* quod intelligant voce ὕλης crassam ac opacam materiam, quomodo & veteres Hebræi loquebantur, si credimus *Psello* de Dæm. καὶ τοῖς ἡμετέροις καὶ τοῖς θύραζε, καὶ τοῖς ἀρχαιοτέροις καὶ τῶν θύραθεν σοφῶν ἔθος ἐστὶ τὰ παχύτερα τῶν σωμάτων σωματώδη λέγειν; *nostris & externis, & antiquioribus etiam Gentilibus solitum, crassiora corpora* corporea *dicere*. *p.* 46. Ed. nuperæ *Kiloniensis*. Vide & *Origenianas Huetii notas*, *p.* 85.

Materiales mundi quales, secundum Chaldæos. *P. XIII. S. II. c. XVI.*

*MAZZALOTH*. Septuaginta Intt. legerunt μαζουρώθ, 2. *Reg.* XXIII, 5. & *Job.* XXXIX, 32. scribitur per *Resch* in Hebraico codice, quod persuadet esse veram lectionem. Ac sane origo vocis convenit, nam cum נזר *nazar* sit *separare*, planetæ quasi eximiæ stellæ dicuntur מזרות *Mazzaroth*. Hinc *Diodorus* ait planetas dictos esse κυρίους τῶν θεῶν, *Dominos Deorum*. Vide *P.* XIII. *Sect.* II. *cap.* XIX.

*Mechaschephim* unde dicti. *P.* XIII. *Sect.* I. *cap.* X.

*MECHASCHEPHIM* videntur iidem esse ac quos Græci vocant Chaldæorum *Prophetas*. Jamblichus *S.* III. *c.* XXXI. quæ dicit de malis Spiritibus, sacris non rite peractis præsentibus, ait, se ἀκοῦσαι Χαλδαίων τινῶν προφητῶν λεγόντων, *audivisse a Chaldæis Prophetis dicentibus*. Julianus Oratione V. dicit conjungenda esse Aristotelis dogmata Platonicis, μᾶλλον δὲ καὶ ταῦτα τοῖς ἐκ θεῶν δεδομένοις προφητείαις, *imo etiam hæc propheriis a Diis editis*, quibus verbis Oracula Chaldaica ab eo intelligi crediderim. Vide quæ de hac voce scripsimus ad *Exod.* VII, 11.

*MENS* tertia, secundum *Psellum*, Triadum Chaldaicarum Natura *P.* XIII. *Sect.* II. *cap.* IV. *Hæc* vocatur a Platonicis ψυχὴ & ψυχὴ κόσμου, *anima* simpliciter & *anima mundi*. Vide *Plotinum Ennead. V. Lib.* I. *a Cap.* III. *ad* VIII. Hanc Mentem ajunt Oracula remansisse ἐν τῷ πατρικῷ βυθῷ, ut & *Plotinus* tria principia συνυπάρχειν καὶ μὴ ἀπολείπειν ἄλληλα, *una existere & se invicem non deserere*. Vide laudati libri c. IV. & V. Attamen quæ habentur in Oraculis de Mente, non minus conveniunt secundæ hypostasi, quam constanter vocat Νοῦν *Plotinus*; atque hanc eo nomine intelligi potius crediderim.

---

# INDEX VII.

## PHILOLOGICUS AD HISTORIAM PHILOSOPHIÆ ORIENTALIS.

## A JOANNE CLERICO adornatus.

A



AER

*AER* ab Assyriis cultus *P. XIII. Sect. II. c. XXXVI. XXXIX.* Videtur hoc Assyriis tributum, quod Persæ negarent Deos, esse humanæ formæ, statuis carerent, ac sub dio quasi aeri sacra facerent, (Vide vocem *Cœlum*) unde Græci collegerunt, ab iis aerem coli. Idem erga Judæos commiserunt, a quibus nubes & cœlum, simili de ratione, adorari crediderunt. Vide *Joann. Seldenum de D. S. Synt. 2. Cap. ultimo.*

Ætherei mundi quales, secundum Chaldæos. *P. XIII. S. II. c. XIV.*

Æviternæ res, secundum Chaldæos; *P. XIII. S. II. c. III. & IV. & seqq.*

*Ali & alere* quid in spiritualibus naturis, *ad vers. 52. Or.*

*Alilath*, Assyria Dea, *P. XIII. S. II. c. XXXVII.* Vide Selden. de *D. S. Synt. 2. c. II.*

Altaria non fuisse apud Persas. *P. XIV. c. VIII.* Vide *Statua.*

*Amilicti*, qui apud Chaldæos. *P. XIII. Sect. II. c. VI.*

ΑΝΑΓΩΓΟΣ dicebatur Dæmon, qui credebatur mentem ex corpore ἀνάγειν, *ad superiora ducere*, de quo, *Stanlejus P. XIII. Sect. II. c. IX.* quasi ex *Oraculis Zoroastris* quæ tamen nihil huiusmodi habent. Fuit nihilominus doctrina Orientalium, si Platonicis credimus. *Jamblichus Sect. VIII. cap. VIII.* ait, ubi agitur de Diis, doceri τίνες τέ εἰσιν ἀναγωγοὶ καὶ κατὰ τίνας αὐτῶν δυνάμεις *qui sint Dii reductores, secundum quas ipsorum potentias & quomodo fatum solvant*; hoc est, ut apparet ex toto Capite, quâ ratione animas corpore liberent. Ostendere nititur, qui Dii, qui demittunt animas in corpora, possint sine mutatione eas rursus e corporibus educere; atque inter alia hoc habet: ἀπὸ τῆς πρώτης καθόδου ἐπὶ τούτῳ κατέπεμψεν ὁ Θεὸς τὰς ψυχὰς, ἵνα πάλιν εἰς αὐτὸν ἐπανέλθωσιν. οὔτε δὲ μεταβολή τις γίνεται διὰ τῆς τοιαύτης ἀναγωγῆς, οὔτε μάχονται αἱ κάθοδοι τῶν ψυχῶν καὶ αἱ ἄνοδοι: *a primo descensu propterea demisit Deus animas, ut rursus in ipsum revertantur; neque igitur mutatio aliqua fit, per ejusmodi reductionem, neque pugnant descensus animarum.* De adscensu & Dæmone ψυχοπομπῷ legi etiam potest Plato in *Phædone*. *Petr. Dan. Huetius in Origenianis*, non Origenem modo, sed & veteres Judæos & Christianos similia sensisse ostendit. *Proclus* Theol. *L. VI. c. XXII.* constituit Triadem unam ζωογόνων Θεῶν, Deorum, qui animas in corpora demittunt, eosque *Cererem, Junonem & Dianam* vocat; alteram ἀναγωγῶν *reductoriorum*, quæ *Mercurio, Venere & Apolline* constat, quæ in re observandum eum, more Platonico, Chaldaicis Diis nomina Græca imponere.

*Angeli*, quo ordine a Chaldeis collocati. *P. XIII. Sect. II. cap. IX.*

*ANIMA* hostiæ sola a Diis, secundum Persas, petebatur. *P. XIV. c. VIII.* Dubium autem est, an voce *anima* intellexerint vitam, an sanguinem. Hoc crediderim potius, quod sanguis eo in loco remaneret, ubi sacra fecerant: neque enim *Herodotus* aut *Strabo* ablatum dicunt, & *Strabo* etiam, si fonti sacra facerent, in scrobem effusum testatur, *L. XV. p. 504. Edit. Cas.* Sic etiam apud Hebreos Sanguis *anima* dicitur, & in honorem Dei totus effundebatur. *Gen. IX, 4. Levit. XVII, 14.*

Anima mundi, cum *Cratere*, animarum singularum procreatrix. *ad Orac. v. 82.* Vide *Potentia.*

Animæ restitutio. *ad Orac. v. 238.*

*ANIMI*, qui & unde, secundum Chaldæos *P. XIII. S. II. c. X.* quæ eorum conditiones. *Ibid. Observatu digna sunt* Pausaniæ, *viri infinitæ lectionis & diligentissimi, verba Messeniacor. IV. p. 277.* Ἐγὼ δὲ Χαλδαίους καὶ Ἰνδῶν μάγους πρώτους οἶδα εἰπόντας ὡς ἀθάνατός ἐστιν ἀνθρώπου ψυχή. Καὶ σφίσιν καὶ Ἑλλήνων ἄλλοι τε ἐπείσθησαν, καὶ οὐχ ἥκιστα Πλάτων ὁ Ἀρίστωνος: Ego Chaldeos & Indorum Magos primos scio dixisse, immortalem esse hominum mentem. Illis autem assenserunt, cum alii Græci, tum potissimum Plato, Aristonis filius.

Animorum fons. *P. XIII. Sect. II. c. VII.* Sic vocabant Platonici aut Numen peculiari ὑποστάσει præditum, aut divinam potentiam inhærentem summo Numini, (neque enim satis clare loquuntur,) cujus erat animas procreare. Hanc potentiam interdum *Craterem* vocant: συναπογεννᾷ τῷ Δημιουργῷ, inquit *Proclus*, τὰς ψυχὰς ὁ πολυύμνητος κρατήρ, *gignit, una cum Deo creatore, animas laudatissimus Crater. Theol. Lib. V. c. XXX.*

ὁ Ἅπαξ ἐπέκεινα, *semel ulterior*, secundum Chaldeos quis. *P. XIII. S. II. c. VI.*

Apotelesmatum discrimen. *P. XIII. Sect. II. c. XXII.*

Aquæ *Sacræ*, apud Persas. *P. XIV. c. IX.*

*Arabes* ab antiquis temporibus eruditi. *P. XV. c. II.* erant, *ut auctor est* Cicero, *augurorum & auspiciorum peritissimi. Lib. I. de Divin. c. XLI.* Phryges, & Pisidæ & Cilices & *ARABUM* natio avium significationibus plurimum obtemperant: &c. XLII. Arabes autem & Phryges & Cilices, quod pastu pecudum maxime utuntur, campos & montes hyeme & æstate peragrantes, propterea facilius cantus avium & volatus notaverunt.

*Arabia*, quam late pateat hoc nomen. *P. XV. Prooemium.*

*ARABIA* videtur dicta ἀπὸ τοῦ ערב *ereb*, *mistura*, propter varias gentes, qui illuc confluxerunt; unde non satis mihi constat: quare nolit Arabes proprie dici Nabatæos Petræ incolas *Stanlejus P. XV.* Vide specimen Hist. Arabum,

XIII. S. II c. IIX. Servius in hæc verba Æneidos XII. Diis & communibus aras v. 118. Ut altioris, inquit, scientiæ hominibus placet, Dii communes sunt, qui ἄζωνοι dicuntur, hoc est, qui cœli certas non habent partes, sed generaliter a cunctis coluntur. Hic altioris scientiæ homines omnino videntur esse Chaldæi, aut eorum discipuli. Vide etiam Joann. Seldenum. [illegible] & G. Lib. III. Cap. XX. pag. 432.

B

**B**AAL Vide *Belus*. *Theophilus* ad Autolyc. *L. III.* sub finem ait, ab Orientalibus cultum esse Κρόνον & *Bel*, aut *Bal* dictum; quod de Græcis intelligendum, qui *Belum*, interpretabantur Κρόνον, fine dubio propter aliquam similitudinem. Sic enim solebant ex similitudine judicare. Vide libellum de *Dea Syria*.

*BABYLONICÆ* observationes, ut ad vocem *Berosus* diximus, laterculis inscriptæ non superabant AEram Nabonassaream unde merito *H. Dodvvellus* Append. ad Cypr. Differt. §. 22. suspectum habet, quod de *Calisthene* narrat *Porphyrius*.

*BELTHIS* Dea Assyria. *P. XIII. S. II. cap. XXXVI.* Hebraice בעלת *Baalath*, *domina*, aut, cum Jod בעלתי *Baalathi*, *domina mea*. Crediderim esse Deum insessorem Lunæ.

*Belus* Chaldæus Disciplinarum inventor; *P. XIII. S. I. cap. IV.*

*Belli templum* Babylone; *P. XIII. S. II. cap. XXXII.*

*BELUS* generale nomen Babyloniorum Numinum, & [illegible] *P. XIII. sect. II. c.* [illegible] quo [illegible] *Seldenus* de D. S. *Lib. II. cap. I.* Videtur quibusdam hoc fuisse nomen antiquissimi Regis, quod cum Dominum significaret, potuit tribui Numinibus, & præsertim summo. Deinde, cum Rex ille primum inter minora Numina, qualia erant hominum mortuorum mentes, relatus esset, paulatim obliterata historia & unius etiam Dei, nequaquam hominis, cognitione, confuderunt Regem defunctum cum altissimo Deo. Idem certe evenit apud Græcos Jovi, qui cum Rex antiquissimus esset, & in Heroum numerum relatus, paulatim cum summo Numine confusus est. Hinc fit, ut Græci Poetæ de eodem illo Numine [illegible] passim loquantur, nec minus frequenter eum instar hominis, & quidem mali, describant. At aliis vix fit credibile, antiquis Chaldæorum temporibus, hominem pro Deo habitum esse, & postea mistum id Numen cum notione unius æterni Dei; quia, etiam postremis temporibus, Persę negabant Deos esse instar hominum, ut apparet ex loco *Herodoti*, qui affertur *Lib. II. c. IIX.* Præterea tota Zoroastris Theologia Deos ἀνθρωπομόρφους, nedum homines, prorsus respuit, ut satis ex 2. Sectione, *P. XIII. Stanleii* apparet. Quidquid id est, pessime fecere Græci, qui Δία verterunt vocem *Belus*; quia, seu Rex fuerit, seu Deus, non potest idem esse ac homo in Creta insula natus & sepultus, quique in Græcia vixit; quod constat de Græcorum *Zene*, seu *Jove*, ex antiquissima & constantissima fama, quam incolumen Poetæ Græci servarunt. Sed Græci Barbara Numina temere eadem ac sua esse credebant, & ita Barbarorum opiniones exprimebant, quasi usi fuissent vocibus Græcis Δία, Κρόνον &c. Ita *Herodotus* dicit a Persis τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέεσθαι, *circulum omnem cœli Jovem vocari Lib. I. cap. CXXXI. Vide vocem Mars*.

*Berosus*, qui Chaldaicas disciplinas Græcos edocuit. *P. XIII. S. I. c. VI.*

*BEROSUS* e coctilibus, laterculis edidit observationes 480. annorum. *Plinius* Hist. Nat. *Lib. VII. c. LVI. Epigenes apud Babilonios DCCXX. annorum observationes siderum, coctilibus laterculis inscriptas, docet, gravis auctor in primis: qui minimum* Berosus *& Critodemus, CCCLXXX. annorum. J. Marshamus* existimat hunc annum esse Nabonassareæ *Æræ*, qui idem est cum *LVI.* post mortem Alexandri; unde colligit, Berosum observationes ad suam usque ætatem edidisse. *Epigenis* ætas non ita nota est sed si temporibus Augusti scripsit, anni ejus observationum erunt Nabonossarei, cum annus Nabonassari 720. fit annus Augustorum secundus. Ad hæc de Beroso observat popularis Marshami *H. Doduvellus*, posito priori calculo, *Antiocho* tertio ab Alexandro, Syriæ Regi libros rerum Chaldaicarum a Beroso fuisse dicatos; anno nempe ejusdem Antiochi, qui *Soter* dicebatur, duodecimo; adeo, ut Alexandro Berosus potuerit esse æqualis, quod testantur *Tatianus* atque *Syncellus*. Ita male subduxerit calculos *G. Vossius* qui hoc posito annorum numero, credidit fore, ut in tertii a Seleuco Antiochi quem Antiochū *Deum* cognominabant, tempora incideret Berosus. Attamen ita locum *Traiani* recitavit *Eusebius*, ut eundem Berosum revera in Antiochi Dei tempus contulerit. Neque refragabitur *Plinius*, si secundū quosdam codices, legamus apud eum 490. annos, pro 480. sic enim scripsisset Berosus anno, a morte Alexandri, 66. Antiochi Dei tertio. Vide *Marsham.* ad secul. XVII. p. 474. Edit. Lond. & *Doduvellum*, in Append. ad Diss. Cyprianicas. §. 24.

*BRUTA* a Dæmonibus infestata quare *P. XIII. S. II. c. XVI.* Videtur hæc Chaldæorum opinio nata esse ex eo, quod animadvertissent, bruta interdum inusitatis motibus agitari, & veluti spontaneo exitio perire. Constat certe ex *Matth. IIX, 31.* Dæmonia a Cristo petiisse invadendorum porcorum veniam, eosque in lacum præcipites egisse.

*Bubos* quare dicatur Pater. Ad Or. v. 39.

C.

**C**ANOPUS. Festiva historia de victoria hujus Dei ex igne reportata. *P. XIII. S. II. c. XXXIX.* *Stanlejus*, quasi *Rufini* verba recitans, pro Ca-

Thea-

Zoro

## AUTORUM VETERUM IN HAC HISTORIA PHILOS. FREQUENTIUS ALLEGATORUM EDITIONES.

Achilles Tat. Isag. in Aratum in Uranolog. Petavii Paris. 1630.
Æliani Variæ Histor. plerumque Argentoratens. 1688. rarius Lugduno Batava 1701.
Æmilius Probus ex ed. I. A. Brosii.
Æneas Gazæus. Lips. 1655.
Æschines: ex ed. VVolfii Aurel. Allobr. 1607.
Æschylus, ex ed. Stanleii Lond. 1664.
Ejusd. Scholiastes ed. ead.
Agellius Thysii & Gizellii Lugd. Bat. 1666.
Alexandri ab Alexandro Dies genial. Lugd. Batav. 1671.
Alexandri Aphrodisiei Problemata Latine per Vallam Venet. 1505.
Ammianus Marcellinus, Valesii Paris. 1681.
Ammonii Vita Aristot. cum Vers. & Schol. Nunnesii, ed. in 4to.
Anna Comnena Alexiad. XII. Paris. 1670.
Anonymus in Ptolem. Tetrabibl. Basil. 1569.
Anonymus Theologum. Arithmet.
Anthologia Vett. Epigr. ex ed. Prodæi Francofurti Ao. MDC.
Antoninus. εἰς ἑαυτὸν. ex ed. Gattakeri in fol.
Antonii & Maximi sermones Aureliæ Allobrogum 1609.
Appollodori Hist. Deor. Paris. 1685.
Apollonii Dysc. Hist. comm. ex Edit. Meurs. Lugdun. Bat. 1622.
Apollonii Scholiastes ex ed. Hoelzlin. Lugd. Bat. 1641.
Apostolius, Prov. XVII. 33. Lugd. Batavor. 1653.
Apulejus Lugd. 1604.
Archimedes Paris. 1615.
Aristides Canteri Bas. 1566.
Aristophanes plerumque Aureliæ Allobrog. 1607. rarius Amstelæd. 1709.
Ejusd. Scholiastes ib.
Aristoteles, ex ed. H. Stephani.
Arrianus, Vita Alex. ex Ed. Blancardi Amst. 1668. dissertat. Epict. Cantabr. 1655.
Athenæus ex offic. Commelin. 1611.
Athenagoras, leg. pro Christian. Colon. 1686. fol.
Augustinus Basileæ per Ambrosium Bibl. & Aurelium Frobenios, fratres. 1569.
Basilius M. Paris. 1638.
Boethius opera omnia Bas. 1570.
Julius Cæsar, cum selectis variorum commentariis, opera Arnoldi Montani, & Josephi Scaligeri, Amsterd. ex officina Elzevir. 1661.
Callimachus Ultraj. 1697.
Cassiodorus, Genevæ A. 1650.
Catullus ed. Vossii Lond. 1684.
Censorinus de die Nat. Cantabr. 1695.
Chalcidius ad Timæum. Lugd. B. 1617.
Cicero ed. Gronov. 8. Lugd. B. 1692.
Claudianus Mamertus, ed. Barthii Cygn. 1655.
Clemens Alexandrinus Colon. 1688.
Cyrillus c. Julianum ed. Spanhem. Lips. 1697.
Demosthenes, Ex ed. VVolfii Aurel. Allobr. 1607.
Diodorus Siculus. Hanov. 1604.
Dio Chrysostomus ex ed. Morellii Paris. 1623.
Diogenes Laertius ex ed. VVetstenii Amst. 1692.
Diogenian. Proverb. III. 98. Antv. 1612.
Dionysius Halicarnassæus. Oxon. 1704.
Elias Cretens. in Gregorii Naz. Orat. ex ed. Lips. Opp. Gregorii A. Coloniæ 1690.
Etymologicum M. ex ed. Aldin. 1504.
Euclides ex recens. David. Gregorii Oxon. 1703.
Eunapius ex offic. Commelin. 1596.
Euripides, & ejus Scholiast. ex ed. Barnes. Cantabr. 1694.
Eusebius Præparat. Evang. Colon. 1688. Chronic. Amstelæd. 1688.
Festus. Amstelæd. 1699.
Julii Firmici Astronomica, Bas. 1591.
Frontinus. Vesaliæ 1670.
Fulgent. Mythol. Phys. Amstelæd. 1681.
Galeni Opera Basil. 1581.
Gellius, Thysii & Oizelii Lugd. B. 1666.
Gregorii Nazianzeni opera Lipsiæ, Colon. 1690.
Harpocration ex Ed. Gronov. Lugd. B. 1696.
Helladius in Chrestom. c. N. Meursii Ultraj. 1686.

Hera-


UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 01232 4045